

Estante 34 Pluteo 3
Burgos.

MHSI 5º

ARQUIVO NACIONAL
Rio de Janeiro

MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS JESU

HISTORIA SOCIETATIS JESU

7500-3

COMUNIDAD DE JESUITAS
BIBLIOTECA
BURGOS

VITA

IGNATII LOIOLAE

ET

RERUM SOCIETATIS JESU

HISTORIA

AUCTORE JOANNE ALPHONSO DE POLANCO

EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE

TOMUS TERTIUS

(1553-1554)

COLEGIO
DE LA MERCED
BURGOS

MATRITI
EXCUDEBAT AUGUSTINUS AVRIAL
via S. Bernardi, 92
1895

JHS

CHRONICON SOCIETATIS JESU

ANNUS 1553

DE REBUS SOCIETATIS IN URBE ROMA

1. Hujus anni 1553 initio, quinque provincias distinctas habebat Societas; Indiae, scilicet, Portugalliae, Castellae, Aragoniae et Italiae, citra Romam: caetera omnia collegia et domus a P. Ignatio Generali regebantur, ut superioribus annis; sed in progressu hujus anni, mense scilicet Julio, sexta provincia instituta est, Brasiliae, et per patentes litteras P. Ignatii, Provincialis in ea constitutus est P. Emmanuel de Nobrega, qui prius nostris in Brasilia sine Provincialis nomine praeerat; et ita sex provinciae hoc anno in Societate exstiterunt. Ad numerum etiam locorum, in quibus nostros residere initio praecedentis anni diximus, in Italia tria accesserunt; siquidem Perusii, Eugubii et Mutinae collegia cum scholis suscepta fuerunt: in India in civitate Tana: in Brasilia collegia puerorum, quibus nostri praerant, nonnulla addita fuerunt illis, de quibus, superiori anno inchoante, facta mentio est: hoc autem anno alia loca accesserunt, de quibus suo loco dicetur [1]. Sed et tria collegia auctoritate apostolica erecta fuerunt, id curante Domino Petro de Zarate, praeceptore vel commendatario Ordinis militum Sti. Sepulchri, scilicet, Hierosolymis, Constantinopoli et in insula Cypro; sed haec tria, quamvis apostolicis litteris instituta, in-

---

[1] Sensus est: Iis puerorum collegiis, quae in Brasilia initio anni 1552 exstabant, alia in ejusdem anni decursu accessere, et alia toto hoc anno 1553.

choata hactenus non fuerunt, nam ratio eadem stabiliendi, quae summo Pontifici oblata et ab eodem admissa fuerat, successum non habuit, Deo forte in aliud tempus haec opera rejiciente [1].

2. Civitas etiam Ariminensis collegium obtulit Societati et domum delegit, quam olim ejus civitati dominans Malatestarum familia habuerat, et in usum collegii designavit; nec P. Ignatius quod postulabant negavit, immo, cum res ad habitationem et sustentationem collegialium essent paratae, homines se missurum pollicitus est; sed ne hoc quidem collegium in hunc usque diem maturuit [2]. Aliud Parmae Domina Jacoba Pallavicina reditibus dotare voluit; sed, quia monasterii cujusdam monialium curam habere volebat, id nostro instituto repugnare significando, et Dominae Jacobae gratias agendo, non est admissum; invisendam tamen per P. Elpidium hanc nobilem et piam mulierem et consolandam P. Ignatius curavit [3].

3. Hoc anno P. Hieronymus Natalis, cum ex Sicilia, adducto secum Magistro Benedicto Palmio [4], Romam venisset, et de constitutionibus ac regulis Societatis cum P. Ignatio, quod oportebat, contulisset, ab eodem instructus, et per patentes litteras, quarto idus Aprilis, Commissarius in Hispanias missus est, ut constitutiones ac regulas nostris collegiis et hominibus Societatis traderet ac declararet. Ad res etiam alias potestas ampla eidem est concessa, cum ejus prudentiae et agnitioni rerum Societatis multum P. Ignatius confideret. Sed imprimis in Portugalliam ire jussus est, tum quia ea provincia et numero

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio,* passim, sed praesertim t. VI.—Apostolicas Litteras erectionis horum collegiorum nondum reperimus nec earum factam mentionem videmus in opere Patris LUDOVICI DELPLACE, *Synopsis actorum Sanctae Sedis in causa Societatis Jesu.*

[2] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 301 et 428 et t. IV, pag. 240 et 392.—Polancus, *ex com.,* Patri Jacobo Laynez, 16 Sept.: "Di Arimino ci scrive il Dottore Olave il quale andò a visitar quella città a instantia di molti divoti, che si congregò il consiglio...„

[3] Consule *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 308, et t. IV, pag. 54; scito tamen 1.° epistolam CCCLV, quae in t. III, pag. 308 reperitur, non Dominae Constantiae Pallavicini, sed Dominae Cortesae vel Cortesiae *(ulla cavaliera Cortesa),* datam fuisse; et 2.° aliam esse hanc Dominam Cortesiam, aliam Constantiam Pallavicini, quae Mutinae morabatur, aliam denique Jacobam Pallavicini, quae Parmae aliquando, Cremonae saepius, degebat. Haec omnia manifesta fient in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii,* ubi etiam videbitur hanc Jacobam Pallavicini sub Societatis obedientia vixisse aut saltem id tentasse. V. etiam BOERO: *Vita del B. Pietro Fabro,* pag. 49, et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro,* t. I, pag. 21.

[4] Verba haec: *adducto secum Magistro Benedicto Palmio,* addidit manu propria Polancus.

personarum, et fundationibus collegiorum, et momento rerum ad commune bonum spectantium, caeteris eo tempore longe anteibat, tum quia rerum perturbatio, de qua superiori anno actum est, ejus operam exigebat, tum quia Rex Portugalliae aliquem in scholis instituendis, quales Romae et in Sicilia esse intellexerat, exercitatum, ad se mitti postulaverat, cum ejusmodi scholas suo in regno vellet institui.

4. Domus professorum [1] consuetis charitatis functionibus vacabat, cum magno concursu ad sacramenta confessionis et communionis, et ad praedicationem matutinam et lectionem Scripturae pomeridianam; ecclesia tamen satis erat angusta, quamvis paulatim aliquid ex situ domus ei addebatur; nam in nova ecclesia, inchoata sub finem anni jubilaei, progressus non est factus, et agebatur de domibus quibusdam vicinis coëmendis ut situs esset paulo amplior; nondum tamen de eo situ, in quo tandem est aedificata, quidquam agebatur [2].

5. In ipsa domo novitii ab aliis non separati probabantur, et inter caeteros hoc anno Magister Gerardus Brassica, et Magister Franciscus Costerus fuerunt, sed et Magister Joannes Retius; quamvis postea ad collegium missi, priores theologiae, tertius philosophiae dedit operam. Promotus quidem fuerat Coloniae, sed exercendus in philosophicis adhuc magis visus est. Fuit et Magister Theodoricus Gerardi, nobilis Amsterdamensis, et Mag. Petrus Silvius et alii complures [3]. Alia charitatis opera, quae a domibus professorum fieri solent, hoc etiam anno cum

---

[1] Intellige *Romanam domum*, prout a *Collegio* distinguebatur.

[2] Binas hoc anno universae Societati misit Ignatius, sive *ex Ignatii commissione* Polancus *historicas* litteras (Quid *historicarum* seu *de nuevas* litterarum nomine veniat, diximus supra t. I, pag. 289, not. 1). In eis, quas, Deo adjuvante, in nova serie litterarum Sancti Ignatii edemus, enucleatius perstringuntur quae de Societatis ministeriis Romae deque eorum fructu breviter admodum hic enarrat Polancus.—Vide etiam in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 312 et 433 litteras, quas Cardinali Farnesio scripsit Ignatius 18 Oct.

[3] A verbis *fuit et Magister* ad verba usque *alii complures* inseruit manu propria Polancus.—De Gerardo Brassica vide supra, t. II, pag. 583 et 584, n. 391, et DELPLACE: *L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas*, ubi, pag. 344-3*, haec habet: "GÉRARD COOLS (BRASSICA), né à Dordrecht en 1531, admis à Cologne en 1552, mort à Neuss en 1556.„—De Joanne Retio vel Rhetio vide supra, t. II, et *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 674, et REIFFENBERG: *Historia Societatis Jesu ad Rhenum inferiorem*, lib. II.—De Theodorico Gerardi haec DELPLACE, l. c.: "THIERRY GERRAERTS (GERARDI), né à Amsterdam vers 1531; *primus* de philosophie à Louvain en 1551; admis à Cologne en 1552, mort à Vienne le 1 octobre 1558.„—De Petro Sylvio vide supra, t. II, et *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 548.

aedificatione facta fuerunt, bonusque odor et auctoritas Societatis in dies augebatur.

6. Collegium Romanum, hujus anni initio et usque ad Octobrem, humaniorum litterarum studia publice tractabat, in latina scilicet, graeca et hebraica lingua; superiora studia privatim et non publice attingebantur; sed sub festum D. Simonis et Judae, cum studium plenum, tam in gratiam nostrorum quam in studiosorum Collegii Germanici et aliorum externorum, instituendum esset, assertiones theologicae et aliarum inferiorum facultatum publice disputatae fuerunt. De theologicis respondit sine praeside P. Dr. Martinus Olave, qui et eruditionis magnae et eloquentiae specimen omnibus audientibus dedit. De philosophicis M.r Theodoricus [1], de quo paulo superius, sub praeside Dre. Turriano [2], olim medico insigni, qui et in mathematicis fuit insignis, hoc ipso anno Societatem ingressus. De rhetoricis Benedictus Pereira sub praeside M. Fulvio Cardulo [3]. Decoratae fuerunt disputationes, magno Cardinalium, Episcoporum et aliorum magnae auctoritatis hominum concursu; fuerunt et orationes variae adhibitae, nec minor satisfactio quam frequentia fuit.

7. Tres artium cursus simul inchoati fuerunt, primus a primordiis dialectices, alter a solidioribus logicae Aristotelis et ethicae partibus, tertius a physicis, ut qui inaequaliter in litteris profecerant, suo profectui convenientes lectiones quisque haberet. Theologia etiam scholastica et Scriptura sacra praelegi coepta est et adhibitae exercitationes scholasticae, quae in Universitatibus, in quibus florent haec, probari maxime solent. Doctor Olave ex partibus Divi Thomae primam inchoavit, quam ante meridiem enarrabat; post meridiem autem alteram ex 4.° sententiarum. P. Andreas Frusius Scripturam ab ipso libro Genesis interpretari coepit: P. autem Quintinus Chiarlart, diebus festis, lectionem casuum conscientiae explicandam suscepit. Viginti auditores, partim ex Collegio nostro et Germanico, fere in initio habuerunt; nam ex domo nostra neminem ad Collegium

---

[1] Theodoricus Gerardi, de quo supra, n. 5

[2] Is erat Dr. Balthasar de Torres, de quo ejusque in Societatem ingressu plura infra, dum de rebus Siciliae agetur.

[3] Duas has paragraphos, a verbis *De theologicis* ad *Cardulo,* in margine textui inserendas scripsit Polancus.

ire licebat audiendi gratia, quod domus non addiscendis litteris, sed exercendis ad animarum utilitatem institutae fuerant.

8. Primum philosophicum cursum Magister Joannes Rogerius ab ipsis dialecticae primordiis, secundum P. Guido Royletius, tertium Dr. Balthasar Turrianus susceperunt, et unusquisque eorum suos habuit ex Collegio certos discipůlos. Haec autem P. Ignatii mens erat, ut quadriennio scholasticam theologiam, et quod oporteret ex novo et veteri testamento scholastici audirent praeter ea quae ex doctoribus sacris ac decretis Pontificum ac conciliorum sua vel aliorum opera intellexissent, et duobus annis praeterea in publicis actibus exerceri eos, qui ad gradum doctoratus essent promovendi, volebat; tres autem annos cursui philosophico tribui, et medium praeterea ad actus et disputationes, si qui promovendi essent; neminem enim vel in theologia vel in philosophia, nisi inventum idoneum, etiam ad docendum, promovendum sentiebat [1].

9. Cum initio hujus anni in Collegio viginti sex ex nostris essent, in hac studiorum renovatione ad sexaginta jam ascendebant; nam singulis praeceptoribus theologiae ac philosophiae et rhetorices, certos ex nostris scholasticis auditores assignandos esse censebat, qui et ipsi proficerent et suo exemplo externos excitarent et exempla [2] litteraria vivida conservarent. Voluit etiam P. Ignatius delectum haberi auctorum et doctrinae a nostris audiendae in omnibus facultatibus et Romanum hoc Collegium velut formam quamdam aliis, ubicumque disciplinae nostris traderentur, pro forma et exemplo quodam esse volebat, et hic, in oculis Sedis Apostolicae et orbis christiani, hoc institutum collegiorum sui specimen praebere cupiebat.

10. Quamvis autem crescebat numerus nostrorum, angustae tamen res temporales admodum erant, nam mille aurei, singulis annis a novo Duce Gandiae et ejus fratre Joanne pendendi, minime recuperabantur; census quidam trecentorum aureorum, ex pecunia a P. Francisco Borgia relicta coëmpti, parum admodum ad sustentationem conferre poterant, nam centum et octoginta aureis domus conducebatur, puerorum

---

[1] Quae sub his nn. 6, 7 et 8 continentur, fuse a Polanco descripta sunt in litteris ad P. Alphonsum Salmeron datis 4 Nov.

[2] *Exempla* habet autographum; sed putamus mendum esse et scribendum *exercitia* aut quid simile.

corrector fere quadraginta accipiebat, medicus etiam suum referebat salarium. Itaque ad victum, vestitum et res necessarias pecunia mutuo accipienda erat; pars etiam bona census vendenda erat ad domus quasdam, in auxilium ecclesiae, ut diximus, emendas; et tamen in hoc statu rerum temporalium augeri vólebat [Ignatius] numerum collegialium; et tanta erat multitudo eorum, qui in Societatem admitti petebant, ut domum nostram exonerare ad alios admittendos oporteret [1].

11. Nam ex Inferiori Germania, ex Gallia et ex Hispaniae ac Italiae variis locis ad hanc domum probandi confluebant, quamvis illi, qui ex Hispania accedebant, ab ipso P. Ignatio evocabantur, qui Superioribus scribebat ut aliquos huc destinarent, qui bene in litteris instructi, ad tam multa collegia juvanda utiles esse possent. Tales etiam Parisiense, Lovaniense, et Coloniense Collegia multos mittebant. Sed qui domi probati fuerant, et ad studium mittendi videbantur, cum nec in Italia, nec in Sicilia, philosophiae aut theologiae tunc studia ulla in Societate essent, ne tempus inutiliter tererent, ad Collegium Romanum erant mittendi [2].

12. Aliqui tamen per varia loca Italiae et Siciliae mittebantur, vel ut docerent, vel ut discerent, qui in litteris humanioribus adhuc exercendi erant; et duodecim simul ex his cum P. Elpidio [3] hoc autumno in Siciliam missi sunt; novem, per Collegia Italiae distribuendi, P. Laynio Provinciali simul missi sunt. Cum etiam P. Hieronymus Domenech in Siciliam mense Martio missus est, ut Pro-regis Joannis de Vega petitioni satisfieret, socios a P. Ignatio adjunctos et inter eos P. Hieronymum Otellum accepit. Plures tamen accedebant, quam dividi extra Urbem commode possent, et ideo Collegium augebatur, in quo etiam exercendi in litteris et modo eas docendi erant, qui aliis in Collegiis Italiae scholis erant profuturi.

13. Persuadebat sibi P. Ignatius aliquem aut Pontificem aut ex Principibus ecclesiasticis aut saecularibus fundationem hujus

---

[1] Vide supra in t. II an. 1551, n. 6, pag. 164.

[2] Die 31 Martii hujus anni longam scripsit, *ex com.*, epistolam Polancus Superioribus domorum Societatis in Europa; in qua epistola, postquam de dignitate Romani Collegii et de fructibus, quos ex eo sperabat Ignatius, fuse disseruit, penuriam aperuit, qua collegium premebatur, et omnes hortatus est ut pro suo posse tantae penuriae satagerent subvenire. Vide infra, n. 13.

[3] P. Elpidius Ugoletti.

Collegii facile suscepturum, et ideo ad tempus aliquod illud sustentari cupiebat, nec de reditibus sollicitus erat; nam ad fundatorem haec sollicitudo spectabat. Ideo significari voluit quibusdam de Societate hunc Romani Collegii statum, ut, si quae occasio sese offerret juvandi, non eam omitterent; si tamen aliqua ratione fieri potuisset, hoc opus a P. Francisco Borgia inchoatum, ab eo et ejus familia, dotari exoptasset. Et cum amicus quidam et de Societate benemeritus, scilicet, Dominus Thomas Lilius, postea Episcopus Soranus, propensus esset ad illam domum emendam, quam Collegium conduxerat, et ad aliquos reditus applicandos, non admisit hoc optimi viri beneficium, cum illi jus fundatoris, si admisisset, tribuendum judicaret, et ejus insignia, ut fundatoris, in collegio constituenda. Maluit itaque in iis angustiis Dei providentiam exspectare; et cum quidam Cardinalis ex eorum numero, qui Academiae Romanae (quam *Sapientiam* vocant) curam gerebant, reditus aliquos ei obtulisset, ex iis, qui lectoribus ejus Academiae assignari solent, non tamen eos P. Ignatius admisit, ne contra Institutum Societatis, velut salarium quoddam pro lectionibus, admittere videretur [1].

14. Quod ad Collegium Germanicum attinet, cum nulli reditus stabiles ei assignati essent, et Cardinalis Moronus atque Augustanus ex Urbe abessent, et alii, valde occupati aliis in rebus, non admodum ad stabiliendum, vel promovendum tam sanctum opus, animum applicarent, expensae interim graves essent, subsidia rerum temporalium, majora quam habebat, merito desiderabantur. Et P. quidem Ignatius scripsit Cardinali Morono, instituendi hujus Collegii praecipuo auctori, quo in statu Collegium versaretur, et ei in memoriam redegit quod Societas nostra aperte significaverat, se rerum temporalium onus non subire, sed tantum spiritualium, in his, quae ad doctrinam et pietatem instituendae juventutis pertinerent, rogavitque ut, si tam cito venturus non esset, alicui hoc opus commendaret, qui, tam ad sustentandum quam ad stabiliendum Collegium, ejus vicem suppleret. Aliis etiam Cardinalibus signi-

---

[1] Habes toto hoc n. 13 dilucidius exposita a Polanco quae Orlandinus compressit his verbis: "Quamobrem de certis reditibus nihil laborans [Ignatius], QUASDAMQUE MINUS OPERI SUFFICIENTES OBLATAS DOTES REPUDIANS, id studebat unum, ut praesenti necessitati succurreret.„ L. XIII, n. 5.

ficari hoc ipsum curavit. Interim tamen idoneos ad Collegii Germanici institutum nullo modo excludendos censuit, et cum studia hoc autumno renovarentur, fere triginta eo in Collegio versabantur in duabus domibus Collegio nostro conjunctis, ex quibus novem theologiae, alii vel naturali scientiae, vel logicae, vel etiam dialecticae [operam dabant]; demum, sub quolibet ex tribus praeceptoribus philosophiae, rhetorices et litterarum humaniorum aliqui erant, et in studiis ac pietate bene proficiebant. Inter eos aliqui seditiosius quam oportebat agentes, ne aliis nocerent, dimissi sunt, et eorum loco alii vocati. Singulis hebdomadis bis, exercitationis gratia, ad liberum aërem agrorum exire eis licebat, et de necessariis nihil eis deesse Societas nostra permittebat [1].

15. Hoc anno professionem Romae P. Martinus Olave, secunda Aprilis, in manibus P. Ignatii emiserat. Paulo ante P. Everardus Mercurianus, scilicet, 25 Februarii, in manibus Cardinalis Perusini, loco P. Ignatii, eamdem emiserat. Vigesima septima Januarii praecedentis P. Leonardus Kessel Coloniae, in manibus cujusdam Praelati [2], et decima quinta ejusdem mensis P. Nicolaus Lanoyus Viennae, in manibus Abbatis Martinengi, Nuncii Apostolici, et P. Ludovicus Gonzalez trigesima Martii in manibus P. Francisci Borgiae emiserat. Itaque cum ex primis decem Patribus quatuor ad meliorem vitam migrassent, scilicet, P. Joannes Codurius, P. Petrus Faber, P. Claudius Jajus ac P. Franciscus Xavier, in eorum locum viginti unus alii quatuor vota emiserant, qui omnes hoc anno vivebant; hi cum sex ex primis, qui superstites erant, viginti septem nume-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Salmeron de modo sublevandi penuriam Germanici Collegii et Neapoli obtinendi quae pro eodem Germanico Collegio promiserat Cardinalis Pacheco; 10 Dec.—Idem, *ex com.*, Patri Joanni Francisco Araldo: "Mi rincresce che habbia perso tanto tempo il P. Salmerone per il Collegio Germanico, benche non son persi li passi nostri avanti Iddio, quantunque gli effetti desiderati non seguitano... „ 17 Dec.—Idem Patri Salmeron, de subventione quam Collegio Germanico se daturum promiserat Cardinalis Pacheco, 30 Dec. Idem Patri Olave: "Il Collegio Germanico, quanto alle cose spirituali et di lettere va bene. Del resto, cioè del temporale, le cose stanno in calma... Non possiamo far altro che pigliar debiti sopra di noi per non lasciar che questa gente passi male...„ 5 Aug.—Eidem ut videat an et quid oporteat scribere Augustano Cardinali de Collegio Germanico, 12 Aug. Vide etiam litteras, quas de hac re Cardinali Morono aliisque toto hoc anno scripsit Ignatius, in *Cartas de San Ignacio*, t. III, necnon EMMI. CARDINALIS STEINHUBER, S. J. *Geschichte des Collegium Germanicum Hungaricum in Rom.*, et tandem infra, n. 476.

[2] Fuit is Joannes de Reppelmont, Nazaraei coenobii Praeses.

rum conficiebant [1]; et nihilominus P. Ignatius, in virtute obedientiae, P. Mironi, Provinciali Portugalliae, injunxit ut quinque vel sex ex his, qui magis maturuissent in provincia Portugalliae, ad professionem admitteret, cum consilio et aprobatione P. Natalis, de quibus inferius agetur, cum ad Portugalliam ventum fuerit.

16. Cum P. Ignatius intellexisset P. Simonem ex Provincia Aragoniae in Lusitaniam rediisse et Ulyssiponae versari, nullo modo id probavit, et eidem in virtute obedientiae injunxit ut Romam se conferret, ac Regi Portugalliae scripsit gratias ei agens, quod hoc beneficio Societatem totam affecisset, dum P. Simonem obedientiae sui Superioris, quem loco Christi habebat, se subjicere, et Romam, quo vocabatur, se conferre [hortatus est]. Voluit autem cum ipso Rege conferri litteras patentes obedientiae ut non nisi cum ejus beneplacito P. Simoni redderentur; et si opus esset, ut suam etiam Rex auctoritatem adhiberet. Id ut faceret, supplicabat Domino etiam Petro Mascharegnas, qui domui principis praefectus erat, congratulatus de tam honorifico officio; et ad commune bonum utile eidem significat, quanto charitatis amore P. Simonem complectatur, et omnem ei consolationem et quietem ex animo cuperet, ad quam expedire omnino judicabat ut Romam veniret, et quod

---

[1] En horum 21 Patrum catalogum, qui ad haec usque tempora, post primos Ignatii socios, professionem emiserant:

NOMEN ET COGNOMEN	LOCUS	DIES	MENSIS	ANNUS	IN MANIBUS
Antonius de Araoz.....	Romae.	19	Febr.	1542	Patris Ignatii.
Franciscus de Borja.....	Gandiae.	2	"	1548	Antonii de Araoz.
Emmanuel Miona.....	Romae.	25	Mart.	1549	Patris Ignatii.
Joannes A. de Polanco..	"	"	"	"	" "
Andreas de Oviedo.....	Gandiae.	"	"	"	Antonii de Araoz.
Jacobus Miron.....	"	"	"	"	" "
Petrus Canisius.....	Romae.	4	Sept.	"	Patris Ignatii.
Nicoláus Gaudanus.....	Venetiis.	25	Jul.	1550	Andreae Lipomani.
Joannes B. Viola.....	Parisiis.	16	Aug.	"	Philippi III le Bel.
Andreas de Frusis.....	Romae.	18	Oct.	"	Patris Ignatii.
Franciscus Estrada	"	1	Febr.	1551	" "
Adrianus Adriaenssens.	Lovanii.	30	Maii.	"	Ruardi Tapper.
Michaël de Torres.....	Methymnae.	3	Mart.	1552	Francisci de Borja.
Hieronymus Nadal.....	Romae.	25	"	"	Patris Ignatii.
Hieronymus Otello.....	"	25	Dec.	"	" "
Joannes le Pelletier.....	"	27	"	"	" "
Nicolaus de Lanoy... ..	Viennae.	15	Jan.	1553	Hieronymi Martinenghi.
Leonardus Kessel.....	Coloniae.	27	"	"	Joannis de Reppelmont.
Everardus Mercurianus.	Perusii.	25	Febr.	"	Fulvii Cornei, Card.
Ludovicus Gonzalez.....	Lucronii.	30	Mart.	"	Francisci de Borja.
Martinus de Olave.....	Romae.	2	Apr.	"	Patris Ignatii.

poterat ei Dominus Petrus, nomine P. Ignatii, polliceri quidquid ipsi videretur, nam se id praestiturum quantum ad gloriam Dei posset [1].

17. Venit ergo Romam, simul cum P. Melchiore Carnero, decima die Novembris [2]. Duci etiam de Avero, qui patrocinium P. Simonis susceperat, in eandem sententiam scripsit. Prius autem, scilicet, vigesima tertia Maji, Romam venerat P. Ludovicus Gonzalez, de quo Cardinalis Infans multa in ipsius commendationem scripserat ad P. Ignatium, et ut cum eo multa conferret de his quae ad Dei honorem, in illis regnis praesertim, fieri possent, rogabat; cui respondit P. Ignatius officiose, ejus testimonium de P. Ludovico magni faciens, ut par erat, quamvis alioqui de ipsius [3] ac donis Dei optime sentiret, scribit etiam eidem quam idoneum censeat P. Natalem ut cum ipso conferre posset quae ad Collegium Evorense et scholas pertinerent [4].

18. Cum autem nomine Regis Portugalliae quaedam retulisset P. Ludovicus Gonzalez Patri Ignatio, quae ille cupiebat in sui regni collegiis observari, certo sibi persuadere posse scribit quod, quamdiu ipse viveret, numquam ab ipsius voluntate recessurus esset, et de successoribus tantumdem sperandum esse; nam et constitutiones et ipsa regnorum illorum dispositio id exigebat [5]. De quibus autem P. Ludovicus egerat, et de quibus

---

[1] Ignatii litteras Regi Portugalliae, Infanti Henrico et Patri Simoni Rodericio habes in *Cartas de San Ignacio,* t. III.

[2] Haec a verbo *Venit* ad *Novembris* ingessit manu propria Polancus, signo apposito ut hic inserentur; sensus tamen exigere videtur ut paulo superius inserantur hoc modo:

"... ad Dei gloriam posset. Duci etiam de Aveiro, qui patrocinium Patris Simonis susceperat, in eamdem sententiam scripsit.

17. Venit ergo Romam simul cum P. Melchiore Carneiro decima die Novembris. Prius autem... „

[3] Desideratur hic unum aut alterum verbum.

Vide litteras, quas in commendationem Patris Ludovici Gonzalez de la Cámara scripsit Joannes III, Portugalliae Rex, tum Julio III, Summo Pontifici, tum Galliae Regi, tum etiam suo in Urbe Legato et Cardinali cuidam, in TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal,* part. II, lib. II, c. 12; et c. 13 Infantis Henrici binas ad Cardinales.

[5] "... certo sibi persuadere posse scribit quod, quamdiu ipse viveret, numquam ab ipsius voluntate recessurus esset, et de successoribus tantumdem sperandum esse; nam et constitutiones et ipsa regnorum illorum dispositio id exigebat.„ Ut haec absque errandi periculo intelligantur, interserere oportet aliqua nomina ubi pronomina tantum adhibuit Polancus: "....certo sibi *Regem* persuadere posse scribit *Ignatius* quod, quamdiu ipse *Ignatius* viveret, numquam ab ipsius *Regis* voluntate recessurus esset, et de successoribus *(Ignatii)* tantumdem sperandum esse; nam et constitutiones *Societatis* et ipsa regnorum illorum dispositio id exigebat.„

Regi expresse rescripsit, illud primo loco erat, ne pecuniae, secundo, ne homines Societatis ex illo regno, sine Regis voluntate, educerentur. Significat etiam eidem Regi quod prius scripserat, ut scholae ad juventutem in litteris et moribus instituendam, a nostris, ubi commode possent, haberentur, ut et illi adjuti, parentes et sanguine conjunctos juvarent, nam se sperare fructum uberem illis in locis, sicut in Italia et Sicilia experti eramus, et ideo se misisse inter alia P. Natalem, qui in Sicilia scholis instituendis et promovendis praefuerat [1]. Et cum multum Societas se debere agnoscat Regi, qui primus favore et liberalitate sua inter principes Societatem esset amplexus, et collegia in Portugallia, India et Brasilia institui voluisset, omnibus, qui sub obedientia Societatis versarentur ubique gentium, per patentes litteras injunxit [Ignatius] ut quotidie Sacerdotes in sacrificiis et alii in suis orationibus Regem ac Principem cum uxoribus et filiis peculiari memoria quotidie Domino commendarent, et has patentes litteras, in actionem gratiarum et gratitudinis signum ipsi Regi ostendendas, transmisit [2].

19. Cum Summus Pontifex Julius ad Nestorianos, qui christiani sunt in Asia [3], Patriarcham misisset, in consistorio sibi videri dixit aliquos ex nostris cum ipso mitti oportere; sed quia cum nostris, qui sunt in India, commercium habere posse compertum esset, inde potius quam ex Europa mitti posse visum est; et si Collegium Hierosolymitanum institutum fuisset, inde haud dubie commodius cum christianis ejus regionis nostri charitatis officia exercere potuissent [4].

20. De Patriarcha in Aethiopiam mittendo hoc anno serio

---

[1] Melius distinctiusque haec omnia habes in Ignatii litteris ad Portugalliae Regem datis 6.ª Junii hujus anni. *(Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 213.)

[2] Has litteras habes hispanice in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 218, latine in Sacchini. *Hist. Soc. Jes.,* p. II, l. I, n. 121; italicam etiam versionem habemus in mss., a P. Aloysio Carnoli confectam.

[3] Animadvertendum est Nestorianorum Jacobitarumve nomina non sectis haereseon, sed populis certis, qui fidem Christianam inter Mahometanos Assyriae retinuere, indita fuisse. Ita in *Annal.* Raynaldi, ann. 1553, n. XLIII, ubi de hac missione agitur.

[4] Vere non de *mittendo* Patriarcha actum fuit, sed de confirmando fratre Saud seu Sulalla, quem Patriarcham designaverant Assyriae christianae ecclesiae. In *Acta* vero *consistorialia*, quae integra fere habet Raynaldi, nihil de Patribus Societatis, qui Patriarcham comitaturi essent, relatum est; forte quia non de mittendis actum, sed deliberatum ut cum P. Ignatio ageretur. Caeterum id constat ex pluribus ad plures ab Ignatio et Polanco sub hoc tempus datis litteris.

actum est, et Rex Portugalliae ejus deligendi inter nostrae Societatis sacerdotes curam P. Ignatio injunxit. Nec solum Patriarcham, sed et duos alios Episcopos deligere et novum Provincialem Aethiopiae cum aliis sacerdotibus ac fratribus oportuit. Fuerunt autem omnes, qui tunc Romae versabantur, jussi a P. Ignatio sui animi propensionem, ad hanc missionem Aethiopicam, et promptitudinem, clauso scripto comprehendere, et magno certe cum fervore singuli suam operam, si obedientiae sanctae id placuisset, obtulerunt [1]. Fuit autem a P. Ignatio in Patriarcham delectus P. Joannes Nugnez, qui Tituani in Africa captivis christianorum juvandis vacabat, et Episcopi coadjutores et successores ejus P. Andreas de Oviedo, Rector Collegii Neapolitani, ac P. Melchior Carnero, qui Romam cum P. Simone hoc autumno venerat; in Provincialem autem P. Antonius de Quadros [2]. Alios etiam comites hujus missionis designavit. Facultates autem amplissimae a Sede Apostolica obtentae fuerunt; sed quia sub hujus anni finem gravissime Julius Pontifex Maximus aegrotare coeperat, non hoc anno sed sequenti, hoc negotium omnino confectum fuit; et demum tempore Pauli IV Summi Pontificis, quod sub Julio inchoatum fuerat, ad effectum deductum est anno 1555, ut inferius dicetur [3].

21. Cum quidam non mediocri talento, ad aliquid praestandum in usum Societatis, in ipsam admitti peteret, intellectum est quod sibi et aliis, in sancto tribunali Inquisitionis Hispaniensis, falsum crimen timore quodam et affectibus humanis imposuisset; et cum ad famam restituendam sibi ipsi et aliis teneretur, res collata est cum viris doctis, inter quos aliqui Sanctae Inquisitionis Officium exercebant, et judicatum est non debere eum in apertum vitae discrimen se conjicere, sed satis esse si per litteras famam restitueret. Ejus autem litteras cum suis ad Archiepiscopum Hispalensem P. Ignatius transmisit, qui tribunalis hujus Sancti Officii in Hispania, primus Praesidens erat;

---

[1] Totum hoc a verbis *Fuerunt autem omnes* ad *obtulerunt* addidit Polancus manu propria.

[2] Is ille est qui hucusque Tiburtius dicebatur.

[3] Hoc etiam a vocibus *et demum* superadditum est ab ipso Polanco. Quae sub hoc toto n. 20 continentur, confirmata et illustrata simul reperies in opusculo *De rebus Societatis Commentarius* OLIVERII MANAREI, c. VIII, Roma, § 23, pag. 132.—Et confirmari et illustrari possunt iis, quae Polancus *ex com.*, Patri Laynez scribebat 17 Dec., post acceptas Portugalliae Regis litteras, et iis, quas eadem die ipse Polancus misit Patri Andreae de Oviedo Neapolim. Vide etiam infra n. 44.

et, ut responsio ejusdem Archiepiscopi significavit et gratiarum actio, pergratum fuit quod P. Ignatius ei scripserat et in hoc negotio curaverat [1].

22. Fermo, civitate Piceni, complures sacerdotes, qui reformationi suae ac profectui spirituali vacare serio cupiebant, Patri Ignatio semel atque iterum et tertio scripserunt, magno animi affectu aliquem e Societate nostra postulantes qui eos in iis, quae ad suam et proximorum utilitatem spiritualem facerent, instrueret ac regeret, cui obedientiam omnes praestare se velle prompte offerebant. Sed P. Ignatius comprobans et laudans pium hoc ipsorum institutum, et orationes offerens, excusavit alicujus ex nostris missionem propter varias Societatis occupationes, libenter ad tempus eis gratificaturus, si potuisset; et ad aliquem inter se eligendum, cui reliqui obedirent, et a quo ad christianam perfectionem, ut optabant, dirigerentur, hortatus est.

23. Ravennae Vicarius ac suffraganeus, Episcopus Termolensis, scripsit etiam P. Ignatio quantopere unum vel alterum de Societate ad cleri Ravennatis institutionem et exemplum, et populi utilitatem, expeteret: cives etiam Ravennates omnia necessaria pollicebantur. Sed ne his quidem satisfactum est [2]; nec oppido Montis Leonis in Calabria, quod ad vitae reformationem per litteras aliquem de Societate nostra expetebat. Neque enim tam late patere poterat nostrorum opera, propter eorum paucitatem, quam late sese sparserat bonus Societatis odor. Ipse etiam Cardinalis Moronus, cum Novarae Episcopus esset, ad suae dioecesis profectum inducere Societatem nostram in eam ecclesiam cupiebat, ut suis litteris hoc anno Novarae datis significavit: cum tamen P. Ignatius respondisset et sine detrimento aliorum collegiorum et piorum operum, quae Societas amplexa fuerat, non se habere idoneos operarios affirmaret, quos Novaram ad inchoandum collegium transmitteret, excusationem Cardinalis admisit, et sui desiderii executionem in aliud tempus, cum Societati commodum esset, rejecit.

---

[1] Ignatii litteras ad Dnum. Ferdinandum de Valdes, Hispalensem Archiepiscopum et Supremum in Hispania fidei Inquisitorem habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 169.

[2] Rescripsit tamen 12 Februarii Ignatius Ravennatensibus Magistratibus, seu Magnificis Dominis Sapientibus *(Magnífici Sri. Savii)* et Suffraganeo Episcopo, eos in spem adducens fore ut brevi aliquis, licet ad paucos dies, Ravennam mitti posset.

24. Agebatur hoc anno de Episcopatu Viennae, per mortem Frederici Nauseae, pastoris, solatio destitutae, P. Canisio conferendo [1]; et cum ea de re Nuncius Apostolicus ad P. Ignatium scripsisset (nam sine ejus voluntate Rex Romanorum Ferdinandus expertus erat in Trigestina ecclesia quod non facile a Sede Apostolica posset obtinere), ut alicui ex nostris hujusmodi curam admittere juberet, rescripsit P. Ignatius eidem Nuncio Apostolico, ut sibi omnino persuaderet non expedire ut de hoc negotio ageretur, cum nullo modo ad Dei obsequium id convenire certissimum haberet, et nos in nostro humili statu prorsus relinquendos; et satis insinuavit, si rem urgerent, se cum Summo Pontifice id ipsum acturum, quod cum ejus praedecessore in Trigestino Episcopatu egisset, et deinde Nuncio obnixe supplicavit, ne ulterius in hoc negotio progrederetur, quod vir optimus et Societatis amantissimus sic fecit [2].

25. Cum autem videretur subtimere Rex Romanorum ne aliquis ex doctoribus, qui Viennae nostro in collegio agebant, ad alium locum ablegaretur, ipsius nomine Dominus Didacus Lassus de Castella, legatus ipsius, P. Ignatium est allocutus; qui eumdem D. Didacum Lassum certiorem fecit, quod sine beneplacito Regiae Majestatis neminem illorum inde esset evocaturus; quin potius alios ex his, qui in Collegio Germanico instituerentur, mittendos in ditionem Regis significavit. Hanc tamen nactus occasionem, ad stabiliendum reditibus perpetuis Viennense Collegium, instruxit eumdem D. Didacum [3] ut ad Re-

---

1 Rectius BOERO: "Nell' Aprile del 1553, restò vacante la sede di Vienna per la morte di Cristoforo Wertweino, succeduto non più di quattordici mesi prima a Federigo Nausea, prelato di molta virtù e dottrina. Or mentre si agitava l' elezione del nuovo pastore, e per la scarsezza di uomini adatti al bisogno ne andava a lungo il trattato, cadde in mente a Brucardo Van den Berg, canonico della madre chiesa di Sto. Stefano, di proporre il Canisio.. *Vita del B. Pietro Canisio*, lib. II, § XIII.—Haud tamen erravit Polancus dum ait Viennensem Ecclesiam solatio destitutam (verba sunt *Actorum consistorialium)* per mortem Friderici Nauseae, pastoris; Christophorus enim Wertwein Viennensis Ecclesiae administrator tantum fuit.—Animadverte etiam Christophorum, juxta BOERO, obiisse mense Aprili; juxta GAMS vero mense Majo, die vigesima (20. V).

2 Ignatii litteras ad Hieronymum Martinenghi habes in *Cartas,* t. III, pag. 281 et 417. Inibi, sicut et in apographo Roma ad nos misso, irrepsit error aliquis, haud quidem gravis sed notatu dignus, quem per litterarum adversaria a Polanco exarata emendare nunc lubet. Habebat apographum: "faccio certa V. S. Reverendissima che non desiderando noi altro nelli particolari e nel *Capo* universale della Compagnia.....„; ubi in adversariis est: "faccio certa V. S. Reverendissima che non desiderando noi altro nelli particolari e nel *corpo* universale della Compagnia.....„

3 Rectissime hic ait Polancus *instruxit*, non *rogavit* aut *injunxit* aut quid simile. Litteras enim, quas proprio nomine ad Romanorum Regem daturus de hoc negotio

gem, non P. Ignatii nomine, sed suo, scriberet, curandum esse Suae Majestati ut collegium illud stabile reditibus perpetuis redderetur. Cum enim ex variis locis Societas evocetur, et domus atque reditus ei offerantur, si ab hac vita P. Ignatius migraret, timeri posset ne qui succederet ei, cum non videret dotationem Viennensis Collegii bene constitutam, inde nostros ad alia loca abduceret, in quibus commodior dotatio offerretur. Nec id nocuit ad Viennensis Collegii fundationem melius stabiliendam [1].

26. Sed de auxiliis quae P. Ignatius variis collegiis curabat, si quid amplius dicendum videbitur, quando de ipsismet collegiis agetur, opportune id fiet. Hoc tamen dicam, quod in magnatibus quibusdam, vel conciliandis, vel in benevolentia erga Societatem retinendis per litteras, diligens erat, cujusmodi sunt principes saeculares utriusque sexus, et ecclesiastici, tam Cardinales quam Episcopi, et in eo non parum operae ponebat; referre enim plurimum arbitrabatur, ut hujusmodi amicitia, ad pios conatus Societatis promovendos, conservaretur vel etiam augeretur, quod multae ipsius litterae ad hoc genus hominum missae, tam in Portugalliam et Hispaniam, quam in Galliam, Germaniam, Italiam et Siciliam, testantur [2].

27. Cum autem intellexisset P. Ignatius nimium jumentorum usum, in Portugallia et Hispania, aliquid paupertati atque humilitati Societatis detrimenti afferre posse, per litteras P. Natali, Commissario in illis provinciis, injunxit ut curaret nec Provincialem Hispaniae (licet parum prospera valetudine uteretur), nec etiam Portugalliae, proprium ullum jumentum habere; sed si quando equitare opus esset, ut collegia de jumentis hujusmodi, mutuo acceptis vel conductis, usque ad locum Societatis, quo se Provincialis conferret, providerent; si tamen propter magnitudinem Hispaniae et infirmam Patris Araoz valetudinem, propter quam pedes iter conficere non posset, nec conductitiis jumentis uti, visum esset eidem P. Natali expedire ut

---

erat ejus Legatus, ipse concinnavit et descripsit Ignatius, ut in hujus litterarum adversariis apparet et videbitur in *Nova serie* operis *Cartas de San Ignacio*.

[1] Vide infra, n. 573.

[2] Probe id noverat Polancus, qui tot hujusmodi litteras scripsit, non eas solum, quae plurimae sunt, quas *ex Ignatii commissione* proprio ipse nomine subsignabat, sed eas etiam quandoque, quibus nomen suum subscribebat Ignatius.

unum vel alterum jumentum hujusmodi ad tempus proprium haberetur, hanc rationem quasi mediam iniri posse, ut aliquod collegium hujusmodi jumentum proprium haberet et eidem Provinciali mutuo daret, cum ille opus haberet; et hujusmodi unum vel alterum jumentum in aliis ministeriis ad collegii utilitatem occupari posse, cum non ad iter conficiendum esset necessarium.

28. Non omittam quod hoc anno valde notatu dignum Romae accidit. Versabatur Romae P. S. [1] eo tempore quo Magister Petrus Sylvius domi nostrae morabatur; et spiritu non recto, a P. Ignatii devotione aversus, ad suam trahebat, et ut se ipsi dederet palam hortabatur; quod cum ille facere coepisset, in morbum paulo post incidit tam acerbum, ut quodammodo stupidus velut truncus insensibilis efficeretur; sed cum, usum rationis recuperans, quod male egerat agnosceret et emendationem proponeret seriam, statim sanus effectus est, ut prorsus non naturali ratione aegrotare aut convaluisse, sed potius supernaturali, videretur; ille etiam, qui hortatus ipsum fuerat ut ipsi se dederet, melius de ipso [2] sentire coepit [3].

29. Hoc anno Magister ille Jacobus qui, Lovanio profectus, Viennam et inde Romam venerat, et Magister Antonius Marinus theologus, qui a Societate defecerant, in eamdem magna cum cognitione sui erroris redierunt; sed neuter diu in ea perseveravit; et experientia plane docuit raros esse ex iis, qui semel a Societate cum culpa gravi defecerunt, qui, licet resipiscere videantur et redeant, in religione tandem perseverent [4].

---

1 Prima et ultima cognominis hujus litterae olim exaratae exstabant, sed lineis super ductis obrutae sunt ne legi possint.

2 Ignatio.

3 Mutatio haec seu turbatio Petri Sylvii, qui Romae "era stato irreprehensibile„, incoepisse videtur Florentiae, quo Augusto mense ineunte ad Patrem Laynez missus fuerat, ut habent litterae Patri Laynez missae 19 Augusti. Remissus autem fuit Romam statim, unde haec Polancus, *ex com.*, scribebat Patri Laynez: "Mtro. Pietro Sylvio gionse hieri verso il tardo et fu posto nella sacristia, insino a tanto che si confessi, che serà domattina, et dopoi si vederà come si habbia a procedere con lui; pur io spero ogni bene.....„ 26 Aug. Et paulo post, sc., 2 Sept.: "Pietro Sylvio si è aggiutato e fatto in casa una disciplina publica, et eletto diverse penitenze; qui va una sua per li fratelli di Fiorenza.„ Et tandem 9 Dec.: "El P. Mtro. Cesare (Aversano), Rettor de Módena, se nos ha ido al cielo, y el Comisario estaba tan malo que ha sido menester sacarlo en letica de Módena. *Acá también tenemos muy al cabo á Mtro. Pedro Silvio.*„

4 Quae sub hoc n. 29 continentur, ad oram paginae, textui inserenda, scripsit manu propria Polancus.—Hic ille Jacobus Aldenardus est, de quo supra, t. II, ann. 1551, nn. 245 et 247, et ann. 1552, n. 383, ubi etiam de Antonio Marino fit sermo.

30. Qui Rector Romani [Collegii] fuerat, P. Bernardus Oliverius, cum morti vicinus esset, et ad ethicam properare videretur, cum socio, sub initium Octobris, in Flandriam usque missus, et valetudinem recuperavit et egregiam operam Societati praestitit.

31. P. Olave, hujus anni initio, Tybure versatus est et concionibus ac confessionibus illa in civitate aliquandiu dedit operam; sed Romam postea evocatus et aliquandiu domi versatus, Cardinali Sanctae Crucis id expetente, pridie Kalendas Julii visitator Eugubium et Perusium missus est. Quia tamen Ariminensis civitas, ut superius dictum est, collegium Societatis postulaverat, visum est P. Ignatio, cum jam Romam ad studiorum renovationem esset evocandus (nam de iis, quae Eugubii egit ac Perusii, cum de illis collegiis agetur dici poterit), ut Ariminum se conferret, quo cum pervenisset mensis Septembris initio, divertit apud D. Joannem Baptistam Modestum, virum juxta suum nomen modestissimum et erga Societatem maxime affectum, cujus domus nostrorum hospitium erat. Concionatus est in cathedrali ecclesia, cum Vicarius et cives id peterent, tribus continuis diebus, et nobilissimi quique et frequens admodum populus eum audierunt.

32. Scribit autem D. Joannes Baptista Modestus ad Priorem SS. Trinitatis haec verba, quae describenda mihi hoc loco visa sunt. "Misit P. Ignatius Doctorem Olave ad civitatem hanc invisendam, ut videre posset quomodo sanctis desideriis ejus adducendi religiosos Societatis Jesu in suam civitatem [satisfieri] posset; ter concionatus est, scilicet, ipso die Nativitatis B. Virginis, et sabbato ac dominica sequentibus, idque tanta cum satisfactione et aedificatione quantam unquam haec civitas sensit. Omnibus videbatur (ut est) quidam apostolus Domini. Concilium autem coëgerunt ipso die dominico, et constituerunt ut locum ad ipsius electionem fabricarent et ei de omnibus necessariis providerent; et hoc tanta cum promptitudine et ardore charitatis, ut nihil in hac civitate unquam propositum fuerit, quod cum majori sit constitutum. Electi autem fuerunt aliqui ex primariis civibus ut haec executioni mandarent." Haec ille Ariminensis canonicus.

33. Scribit autem ipse P. Olave quod, antequam in concilium irent (quod ex centum et triginta personis conficitur), uni

eorum declaravit conditiones eas, quae ad unum collegium Societatis instituendum exigebantur, ut Societati nostrae commodum esset illud amplecti, et quanti esset momenti ad spiritualem utilitatem populi promovendam ut, praeter habitationis commoditatem, id constitutum et certum habeant, quod ad victum et vestitum esset necessarium; et quod experientia docuerat P. Ignatium hoc necessarium esse, et ita decreverat ad nullum locum collegium mittere donec de his securus factus esset. Et ita vir ille, a P. Olave instructus, in concilio declaravit. Omnes tamen, nemine discrepante, decreverunt ut locus ille in collegii usum pararetur, qui Doctori Olave visus esset, et ut civitas teneretur aedificare quidquid ad usum Societatis opus esset et abundanter omnia necessaria tribuere; et hoc decretum aliqui ex primoribus ejus concilii ad Doctorem Olavem retulerunt, verba adhibendo magnae gratitudinis et gratiarum actionis; et die sequenti quinque loca ei ostenderunt, ex quibus unus eligeretur (de quibus verbo cum P. Ignatio Pater Olave acturus erat), priusquam Arimino recederet. Aliis etiam in locis concionari debuit cum eo successu, quem bonus Pater, ut scribit, numquam sperasset; et ita ultimo die Septembris rescripsit P. Ignatius civitati, gratias ei agendo et suam operam illis offerendo, ut superius dictum est [1].

34. P. Bobadilla in variis missionibus hoc anno se exercuit, et ejus arbitrio relictum est ut ibi concionaretur, ubi judicaret magis expedire; et inter caeteras ad visitandam dioecesim Montis Flasconis in gratiam Episcopi missus est; et utiliter eo munere perfunctus, ab Inquisitoribus Urbis in Marchiam Anconitanam ut Commissarius Sancti Officii missus est, ut libros judaeorum et haereticorum, christianae reipublicae perniciosos, investigaret et comburendos curaret. Cardinalis etiam Carpensis, Societatis protector, ipsi etiam commendavit ut, ad sacram domum B. Virginis Lauretanae se conferens, clerum illum visitaret [2].

---

[1] Ignatii litterae in *Cartas*, t. III, pag. 301 et 428. Vide supra, n. 2, pag. 6.

[2] Ignatius Rmo. Achilli Grassi, Episcopo Montis Flasconis seu Falisci, offerens Patris Bobadilla operam, 9 Sept. Litteras has comitabatur sequens Patris Bobadilla descriptio, quam huc transcribere operae pretium visum est: "Post scritta.—Darò alcuna notitia a V. Sria. della persona che si manda, acciò meglio si possa servire di lui; il quale è uno delli dieci primi che si congregarno in questa Compagnia et huomo di molta dottrina et essemplare et essercitato in governo di Vescovati, essendo stato in

35. His ergo officiis per aliquot menses fuit occupatus, et, tam Anconae quam in nundinis Recinatensibus, haereticorum et judaeorum libros plurimos diligenter conquisitos, et inter eos Talmud libros combussit, Alexandro Francisco, olim hebraeo, egregiae pietatis viro, adjuvante. Nec solum de libris agebat, sed de aliis etiam ad haereticos pertinentibus, prout illi ab Inquisitoribus injungebatur. Ter nihilominus in hebdomada, in templo B. Virginis Lauretanae, casus conscientiae et quae ad instructionem cleri pertinebant, legebat, et spiritualia etiam exercitia quibusdam saecularibus proposuit, et cum Doctore Gasparo de Doctis, S.tae Domus gubernatore, ita se gessit, ut in magna sententiarum diversitate, unionem tamen animorum retineret.

Et haec dicta sint de rebus ad romanam Societatem pertinentibus.

---

36. Illud tamen addam, quod, cum intellexisset P. Ignatius non observari in Italia quod praescripserat, ne scilicet scholarum magistri sua manu pueros caederent, in virtute obedientiae [injunxit] omnibus, qui scholis in Italia praeerant, ne quis aliquem discipulum per seipsum castigaret, sed correctorem diligenter curarent, qui hoc officio puniendi fungeretur, etiamsi, uno ex nostris scholasticis dimisso, ejus loco corrector alendus esset, illud, scilicet, stipendium ei dando, quo unus ex

---

quello di Bisignano, Rosano et altri, et Dio N. S. si è servito in tutti questi luoghi non poco di lui. Etiam è uso a predicare et leggere, benche li serve più la dottrina che la lingua italiana; in sentir etiam confessioni et insegnare alli più semplici la dottrina christiana, et finalmente nelle opere pie che a V. S. pareranno, si potrà servire di lui secondo le sue forze, benche non sia troppo sano.„

Sed ante haec tempora jam actum erat de Patre Bobadilla in Valtellinam mittendo. "Con tutto questo vogliono tuttavia (li Rmi. Sri. Inquisitori) che doi delli nostri vadino alla Valtellina per quella impresa della quale si cominciò a parlare essendo in Roma il Cardinale (di Santa Croce), et questi doi, se riguardiamo il Breve di Sua Santità sono il Mtro. Bobadilla et Mtro. Andrea Galbanello sopradetto, et come al principio, benche fossino questi doi nominati, vuolse il Cardinale si mandasse un' altro con Mtro. Bobadilla oltra di Don Andrea, fece disegno Nostro Padre di mandar Mtro. Oliverio et adesso realmente lo voleva mandare.„—Pontificii Brevis, de quo hic et alibi saepius fit mentio, nulla exstat memoria in opere *Acta S. Sedis in causa Societatis Jesu,* nec in *Actis consistorialibus PP. Julii III.*

nostris sustentari solebat; vel aliam rationem inirent ad scholares corrigendos, cujusmodi esset ut unus maturior ex scholasticis, qui alios posset caedere, [constitueretur].

37. Hoc anno P. Ignatius libros Savonarolae, quos domi invenit, comburi jussit, cum ejus spiritus, Sedi Apostolicae rebellis, ei nullo modo probandus videretur, quamvis multa bona diceret [1].

38. Hoc anno Magister Benedictus Palmius et Mag. Petrus Rivadeneira in via publica, *Banchos* vocant [2], concionati sunt saepe; et, quamvis in templo nostro (ubi etiam concionabantur) frequens auditorium haberent, frequentius et nobilius in via publica habuerunt; et, quamvis mercatores et id genus hominum, qui solent ad eum locum convenire, satis durae cervicis esse solent, tantopere conciones gustabant, ut suggestum in via publica parare concionatoribus suis vellent, qui, scamnum aliquod conscendentes, eo munere fungebantur [3].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Caesari Helmi, Venetias: "Circa il Savoranolla *(sic)*, la causa di proibir suoi libri non è perche non siano buoni alcuni, come il *Trionfo della Croce* ed altri: ma perche l' authore è esposto a controversia: chi lo tiene per santo, chi lo tiene meritamente brucciato, e questa è più comune opinione. E così la Compagnia, essendovi tanti libri di authori buoni senza controversia, non vuol si tenga nelle mani author controverso. Non li condena però nè li biasima. E questo potrà V. R. rispondere a chi li dimandarà la causa perche si sono strasciati *(sic)* detti libri....„ 23 Dec.

Controversia, de qua hic est sermo, quaeque initium, aut incrementum saltem, sumpsisse videtur ex iis, quae anno 1543 in lucem edidit Ambrosius Catharinus, semen exstitit magnae illius controversiae, quae plurium theologorum ingenia exercuit, cum (verba sunt nonnihil acerba R. P. F. Jacobi Echard) "anno MDLVIII, delatis ad Romanae Inquisitionis tribunal Hieronymi Savonarolae operibus, allatrantibus ceu in lupum omnium fere ordinum familiis, Franciscanis, Carmelitis, Augustinianis, Ignatianis, Paulo ipso IV vehementius in Savonarolam accenso, Giannerinus *(erat is O. P. Sacri Palatii Magister)*, Hieronymi doctrinam aperte propugnare ausus est coram Cardinalium congregatione eo de negotio a Summo Pontifice instituta.„ *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, t. II, pag. 167, ubi de P. Petro Paulo Giannerino.

[2] apud argentarios, Urbis loco percelebri.... ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, l. XIII, n. 6.

[3] Haec ita Oliverius Manareus: "Idem Pater (Benedictus Palmius), ut magno erat zelo praeditus, cum P. Petro Ribadeneyra, qui zelo, si non pari, at non dissimili fervebat, conciones habebat per vices in praecipua et frequentissima platea Urbis, B. Patre N., quod ea tempora id non tam paterentur quam expeterent ob diluvium peccatorum, quo totus fere mundus obruebatur, approbante. In ea platea habitabant praecipui mercatores trapezitae, ac proinde multi etiam hodie esse solent, qui totos pene dies in eis plateis, vel ambulando, vel stando, vel sedendo otiose transmittunt. Hi ergo Patres, ut otium illud vel vana colloquia tollerent et tempus melius esse collocandum docerent, per aliquot menses ibi habuerunt conciones spiritu plenas, stantes super aliquo vel saxo vel scamno, multorum millium hominum concursu.„ *De Rebus Societatis Jesu Commentarius*, c. VIII, §13, pag. 127.—Et Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio, 9 Sept.: "Di qua stiamo sani per la divina gratia, et si attende alli soliti essercitii, benche Mtro. Benedetto e Mtro. Pietro Rivadeneira hanno aggiunto un' altro, il quale è di pre-

39. Tam multi autem hoc anno ex variis locis evocati sunt ut cursus artium et theologiae aggrederentur, ut sub initium Octobris fere quadraginta (praeter novitios admissos) ex ipsa Societate novi in Urbem convenerint; et, cum eo anno etiam divites penuriam Romae sentirent, tam multos suae familiae addere non dubitabat P. Ignatius, fidei ac spei tantum reditibus innixus. Ex iis autem septem ad sacerdotium hoc anno sunt fere simul promoti, scilicet, PP. Benedictus Palmius, Petrus de Rivadeneira, jam dicti, et Joannes Rogerius, Sebastianus Romaeus, Joannes Baptista Velati, Raphael Riera et Renatus Fugelierius [1].

40. Hoc etiam anno sacerdos quidam calaber, Joannes del Mèrcado nomine, qui P. Ignatio, ex quodam affectu plus satis animali, bellum per calumnias gravissimas initio Societatis, scilicet, paucos post ejus confirmationis annos, inferre velle videbatur, deprehensus est in gravibus ipse delictis, et propter ea (Societate tacente) damnatus, et in perpetuum Roma ejectus fuit [2].

---

dicar nelli banchi; il che fanno con auditorio maggiore et più qualificato che in chiessa, benche sia tutta piena ordinariamente; et con esser questa terra, et massime quel genere di persone, di tanto dura cervice, pur si edificano notabilmente, et si vede già frutto, et si spera anche maggiore nell' anime loro; in modo che etiam le lingue prompte al mormorare non hanno luoco, vedendosi la riuscita che da Iddio Ntro. Signore a questo suo zelo santo.„

[1] Die octava Decembris hujus anni ad sacerdotium promoti sunt septem: "Mtro. Benedicto, el predicador, y Rivadeneira. Los otros son Mtro. Rogerio y Renato, franceses; Mtro. Sebastiano y Mtro. Baptista de Jesu, italianos; y Mtro. Raphael Riera, catalan. En manera que no hemos tenido carestía de misas nuevas estas fiestas.„ Ita Polancus Patri Salmeron die 30 Dec. Quae verba cum verbis *Chronici* si conferas, colliges unum eumdemque esse Joannem Baptistam de Jesu ac Joannem Baptistam Velati. Qui autem hic Fugelierius, saepius et, ut videtur, rectius nominatur Fuselier.

[2] De hoc ita Polancus, *ex com.,* Patri Alphonso Salmeron, 23 Sep.: "Di Giovanni del Mercato credo che V. R. sa la sua historia, et perciò non la dirò io. E sbandito di Roma perpetuamente. Dio li faccia bene et li dia gratia di vivere in suo santo servitio meglio che ha fatto fin qua.„—Eritne hic ille Joannes Torano, Sancti Joannis de Mercato regionis Campitelli rector monialium monasterii Catechumenorum, de quo post Rivadeneira: *Vida de San Ignacio,* lib. III, c. XIII, agit Joannes Pinius, *Acta SS.,* mense Julio, t. v. De Sancto Ignatio, *Comm. praev.*, n. 401? Nos certi nihil affirmare possumus, quia nec judicis in hac causa sententiam, nec alia, quorum in eo loco meminit Pinius, reperire adhuc valuimus.

DE COLLEGIO TIBURTINO

41. Perpauci ex nostris Tibure versabantur; duo tamen ibi sacerdotes extiterunt, et scholae apertae, nec scholasticis destitutae fuerunt; nam fere centum habebat P. Desiderius, quamvis major pars infimis documentis esset imbuenda, et pauci ad superiores lectiones essent idonei. Et licet deliberasset tam multos non admittere, parentum tamen pia importunitas ejus deliberationem expugnabat; magis etiam obedientes, progressu temporis, et morigeri efficiebantur [1]. Et tam eorum quam aliorum confessionibus, et interdum concionibus atque exhortationibus, communi bono [nostri] inserviebant.

42. Transivit Tibure [2], cum ibidem adhuc versaretur anni hujus initio P. Olave, et, quamvis cives valde timerent, satis modeste hispani milites se gesserunt, quamvis albanenses quidam equites uni vel alteri civium aliquid incommodi attulerint. Tres milites, morbo oppressi, Tibure relicti sunt, quorum unum P. Olave, sacramentis et piis exhortationibus munitum, ad migrandum ex hac vita bene disposuit; duos alios quodam in loco relictos, ubi necessaria eis non suggerebantur, in commodiorem locum transferendos curavit, ubi corporalia et spiritualia auxilia eis non deessent.

43. Quemdam a daemone obsessum P. Desiderius per exorcismos ad sanam reduxit et magna afflictione per Dei gratiam

---

[1] Vide supra, ann. 1552, n. 249, in t. IV, pag. 517.

[2] Desideratur hic verbum *exercitus* aut quid simile. Videtur autem is fuisse exercitus Garciae de Toledo, Pro-regis Neapolitani filii, qui ad bellum Senense properabat. "Parimente per terra era partito D. Grazia *(sic)*, suo figliuolo, con mille cavaleggieri e quattrocento lance del Regno, e ottomila fanti, fra li quali erano i dumila Tedeschi, quali poco innanz vi haveva portati il Doria, e dumila Spagnuoli, e per terra di Roma se ne veniva inverso Siena." G. B. ADRIANI: *Storia de suoi tempi*, l. IX, an. 1552. G.— Non tamen ipse Dux, nec forte totus ejus exercitus, Tybure transivit. Ait enim SCIPIO MICCIO: "E fatto luogotenente Don Garzia, suo figliuolo, lo mandò per terra con dodicimila valorosi soldati Spagnuoli, Italiani e Tedeschi, il quale se partì nel principio del Gennaio dell' anno 1553. Passò per le terre di Santa Chiesa pacificamente; e arrivando al fiume (Tevere) sotto Monte Rotondo, passaron per lo ponte che Papa Giulio III avea fatto fare per la passata di quell' essercito. Don Garzia di passo entrò in Roma, con molti cavalli, a bacciar il piede di Sua Santità: passò poi por Monteroso e Sutri, e finalmente entrò nel territorio Senese." *Vita de Don Pietro di Toledo,* cap. XLIII.

liberavit: aliis etiam hujusmodi suam operam praestitit. Doctrina etiam christiana pro more docebatur.

44. Nullum habebant locum intra urbem nostri, sed in conductitia domo habitabant, et in aliena ecclesia adhuc et Missas dicebant et sacramenta ministrabant. De Sancti Clementis et Sancti Pauli ecclesiis Societati applicandis actum est; sed nec admodum convenire videbantur, nec haberi, sine incommodis non paucis subeundis, poterant. Quamvis autem spiritualis fructus et in scholis et in populo cresceret per ministeria Societatis, romana tamen Societas quae ad vestitum pertinebant, et ex parte quae ad victum, nostris, qui Tibure agebant, providere debuit [1].

DE COLLEGIO EUGUBINO

45. In Eugubino Collegio res hoc anno sic habuerunt: primis mensibus anni, rogatu magistratuum scholas Collegium nostrum ipsius communitatis habuit, et post disputationes tribus in classibus lectiones sunt inchoatae. Scholastici super centum erant ex his qui, paulo provectiores, lectiones audire poterant. Totidem fere parvuli nostris dare operam cupiebant, sed eos non admittebant donec correctorem [2] civitas providisset, qui eorum docendorum curam peculiarem haberet; nam legere et scribere docendi erant; quae autem ad christianam doctrinam pertinebant, nostri se docturos receperant. Quamvis autem scholastici satis militares erant, ad instituti nostri rationem sese paulatim accommodabant. Quamvis autem tres essent scholae distinctae, quod ad praeceptores et scholasticos attinet, locus nihilominus unus erat in tres partes distinctus: triginta in prima, quinquaginta in secunda, septuaginta et am-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Desiderio fuse narrat quae Romae hoc tempore de Patriarcha et duodecim aliis Sociis in Aethiopiam mittendis agebantur, et, hac arrepta occasione, eum hortatur ut Tyburtinum Collegiolum, ubi tam difficilem vitam egerat, deserens, cum suis Romam post festa Natalitia se conferat; forte enim ipse Desiderius aut sociorum ejus aliquis eligetur, qui in Aethiopiam mittatur, 22 Dec.—De hac domus Tyburtinae penuria et de mediis ad eam tollendam etiam scripserat 13 Sept.

[2] Sic, sed sensus exigere videtur ut scribatur *praeceptorem*.

plius in tertia erant, et paulo post ad centum et sexaginta omnes ascenderunt, quorum confessiones nostri audiebant.

46. Quamdiu correctorem non habuerunt, non sine difficultate in officio continebantur; et difficile correctorem inveniri posse experientia docuit, quod pueri indomiti et feri admodum essent, et soliti aliquando alii alios occidere. Tentarunt quidem nostri, cum praeceptum P. Ignatii acceperunt de non puniendis per seipsos pueris, per alios scholares provectiores eos castigare; sed qui caesi fuerant, cum armis aliquando ad scholam veniebant, ut, quam injuriam putabant, illatis vulneribus ulciscerentur; et ita ea ratio castigationis teneri amplius non potuit.

47. Non deerat ipsis ingenium, quod videri potuit, cum specimen aliquod publicum dare oportuit. Pronunciabant enim egregie, et cum novi magistratus rogassent P. Oliverium ut orationem conficeret, quae pro more in novo consulatu haberetur, postquam unus ex nostris eam cum admiratione auditorum recitasset, unus discipulorum, kalendis Aprilis, aliam pronunciavit, quae eo gratior fuit quod statim duo alii pueri versus quosdam concinne recitarunt; et eorum alter tam suaviter cecinit saphicos quosdam, ut mirum in modum civibus, etiam litterarum expertibus, placeret [1].

48. Omnibus tamen expensis, fructus scholarum magnus non erat, quod pueri ac adolescentes studiosi minime erant, nec corrigi poterant; immo nec eorum parentes aequo animo castigationem filiorum ferebant, et accidebat ut aliquando magistris ipsis aut verbis aut armis resisterent. Postquam autem civitas suum praeceptorem publicum pro more in civitatem adduxit (nam nostri, ad tres menses tantum vel quatuor rogati, suam operam in scholis publicis civitati navaverant), bona pars scholasticorum ad illum translata est, et fere ad septuaginta apud nostros in privatis scholis manserunt, quos parentes ipsorum et adducebant et commendabant nostris.

---

1 Praefectus fuit Septembri mense scholae rhetorices Joannes Antonius Viperanus, Messanensis, cujus carmina adeo placebant ut Romam etiam ad Ignatium et in Siciliam mitterentur, quod ex Polanci litteris 30 Dec. hujus anni datis eruitur.—De hoc Viperano, qui anno 1559 a Societate defecit, videri potest AGUILERA, *Provinciae Siculae Societatis Jesu ortus et res gestae,* cap. I, n. XLI, et cap. V, n. XXXIII, partis primae; MONGITORE, *Bibliotheca Sicula;* TOPPI, *Bibliotheca Napolitana;* NICERON, *Memoires,* etc., etc. Vide etiam infra, n. 427.

49. Necessaria ad victum ac vestitum illis octo, qui Collegium hoc conficiebant, commode Cardinalis suggerebat [1], quamvis ad supellectilem librorum justam multi deessent; incommode tamen admodum cedebat, quod nec propriam domum nec templum nec scholas habebant. Cum enim in quadam parte domus episcopalis ipsi habitarent, in cathedrali vel aliis in ecclesiis Missas celebrabant, et verbum Dei proponebant, et sacramenta ministrabant; sed et scholae in diverso loco tenebantur. Non exigua diligentia adhibita est ut commodus aliquis locus inveniretur; sed nullus omnino inventus est, praeter quemdam, de quo inferius agemus.

50 Injunxerat Cardinalis ut nostri per loca illius dioecesis egrederentur, quod dominicis et festis diebus, a prima dominica inchoando, facere incoeperunt P. Oliverius cum Magistro Joanne Baptista [2]; nam profestis diebus scholae vacabant. Ad pagum ergo quemdam prima dominica, ut dictum est, egressi, Magister Baptista concionatus est, et P. Oliverius triginta fere confessiones audivit, ex quibus aliquae confitentibus summopere necessariae fuerunt. In vigilia D. Matthaei ad oppidum quoddam magnum se contulerunt, Frata vocatur, duodecim millia passuum Augubio distans, ubi triduo substiterunt, et Magister Baptista ter concionatus est, et, post secundam concionem, magistratus eum adivit rogavitque ut ad quadragesimam jam inchoatam ibi manere vellet; et, cum negaret se sui juris esse, nuncium ad Vicarium miserunt, ut eum obtinerent, quod tamen non obtinuerunt; et in recessu, et verbis et muneribus, animi sui gratitudinem ostenderunt. Eisdem diebus P. Oliverius, post Sacrum, tempestive dictum, usque ad noctem, a sede illa se non movens, confessiones audiebat, et multorum animas afflictas consolatus est; complures enim suas confessiones apud eum iteraverunt, quod plurimis annis suae conscientiae parum satisfecissent; deprehensum enim est, ob sacerdotum ignorantiam, complures in peccato mortali superioribus annis communicasse. Sequentibus dominicis diebus, ad alia se loca

---

[1] Haud ita commode sub anni finem, postquam recessit Cardinalis, suggesta haec fuisse videntur; nam aegrotarunt plures, Raynaldus, Simon, Michaël, et in aegritudinis remedium injunctum est Patri Alberto, Rectori, ut meliorem panem, melioremque carnem, quam caeteris praebebatur, pro aegrotantibus quaereret, 30 Dec.

[2] Joannes Baptista Velati, qui saepe suum nomen subscribebat sic: Joannes Baptista de Jesu. Vide supra, pag. 25, not. 1.

conferentes, in similibus ministeriis dioecesim illam juvare conati sunt.

51. Conciones Magister Baptista, partim in cathedrali templo, partim in ecclesia monasterii Servorum, partim in variis monasteriis, concionatus est; et, quamvis frequens mulierum haberet auditorium, viros paucos habebat; ut enim ajebat Cardinalis, hujusmodi est illorum hominum ingenium, ut, nisi inaudita quaedam, et quod prius non audierint aut intellexerint, illis dicerentur, vel aliquis insignis fama concionator hoc apud illos munere fungeretur, eum audire nolebant; et quia quaedam ad devotionem B. Virginis excitandam Magister Baptista in concionibus dicebat, quasi per contemptum Cardinali aliquis eorum referebat, quod *Salve Regina* praedicaret. Observavit tamen P. Olave et retulit Cardinali quam egregie hoc concionandi munere Baptista fungeretur, quod et in ipsa ecclesia Abbatiae aliquando concionatus ipsemet ostendit. Sed cum populi curiositati non posse satisfieri visum esset, expedire judicatum est ut ad sua studia prosequenda sub autumnum Romam mitteretur, postquam simul cum P. Oliverio Vicarium in visitatione dioecesis esset comitatus [1].

52. Quod ad confessiones attinet, quinquaginta vel sexaginta spirituales foeminae, prima quaque dominica mensis P. Alberto confessae, communicabant, et ex illis aliquae octavo quoque die. Pueri etiam, cum ad centum et sexaginta ascenderent, messem confessionibus praeparabant. Aegrotantes in hospitali et ejus ministros idem audire solitus erat. Magistratus Urbis, *Consules* vocant, animi sui benevolentiam erga nostros magna cum humanitate prae se ferebant, et duos ex nostris in palatio in signum dilectionis mensa exceperunt; et cum carcerem P. Albertus invisere, et ibi detentos ad confessionem animare, et eosdem audire voluisset, die veneris sancti (ante quod tempus induci ad sacramenta non potuerant) hoc officio charitatis functus est; et cum duo illorum capite mulctandi essent, praefectus, quem Gonfalonierum vocant, intelligere a P. Alberto

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Alberto Ferrariensi, ejus animum erigens et ne propter exiguum concionum aliorumque ministeriorum fructum desperet exhortans, 9 Dec. Idem Patri Olavio, quoniam vanae Augubiensium curiositati satisfieri non potest per conciones fratris Joannis Baptistae de Jesu, seu Velati, ut hunc secum Romam ferat, cum ipse veniet, 5 Aug.

voluit quomodo se illi comparassent ad id quod animae saluti conveniebat praestandum. Suis etiam de rebus ipse conferre coepit, et postridie, per suum capellanum, rogavit ut ad eorum omnes confessiones audiendas accederet; et ita tam Consules quam Magistratum, quem *Potestatem* vocant ac *Viceducem* (sic enim vocant qui Ducis Urbini locum tenet), cum familiis ipsorum in confessione audivit, qui et rogaverunt eumdem Patrem ne desisteret a coepto charitatis officio erga vinctos, et eos praecipue qui capitali supplicio erant afficiendi; nihil tamen, quod magni momenti esset, ab his obtinere potuit, nisi pridie ejus diei qua capite plectendi erant; tunc ergo eorum etiam audivit confessiones (nam aliorum ibi in custodia detentorum confessiones jam audierat), nec eos deseruerunt nostri donec ultimum spiritum Domino reddiderunt, eos adhortando, et ad illum transitum, ut optime potuerunt, exhortando.

53. Ipso die veneris sancti cum multis audientium lacrymis Magister Baptista, rogatus ut concionatoris officium suppleret, per quatuor fere horas de Passione Domini praedicavit, et per duas hebdomadas ante Pascha, vix umquam nostris sacerdotibus usque ad noctem cibum capere licuit propter confitentium frequentiam; et extra hoc tempus, tam in urbe Eugubio quam in dioecesi, multae confessiones generales sunt auditae. Confluebant enim rustici etiam ex aliis locis ubi nostros esse audiebant, tum ut verbum Dei audirent, tum maxime ut per confessionem suas conscientias expurgarent. Aegrotantes autem saepe nostros evocare ad suas confessiones audiendas in privatis domibus solebant, adeo ut in consuetudinem quodammodo abiret, cum quis aegrotaret, ut medicus vel alii dicerent accersendum esse aliquem ex presbyteris reformatis (hoc enim nomine nostros vocabant), et diu noctuque huic charitatis officio obeundo P. Albertus promptum se exhibebat; et demum, quamvis valde inusitatum id esset, aliqui ad frequentem usum sacramentorum, octavo quoque die, non sine contradictionibus tamen, sunt adducti. Erant etiam qui gratias agerent Deo quod extra tempus quadragesimae verbum Dei possent audire, nam id novum prorsus erat, immo uno tantum in loco in quadragesima concionem haberi statuto quodam cautum erat; et quamvis extra tempus Paschae et Natale Domini non inveniretur quodammodo qui vel virum religiosum vel sacer-

dotem alloqui vellet, libenter cum nostris aliqui de rebus ad Dei obsequium pertinentibus agebant [1].

54. Idem P. Albertus, qui juris doctor erat, his etiam armis utebatur ad causam eorum agendam qui, in carceribus detenti, a quo juvarentur non habebant; unde minus mirum est si ea charitas etiam eorum animos, qui obstinatissimi videbantur, in carcere ad poenitentiam emollierit.

55. Quod ad monasteria attinet monialium, diligenter a Cardinali commendata, non solum exhortationibus et confessionibus ea juvare studuit, sed etiam cum Vicario eadem ingrediendo, multis eorum abusibus remedium adhibere curavit, quamvis fructum uberiorem merito ipse desiderasset [2].

56. Aliquot juvenes spiritualibus exercitiis exculti sunt et in eis non parum profecerunt. Erat itaque non exigua P. Alberti auctoritas, et, si quid dubitationis ortum fuisset in civitate, ad eum consulendum libenter accedebant. Cum autem Cardinalis Sanctae Crucis, postea Marcellus Pontifex, in suam illam Abbatiam, tribus passuum millibus distantem, hac aestate venisset, nostri ad eum salutandum venientes, summa cum humanitate ab eo excepti, et fratres ac socii ab eo appellati fuerunt, et suum erga Societatem studium multis argumentis eis declaravit.

57. Sub autumnum P. Oliverius Augubio revocatus est. Cum enim ad majora praestanda idoneus esse videretur P. Olavio Visitatori, facta est ei potestas a P. Ignatio ut, vel Romam ad prosequenda studia theologiae, vel Venetias ad laborandum in vinea Domini, se conferret; sed cum ille non suo sed obedientiae arbitrio moveri cuperet, Romam vocatus, Collegio Romano, a quo, propter adversam valetudinem, P. Bernardus in Flandriam missus fuerat, praefectus est [3].

---

1 Polancus, *ex com.*, Patri Martino de Olave: "Al Padre Mtro. Alberto V. R. darà animo di predicare, et io penso che non li mancarebbe ingegno nè modo, se si essercitassi, havendo correttor che lo admonessi quando manca." 19 Aug.

2 Polancus, *ex com.*, Patri Martino de Olave, de monasteriis Augubii, ut curet ea ad reformationem disponere per spiritualia exercitia, 29 Julii.

3 Polancus ad Olavium 5 Aug., *ex com.* Ex his aliqua, quae in magnam Manarei laudem cedunt et haec *Chronici* verba confirmant et explicant, lubet excerpere. "Del P. Mtro. Oliverio (Manareo) non si dubita che sia attissimo auditore di theologia, ma accadendo tanto stretto bisogno in Venetia d' una persona di sua qualità... Con tutto questo confidandosi Nostro Padre della sua molto buona mente, vuole che faccia di venir qua o di andar a Venetia come più si consolarà nel Signor Nostro, et questo, secluso il rispetto dell' obedientia, perche quella ordina che cosi giudichi et si risol-

58. Antequam Cardinalis S.tae Crucis ex Urbe recederet, a P. Ignatio Patrem Olave ad tempus obtinuerat; qui tamen non cum eo profectus est, sed paulo post ejus discessum eum est consecutus, eidemque Cardinali parere jussus est. Postquam ergo eum in Abbatia amanter excepisset, Augubium pergere ad nostros ipsum voluit, et cum eisdem aliquot dies versari; et commendavit ut dispiceret simul cum nostris qua in re posset utilius Augubii occupari; si enim aliquid ad majorem Dei gloriam et animarum profectum agendum in ea urbe occurreret, se, propriam consolationem posthabendo, consensurum ut in Collegio Eugubino maneret; si vero nihil tale occurreret, velle se in Abbatia ipso familiariter frui. Contulit P. Olave cum Vicario, qui, tempore illo aestatis, nihil se videre affirmavit, in quo posset de civitate illa benemereri. Erat id tempus circa nonas Julii, quo tempore cives eugubini fere omnes ad suas villas, non redituri usque ad Septembrem, se conferebant; et, ut verbis utar Vicarii, si D. Paulus ad legendum vel concionandum eo tempore veniret, auditores non erat habiturus. Praeterea si latine aliquid erat praelecturus ex Scripturis, paucissimos esse Augubii cives, qui lectiones ipsius possent intelligere; ut autem italice praelegeret, promptitudo linguae illius vernaculae non illi magna futura erat.

59. Itaque Vicarius existimabat a Cardinali evocandum ipsum esse ut in Abbatia penes ipsum diverteret; quod sic factum fuit, quamvis inde ad nostros visitandos crebro accedebat. Hoc ergo officio Visitatoris diligenter perfunctus est, et de singulis P. Ignatium certiorem fecit. Diligenter etiam de loco proprio nostris quaerendo egit Augubii; et cum vidisset aliqua, unum prae caeteris magis convenire judicavit, qui Sanctae Crucis dicebatur, et ad quamdam Abbatiam Ordinis Sancti Benedicti, non longe distantem, pertinebat. Serio ergo cum Cardinali Sanctae Crucis de hoc loco a monachis obtinendo

---

va.„—Paucis tamen post diebus, sc., 15 Aug. scribebat idem Polancus Patri Helmi: "Il Mtro. Oliverio, del quale ho scritto a V. R., ma non ho havuto risposta, penso non andarà altramente a Venetia.„ Et eadem die Patri Martino de Olave: "Circa Mtro. Oliverio, poiche pare s' inclina solamente all' andare a Venetia per pensare fosse inclinato Nostro Padre, non essendo questo così, anzi il contrario pare, ha detto Nostro Padre venga a Roma.„—Actum est insuper de eo in Valtellinam mittendo, ut ex litteris Polanci ad Martinum Olave, 9 Sept. datas, eruitur; praevaluit tamen Ignatii voluntas ut Romam veniret.

suo loco et tempore tractavit, et recepit Cardinalis, in generali Capitulo, quod post Assumptionem B. Virginis in praedicta Abbatia celebrandum erat, misso aliquo, qui suo nomine id peteret, se curaturum. De augendo numero nostrorum visum non est expedire ut quicquam Cardinali suggereret; constabat enim eum tenuissimos habere reditus et aere alieno non carere, ut non videretur rationi consonum, ab eo, ut sumptus Collegii augeret, postulare.

60. Cum immineret jam Assumptionis festum, et in memoriam redegisset Cardinali ut de loco Sanctae Crucis cum monachis ageret, [respondit] velle se prius consensum obtinere ab eo, cui locus ille a monachis datus fuerat ad vitam fruendus, quod numquam fieri posse nostri intelligebant. Et fortassis quod refriguerit Cardinalis hoc in causa fuit quod, litteris Summi Pontificis Julii III Romam evocatus, cum multa de reformatione se agere velle et ad id ejus Cardinalis opera uti affirmaret, responderat Cardinalis se quidem pariturum Romam eundo, sed ab onere ecclesiae Eugubinae regendae se omnino liberare velle, ut sine sollicitudine Romae posset residere. Haec ergo de relinquendo Episcopatu Eugubino cogitatio ac spes, fructus etiam spiritualis, minime labori respondens, in causa fuisse videntur, ne ille magno affectu animum ad fundationem Collegii adjiceret; et utrumque P. Ignatium movit ut, bona cum venia ipsius Cardinalis, Collegium inde revocaret, quod tamen non hoc anno factum est.

61. Sed ad P. Olavem redeundo, commendatum habuerat a P. Ignatio ut aliqua ad logicam et philosophiam pertinentia, quae ad nostrorum studentium instructionem, praesertim in publicis disputationibus facerent, conscriberet, quod ipse diligenter facere coepit, non eo animo ut tractatus ille typis imprimeretur, sed ut, manu descriptus, nostrorum usibus deserviret [1].

62. Sed Cardinalis Sanctae Crucis alia in re ejus opera uti voluit. Perspecta enim erat ipsi Doctoris Olave doctrina, quam et in Concilio et Romae familiariter experiri potuit. Commendavit ergo ei ut librum quemdam, quem ipse de sacramentis,

---

[1] Horum Patris Olave tractatuum, exempla, manu descripta, ad plures Societatis domos missa sunt, ut patet ex pluribus hujus anni litteris. Eorum nullam habent mentionem nostri bibliographi, Rivadeneira, Alegambe, Sotwell, Backer, Sommervogel.

vernacula lingua, ad instructionem clericorum suae dioecesis [concinnaverat], videret, notaretque si quid addendum, vel detrahendum, vel immutandum videretur. Coepit ergo ea de re quaedam scribere, quae, cum Cardinali ostendisset, ei valde placuerunt, et demum in hoc opere, juxta Cardinalis desiderium, diligenter et docte et cum satisfactione ipsius Cardinalis elaboravit [1].

63. Diebus festis volebat Cardinalis ut Eugubium se conferret et exhortationes apud moniales quatuor monasteriorum Episcopo subditorum haberet; nullum enim eorum in communi vivebat aut perfectam charitatem [2] observabat. Pater quidem Albertus [3] non parum in eadem re elaboraverat. Allocutus est unius ex his monasteriis religiosas, exhortationem habens, quae non parum terroris eis incussit; et cum accersitus esset ab Abbatissa, invenit duas tertias partes earum ad vivendum in communi paratas esse; sed tertia reliqua pars in sua proprietate obstinate perseverabat. Commendavit autem Cardinalis eidem, postquam omnia monasteria visitaverat et in eis concionatus fuerat, ut diligenter videret an bona cum conscientia in eo statu proprietatis possent moniales tolerari. Non parum enim conscientiam Cardinalis urgebat hic religiosarum status, quae votum paupertatis non observabant; nam illae se aliter non professas esse dicebant, aut votum paupertatis emisisse, quam ut eo tempore, quo ingressae sunt, in monasterio observabatur; et ita sibi licere arbitrabantur proprium retinere. Et inter caetera, quae Cardinalem moverant ut nostros Eugubium vocaret, hoc erat non inter postrema, ut, scilicet, reformationem horum monasteriorum curarent, sicut Regii atque alibi curaverant et obtinuerant. Volebat ergo suam exonerare conscientiam Cardinalis et ad quid teneretur clarius intelligere; nam satis constabat, nisi compellerentur moniales, majori ex parte proprietatem non relicturas; immo quaedam se non compelli

---

[1] Libelli hujus de Christiana doctrina, vernacula lingua, a Cardinali Marcello Cervini concinnati et a P. Martino de Olave aucti et emendati, nec ab eis, qui Cardinalis, postea Pontificis nomine Marcelli II, vitam scripsere, Polidori, Ciacconius, Novaes, etc., nec ab iis qui Ciacconii operi suas addiderunt lucubrationes, Vittorelli, Oldoini, nec denique a bibliographis ullis mentionem factam reperimus.

[2] Sic; opinamur tamen mendum esse et scribendum *paupertatem*. De hac enim praesertim agebatur, ut ex sequentibus patet.

[3] Collegii Eugubini Rector, a patria semper Ferrariensis dictus.

posse jactabant, et fautores inveniebant, qui dicerent eas non teneri, cum expresse paupertatis votum non fecissent, sed castitatis et obedientiae; nam, ex quadam negligentia, expressum paupertatis votum, cum profiterentur, ab eis non est exactum.

64. Diligenter ergo P. Olave quae ad hanc quaestionem pertinebant, multis libris evolutis, discussit, et bono in statu illas non esse judicavit, et argumenta efficacia contra excusantes quosdam canonum peritos sibi habere videbatur; et cum Cardinali quod scripserat ea in re ostendisset, sibi satisfactum esse significavit, cum res ad satis magnam claritatem esset adducta. Et demum significandum monasteriis idem Cardinalis curavit per suum Vicarium, imprimis quod ea, quae a nostris praedicata ipsis fuerant, secundum ipsius sententiam dicta fuerunt, nam eadem ipse dicturus erat; proindeque, si ad vitam illam cum proprio transigendam auctoritati Episcopi innixae fuerant, id obtendendo, quod cum ejus facultate proprium retinerent, significare se illis, tamquam superiorem, praedictam facultatem exspirasse, quodque in posterum huic vivendi rationi minime consentiebat; tertio, quod si nollent hunc abusum reformare, prout ad ipsarum salutem necessarium esse sentiebat, quod non permissurus esset in posterum personam ullam in ea monasteria admitti. Haec ergo significavit; sed ipsemet ad invisenda monasteria iturus erat, et confessarios daturus, qui viderent cuinam absolutionem impendere deberent [1].

65. Sed ne hac quidem ratione quidquam ab illis monasteriis obtinere potuit, immo, ex quatuor monasteriis, tria cum nostris commercium amplius habere aut conciones aut colloquia audire recusabant; quartum nihilominus monasterium magno affectu P. Albertum prosequebatur, immo et recessum Patris Olave graviter sentire videbatur. Cum tamen Vicarius sigillatim singula monasteria inviseret, et dictis quibusdam satis validis rem gereret, omnia nihilominus monasteria in suo statu, proprii, videlicet, retinendi, pertinacia manserunt, nec propositum eis de Societate nostra confessarium admiserunt; et

---

1 Pluries de hac re scripsit Olavius Ignatio et plura ab eo per Polancum responsa accepit. Hic vero meminisse tantum sufficit praecipuum fundamentum, quo innitebantur Augubinae moniales ut paupertatem non observarent, fuisse ordinationem quamdam de religiosa paupertate a Martino V olim confectam, ut videre est in litteris, quas Polancus, *ex com.*, Olavio dedit 5 et 12 Aug. hujus anni 1553.

id quidem consequebatur ex priori ipsarum voluntate, nam facile se absolvendas esse intelligebant. Et fructus monasteriorum huc tandem redactus est. Ut facile appareat non tam exterioribus dictis et auctoritate praelati quam unctione Sancti Spiritus opus esse ad hujusmodi monasteria ad reformationem adducenda; et ad eam obtinendam potius ea Societatis media, quibus ad sui cognitionem ac devotionem et Dei amorem trahuntur, quam haec, tam aspera, superiorum conferre.

66. Sed ad P. Olave redeundo, quamdiu in illo monasterio [1] versatus est, res suas cum illo Cardinalis amanter communicavit, et de nostris, qui Eugubii versabantur, quoad vitae exemplum et laborem in instituenda juventute et proximis juvandis, se optime sentire et abunde sibi satisfactum esse ostendebat. Sed, ut superius attigimus, ut curiosis ingeniis satisfieret, Patrem Laynez eo venire cupiebat; ipsi enim injunctum esse a P. Ignatio intelligebat ut de rebus ad theologiam pertinentibus scriberet, et ad id, si se colligere et aptum aliquem locum deligere ad scribendum cupiebat, Collegiolum Eugubinum opportunum admodum fore dicebat; et cum data spes esset Cardinali ut, cum se posset P. Laynez expedire, eo venturus esset, magna laetitia affectus est. Quamvis enim in scribendi studium incumberet, diebus festis concionando, perfacile eugubiensibus, quantumlibet curiosis, satisfacere potuisset. Ante tamen quam a negotiis provinciae se P. Laynez expediret, aliquos libros de Deo ac de divinis personis magna cum eruditione scriptos Romam transmisit, nec ad inchoatum opus absolvendum occupationes ei unquam locum dederunt [2].

67. Quod ad rhetoricae lectionem attinebat, parum se sollicitum esse Cardinalis ostendit; cum potius eos, qui clerici futuri erant, institui a nostris in his, quae ad grammaticam pertinent, et reliquos cum eis in christiana doctrina, pro officii sui ratione expeteret: et ideo facile fuit, sine offensione Cardinalis, P. Oliverium Eugubio revocare; et missus Doctor Augustinus Riva, aetate senex et ad confessiones idoneus, ei abunde satisfecit, cum alio quodam, qui loco P. Oliverii scholae ipsius praeesset.

---

[1] Abbatiam intellige, in qua morabatur Cardinalis.
[2] Vide infra, n. 124.

68. Non omittam quod, cum intellexisset Cardinalis P. Franciscum Xavier a P. Ignatio in Europam evocatum esse, tanta laetitia affectus est, ut laetitiae lacrymas non temperaret, nec quidquam jucundius audire potuisse affirmaret [1]. Ita res erat quod P. Ignatius accersierat P. Franciscum, et forte eodem spiritu in ultimis litteris, quas ex India recedens ille scripserat, cum pro more suo conspectum P. Ignatii in patriam coelestem rejecisset, subdidit, et in hac etiam vita id facile fieri posse, si sancta obedientia id injungeret. Aliter tamen divinae providentiae visum est; nam antequam P. Ignatii litterae hac de re ad P. Franciscum pervenirent, ex hac vita ille ad aeternam migraverat.

69. Quamdiu in monasterio illo P. Olave substitit, fuit autem paulo amplius quam duorum mensium tempus, in illa ecclesia Abbatiae, ad quam ex subditis villis non exiguus populus conveniebat, aliquando concionatus est; et curavit ut illi, ex quorum laboribus reditus Abbatiae percipiebantur, haberent diebus festis Missae commoditatem, et saltem in solemnioribus ut cibum spiritualem verbi Dei haberent, quod facile ab aliquo ex nostris, qui Eugubii versarentur, etiam in praedicatione tironibus, praestari poterat. Audiebat etiam idem P. Olave multorum confessiones; et ad festum Assumptionis B. Virginis, praemissa exhortatione, qua ad confessionem eos excitabat, tam externos quam de familia ipsius Cardinalis, ut per sacramentum magis dispositi ad Deum accederent curavit, et compluribus etiam de eadem familia sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministravit. Cum illac etiam transiret Senogaliae Episcopus a Summo Pontifice evocatus, ut prolegatus Perusium mitteretur, et hic idem peculiari charitatis affectu P. Olave diligeret, omnem suam operam ipsi obtulit ad nostros Perusii juvandos.

70. Sub finem Augusti cum eosdem nostros invisisset, et Ariminum ad haec, quae superius dicta sunt, se contulisset, rediens Eugubium, bona cum venia Cardinalis, qui operam ipsius Romano Collegio necessariam esse intelligebat, Romam missus

---

[1] De hoc ita Polancus, *ex com.*, Patri Olave 12 Aug.: "L' approbatione con tanto affetto del Cardinale della venuta di Mtro. Francesco ci ha dato consolatione, vedendo concorre il giuditio et desiderio di sua Sria. Rma. col nostro; et in tanta equabilità della natura del Cardinale pare la dimostratione che fece molto notabile."

est, et paulo post, loco eorum, quos secum abduxit, alii sunt missi [1]. Interim tamen, dum mittebantur, P. Albertus, solus sacerdos ibi manens, diligenter juxta talentum acceptum vineam eugubinam colere studebat; et cum Cardinalis ante suum in Urbem adventum Eugubium se contulisset, non pauca ad reformationem pertinentia idem Albertus ei proposuit; quamvis propter ejus recessum, vel alias ob causas, cum in aliud tempus opportunius esse differendum Cardinalis diceret, non parum bonus Pater afflictus est; cujus pietatem si magnanimitas esset comitata, egregius omnino fuisset operarius; non tamen ab audiendis confessionibus et aliis piis operibus consuetis, quamdiu solus fuit, et etiam post adventum P. Augustini, cessavit. Scribit tamen ipse octo diebus a P. Olave plus quam ab ipsis octo mensibus effectum esse, quod tamen ad humilitatem ipsius referendum arbitror; et omnino affirmabat, omissis solemnioribus festis, exiguam admodum Eugubii messem nostris confessariis esse, cum vix ullus vir confiteatur; ille tamen et in carcere et in monasteriis messem quaerebat. Magister Joannes Antonius, qui in schola P. Oliverio successit, in graecis quidem litteris numerum auditorum auxit, sed in rhetoricis ne conservavit quidem.

71. Non omittam quod sub recessum, cum Cardinali variis de rebus Societatis agens, et significans quam multis ex locis Societas vocaretur et quam multa collegia variis in locis expeterentur, probavit ille magnopere studium P. Ignatii ad operarios Societatis praeparandos, quorum opera tam bene collocari posset, et prorsus paternum affectum erga Societatem et ejus augmentum, perinde ac membrum ejus fuisset, ostendebat; judicabat autem, postquam Romae auctoritatem in studiis Collegium Romanum conciliasset, modum aliquem applicandi reditus Academiae, quam *Sapientiae* vocant, excogitandum et lectoribus conditiones honestas prospiciendum. Significavit etiam displicere sibi ingratitudinem Eugubiensium erga Collegium

---

[1] Ignatii litteras, quibus Cardinalem Sanctae Crucis orabat ut boni consuleret Patrem Olave Eugubio Romam evocari, et Olavii loco alios se missurum pollicebatur, habes in *Cartas de San Ignacio,* vol. III, pag. 289 et 422.—Polancus, *ex com.,* Patri Martino de Olave, ut ad veniendum Romam pro renovatione studiorum Collegii Romani se accingat, nam "quelli che hanno cura, riputano che V. R. sia molto necessario per la pratica che tiene non solo in queste facoltà, ma etiam nel modo di procedere nelle Università et specialmente in quella di Parigi." 12 Aug.

nostrum, et propensionem animi, relicto Episcopatu, illud transferendi Montempulcianum.

72. Docuit etiam experientia quod paucitas parum ad alacritatem et profectum nostrorum in his collegiis confert; nam paucissimis diebus missus quidam novicius ut eis inserviret, hospite insalutato, dilapsus est, et alius etiam ex octo recessit, quamvis, poenitentia ductus, postridie rediit. Fatebatur etiam ipse P. Albertus, propter incommoditatem habitationis et inconsolatione spirituali, et ipsum et alios defecisse; et omnino, praeter paucitatem, in aliena domo et incommoda habitare, et alibi templum, et alibi scholas habere, non exiguae distractionis occasio erat; nec fructus externorum, cum tenuis esset, nostros animabat [1].

Et haec de Eugubino Collegio sint dicta [2].

DE PERUSINO COLLEGIO

73. Non deerant sua incommoda Collegio Perusino, cum primis mensibus hujus anni nec propriam haberent domum nec templum; et in his quidem, quae ad victum et vestitum ac res necessarias pertinent, minus commode quam Eugubienses vitam agebant; ex eleemosynis in diem viventes propemodum,

---

[1] His consona sunt, quae habet P. Petrus de Rivadeneira in opusculo vere aureo, *Tratado en que se da razón del Instituto de la Compañia de Jesús*, impreso en el Colegio de la misma Compañía de Madrid, 1602, quod in latinum vertit a. 1864 P. Laurentius Carli. In eo, cap. XXIV. *Cur Societas Domos professorum numeret paucas, multa vero Collegia*, haec ait: "Secundo, ut paucae sint professorum Domus, earumdem necessitas postulat; necesse enim habent haud mediocrem Religiosorum vim continere et alere, tum ut....; tum ut eaedem Domus religiosam disciplinam melius servent; *quae disciplina in coenobiis infrequentibus haud levia patitur vulnera.*„—Polancus, *ex com.*, occasione arrepta fugae cujusdam Ambrosii (is videtur esse novitius, de quo supra est sermo), qui Augubio Romam venerat, Patrem Albertum Ferrariensem monet ne nostros labore nimio opprimat, sed, si opus fuerit, etiam externorum ministerio ad culinae, etc., munia utatur; 9 Dec.—Eidem penultima Decembris scribebat idem Polancus: "Circa Ambrosio non accaderà aspettarlo altrimenti; lui è tornato al servitio del mondo. Dio li dia gratia di salvarsi.„

[2] Orlandinus hoc anno 1553 haec tantum habet de Eugubino Collegio: "Collegia per Italiam, Eugubinum.... per Olavium inspici jussit [Ignatius].„ *Hist. Soc.*, l. XIII, n. 17. Et quod magis adhuc mirum est, Oliverius Manareus in *Commentario de rebus Societatis Jesu*, in quo tam multa de se aliisque de Societate scripta reliquit, ne verbum quidem de sua ipsius in hoc Collegio commoratione habet.

et propter incommodam habitationem, et ejus civitatis frigidum aërem, cum deessent arma ex parte, quibus ei resistere oportebat, catarrhis bona ex parte laborabant; nec ea, quae ad domesticam disciplinam pertinent, observari adhuc omnino poterant [1]. Quia tamen Divina bonitas per Superiorem [2] omnes juvabat et animabat, et fructus spiritualis erga proximos copiosus erat, ipsa incommoda in bonum cooperabantur, et penuria rerum corpori convenientium, immo et tragoediae a multis externis contra eos excitatae, per patientiam dulcescere coeperant; et quamvis occupati admodum essent, nihilominus in studiis etiam proficiebant, et videbatur Dominus in omnibus incommoditatem compensare et gratiam suam instar omnium sufficientem largiri. Decem erant ipso initio anni; undecimus postea accessit; duo etiam alii, quorum alter natione *scotus* erat, et uterque vir eruditus et pius, eis se adjungere cupiebant, quamvis hoc anno id non obtinuerunt [3].

74. Scholae satis frequentes auditoribus erant, sed fructus numerum superabat; et ita id constabat parentibus et aliis, qui et eruditionis et pietatis augmentum in suis observabant, ut omnimo rumor quidam, a ludimagistris, ut creditur, excitatus, et civitati satis noxius concideret, qui jactabat morum observationem, quantumcumque vellent, a Societate, non tamen litterarum eruditionem, esse exspectandam; nam utrumque, Deo juvante, Dominus per nostros praestabat, ut, scilicet, scholastici in dies et meliores et doctiores evaderent. Hoc etiam beneficium ex scholis ad civitatem inter caetera emanavit, ut vel exemplo, vel aemulatione, vel forte necessitate quadam compulsi, alii praeceptores saeculares solertius ac diligentius suo

---

[1] Tanta erat hoc tempore Collegii Perusini penuria, ut scriberet, *ex com.*, Polancus: "Et non vedo maggior causa di trattenersi in Perogia che l'essere segno debbia farsi gran servitio a Iddio N. S. et dispiacere al demonio, dove occorrono tanti travagli, et, servendo dì et notte alla città, nè li dà da mangiare, nè da vestire, nè casa. E vero che dà occasione assai di merito nello essercitio della patientia. Dio sia laudato in ogni cosa.„ Patri Everardo Mercuriano, 26 Aug.

[2] Is erat P. Everardus Mercurianus.

[3] Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano, ne speret aliquem a P. Ignatio, sacerdotem praesertim, in subsidium mitti; sed commendet potius Deo Patrem Caesarem Aversanum, qui Rector Mutinam missus obierat, 9 Dec.—Eidem, ne quemquam in Societatem et ad convivendum nostris admittat, quem prius non bene et juxta morem Romae consuetum examinet, 16 Dec.; eidem, de quodam adolescente, natione scoto, qui in Societatem admitti petebat, 23 Dec.—Paucis ante diebus scripserat: "Di quel giovane che vuole intrare nella Compagnia con dir V. R. che è malinconico, fa che Nostro Padre stia sopra di se....„

munere quam antea fungerentur. Addiderunt etiam nostris hae litterae, rhetorices praesertim et graecae linguae, non parum auctoritatis apud vulgus, sed majorem praelectio psalmorum, ac deinde, eorum loco, epistolae 2.ae B. Pauli ad Timotheum, quam P. Everardus cum pio et frequenti auditorio ac fructu enarravit. Aliquod etiam specimen in scholis dialogus quidam a pueris publice recitatus in studiorum laudem, et habitae aliquot orationes praebuerunt; quae omnia, non solum grata, sed admiratione digna, auditoribus videbantur.

75. Non raro fratres hunc et illum familiaribus colloquiis ad ea, quae pietatis sunt, excitantes, et nunc in templis, nunc aliis in locis conciones habentes, bene mereri de populo studebant. Sedulo etiam et ferventer P. Joannes Niger christianam doctrinam explicabat, et diebus sabbati ad viros pios, qui nostrum in sacellum sub vesperam, orationis gratia, conveniebant, et quidem tam frequentes, ut vix locus capax esset, concionem, qua ad optima quaeque eos inflammabat, habere solitus erat. Diebus etiam veneris de decalogi praeceptis P. Everardus multis non infimae notae viris, inter quos etiam aliqui doctores erant, cum màgna eorum utilitate disserebat; et cum fructus augeretur, numerus etiam audientium augebatur. Eisdem diebus non pauci ad confessiones accedebant, per quas praecipuus proventus spiritualis messis Christo colligebatur.

76. Crescente enim in dies et latius patente nostrorum cognitione et existimatione, non solum in carceribus et xenodochiis (in quibus initio crebrius nostri quam alibi exercebantur), sed plurimis in locis, ac primo quidem in templo ad usum nostris concesso, deinde in proprio, ac in multis privatis domibus, ubi aegrotantes decumbebant, multi primarii cives, non minus indigentes spirituali auxilio quam qui in custodia publica vel xenodochiis erant, nostrorum opera utebantur; et si plures fuissent sacerdotes, plures etiam manipulos in uberi messe collegissent. Detinebantur enim nostri integros dies in confessionibus audiendis tam domi quam foris, et aliqui frequenter ad sancta sacramenta accedere ex laudabili consuetudine coeperunt, qui prius vix singulis annis confessarium adibant. Peccatis gravibus onusti multi, etiam decem, quindecim et viginti annos in sordibus volutati, ad conscientias tandem abluendas in Christi sanguine per sacramenta, accesserunt; et hoc genus

hominum ad nostros adduci solebat, ex quibus aliquos divina bonitas sic immutavit, ut jam nihil perinde quam peccata horreant. Erant et qui religioni se vellent consecrare. Cum autem jubilaeum pro reductione Angliae et Germaniae promulgatum esset [1], non mirum si, confessionum messis aucta, occupationes etiam nostrorum auxerit; cum praesertim novum templum Societati confectum, de quo paulo inferius, a Pro-episcopo delectum fuisset ad hujusmodi jubilaei gratiam obtinendam. Quindecim utique dies et ministerio confessionis et sanctissimae Eucharistiae vacandum fuit; quo tempore vix frequentiam hominum, ad novam ecclesiam venientium et ab ea egredientium, porta, licet satis ampla, capiebat. Fructus autem uberrimus hoc tempore fuit, et multi, a vitiis gravibus et peccatis emergentes, ad bene et pie vitam traducendam adducti sunt; nec dies tantum sed et noctium pars poenitentibus tribuebatur. Hoc fuit jubilaeum, quo, mortuo Eduardo Angliae Rege, et Regina Maria regnum illud ad obedientiam Sedis apostolicae reducere adnitente, merito omnium christianorum ad id suffragia poscebantur.

77. Solitum erat circa Paschae festum, omnibus parochiis vicissim in cathedrale templum venientibus ad orationem, quae quadraginta continuas horas durabat, ut aliquis adesset, qui populum non solum hortaretur ad orandum sed modum etiam praescriberet. Haec provincia nostris fuit demandata, et duo ex nostris, cum magna precantium approbatione et fructu, eo munere functi sunt.

78. Pro-episcopus rebus nostris impense favens, qui P. Everardo confiteri solitus erat, suos sacerdotes, quos minus idoneos ad commissas sibi functiones existimabat, ad nostros mittere melius instruendos et in moribus etiam formandos solebat; donatum enim esse Societati a Deo arbitrabatur ut in reducendis ad suum Creatorem hominibus magnopere valeret; quin et ipsi sacerdotes et hortatu et exemplo et precibus nostrorum reducendos se in meliorem vitae rationem sperabant. Civitas etiam nostrorum patientiam et aequanimitatem in tam multis incommodis ferendis non parum admirabatur et, cum aedificatione

---

[1] In apostolicis litteris Cardinali Pacheco die XVIII Decembris hujus anni datis, quibus indulgentia haec sive Jubilaeum promulgabatur, non fit *expressa* Germaniae mentio. Vide Raynaldi, *Annal.*, an. 1553, n. XXXIV.

erga nostros et quadam indignatione erga suos, multi dicebant meruisse civitatem illam nostrorum auxiliis destitui, quae postmodum multum erat desideratura. Satis jam constabat nostros, non quae sua sunt, sed quae Christi, quaerere; et postquam contradictionum procella, tam in his quae ad litteras quam quae ad spiritum pertinent, exagitavit Collegii naviculam, satis magna serenitas et quies est consecuta. Multi suam operam pollicebantur, alii etiam praestabant, aliqui etiam P. Everardi consilium ad res suas omnes, quae alicujus essent momenti, adhibebant; et inter hos aliqui, et litteris et auctoritate non vulgari, qui, eo inconsulto, nihil serium agere volebant.

79. Ad aegrotantium domos, qui hac aestate Perusii fuerunt, nec sine aliquo pestis rumore, nostri passim evocabantur. In xenodochiis autem, cum multi milites et alii aegrotantes admissi fuissent, et, propter contagionis metum, paulatim necessarium auxilium et obsequium eis subtraheretur, nostris demum solis haec cura relicta fuit. Erant inter milites aliqui hispani (nam hac aestate in libertatem se vindicare Senarum urbs conata est, ejecto praesidio hispanorum et arce diruta, unde bellum Senense Imperatoris auspiciis sequutum est), qui vix ab aliis quam a nostris intelligi potuissent. Alii etiam itali, ibidem decumbentes, non exigua charitate, propter timorem jam dictum [1], indigebant; sed eam in nostris, Deo adjuvante, invenerunt, qui solatio ipsis et auxilio spirituali et corporali fuerunt. Nec domi occupationes deerant forte non minores quam quae dictae sunt; plurimi enim ex perusinis nostros consulturi ad Collegium accedebant, et aliqui, quibus antea sordebat Societas, eam et colere et juvare coeperunt [2].

80. Spiritualia exercitia P. Everardus quibusdam bonae indolis juvenibus tradidit, et quantum profecerint consequens vitae mutatio abunde declaravit. P. Joannes Niger circulatoribus, histrionibus, et qui magicis quibusdam superstitionibus civitatem illam inficiebant, quodammodo bellum indixisse videbatur; nec solum verbis eos est insectatus, sed eorum pixides, apo-

---

[1] contagionis.

[2] Omnes fere Perusii, aut peste, aut febribus ex labore nimio ortis aegrotarunt, praesertim P. Everardus Mercurianus, P. Joannes Niger et frater quidam nomine Joannes Mutinensis. Quare litteris 5 Aug. ad Everardum datis inseruit Polancus schedulam *(figliuola, hijuela)* in qua normam ipsi praescribit, quam servari a nostris Perusii oportere judicat Ignatius circa externos peste seu contagione laborantes.

thecas et theatra in medio foro exturbabat et evertebat; excitatisque procerum animis, magno Dei zelo expellendos ex urbe curabat.

81. Inchoare Cardinalis Perusinus collegium quoddam clericorum constituerat, quod et fecit, et initio duos de Societate nostra ad tempus ibidem agere, ut verbo et exemplo reliquos juvarent, voluerat; et alterum eorum, quia sacerdos non erat, extra tempora consueta promoveri ad sacerdotium curavit. Nec infeliciter hoc opus pergebat, in quo aliquot juvenes bonae indolis ad dioecesim, exemplo vitae et litteris illustrandam idonei, tandem, ut sperabatur, futuri, instituebantur [1].

82. Advenerat sub hujus anni initium Perusium Cardinalis Perusinus, qui nomine Pontificis Julii III gratias non exiguas ei civitati, quam propter rebellionem Paulus III multis privilegiis et praerogativis ademptis mulctaverat, erat collaturus. Hanc ergo nactus occasionem, cum nullum locum magis opportunum ad Collegium collocandum, ex amicorum nostrorum relatu intelligeret, quam scholam quamdam, in qua ludimagistri, propositis stipendiis, ad juventutem instituendam tenebantur, hanc impetrare a quadam confraternitate, quae curam ejus gerebat, conatus est; sed ludimagistri, quibus alia loca in urbe Cardinalis assignari volebat, aegre ferentes quod nostri in locum ipsis antea deputatum succederent, et ejus confraternitatis viros, qui alioqui nostro Collegio favebant, et alios cives contra nostros concitarunt, et, quod superius diximus, contra rationem docendi rudimenta grammaticae, quibus nostri juvenes imbuebant, reprehendentes pronuntiationem etiam nostrorum, qui fere ultramontani erant, noxiam fore tenerae juventuti jactabant. Itaque etiam ipsos amicos, saltem in hoc negotio, a nostris alienabant; qui etiam, eleemosynas solitas subtrahendo, exercendae patientiae occasionem nostris dabant.

83. Cum tamen Cardinalis benevolentia erga Collegium nostrum constans esset, omnino locum illum (cujus collatio ad Summum Pontificem pertinebat) nostris tradi voluit, et Episco-

---

[1] Polancus, *ex com.,* Everardo Mercuriano, de externorum Seminario extra urbem in quodam eremitorio constituto, ut Joannem Catalanum novum sacerdotem ab eo Seminario removeat, ejusque loco Joannem Gallum (is erat Joannes Niger) substituat, qui concionando et etiam confessiones audiendo plus efficiet quam Catalanus, 9 Dec.—Vide infra, n. 97 —Eidem de mutatione jam facta gratulatur, 16 Dec; eidem de facultate audiendi confessiones Joanni Catalano concedenda, 23 Dec.

pus, quomodo ipse potuit, Societati dedit. Ad id motus fuit non parum cum scholas nostras coram lustrasset, et cuidam viro docto suae familiae, quo civibus satisfieret, commisisset, ut simul cum Vicario modum docendi nostrorum et libros quos interpretabantur cribraret; quod cum ille fecisset, et cum P. Everardo conferens, solutionem dubiorum suorum cum satisfactione magna accepisset, tam quoad doctrinam quam ad modum docendi attinet, sic ille a nostris recessit, ut, si liberos haberet erudiendos, non aliis quam nostris instituendos se daturum testaretur; et rationem docendi et omnia magnopere probavit. Tunc Cardinalis non solum locum illum nostris dari voluit sed jam dictae confraternitati amanter persuadere curavit ut nostris, in his quae ad victum et res necessarias pertinebant, necessaria subministraret. Duos etiam nobiles designavit, qui eleemosynas a multis peterent ad habitationem nostris concinnandam; addidit etiam ipse bonam pecuniae summam. Et curatum est, misso architecto, ut juxta numerum nostrorum, qui tunc Perusii versabantur, decem cellae conficerentur, quae novem pedes longae et totidem latae plus minus erant. Ex scholis autem duabus vel tribus simul junctis ecclesiam vel sacellum confecerunt [1].

84. Reliquae erant et aliquae classes, quae partim nostris tribus lectoribus inservire, partim externis, juxta quorumdam amicorum sententiam, ad tempus debebant. Ut enim querelas ludimagistrorum et illius confraternitatis sedarent, hanc rationem veluti mediam iniri posse tam Vicarius quam Doctor Marcus Antonius Oradinus, nobis amicissimi, cogitabant; a quorum sententia ne ipse quidem Cardinalis abhorrebat ad tempus; et ita nostris inferiores scholas, supremam alicui professori insigni externo [commodare] cogitabant; sed eis sic acriter et modeste se P. Everardus opposuit [2], et tam alte de successu Collegii et de superioribus facultatibus a Societate tradendis locutus est, ut illi non parum admirarentur quod tam liberaliter tam multa polliceretur; et addebat dictis auctoritatem quod

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Martino de Olave: "El negocio del lugar parece ha sido frío algún tanto, aunque no de parte de V. R. Sea Dios servido de todo.„ s. d. sed hoc anno 1553.

[2] Sub Junii finem jussus est Everardus paedagogum externum a nostrorum conversatione omnino amovere; ni fieri possit, avocandos Perusio nostros omnes fore.

minutissima quaeque ad unguem examinata et multorum censuris exposita, inconcussa, et tandem approbata remanserant. Cardinalis ergo cum praesens de ratione aedificii, quod fieri volebat, injunxisset, de reditu in Urbem cogitabat. Cum tamen de professione emittenda P. Ignatius eidem P. Everardo scripsisset, prius explorata ipsius animi propensione, quae ad nihil aliud quam Dei beneplacitum per obedientiam explicatum tendebat, et omnino eam emitti jusserat in alicujus praelati manibus, et facile ex litteris colligebatur quod, si Cardinalis eam vellet admittere, pergratum ipsi futurum esse. Has litteras cum Vicarius vidisset et Cardinali sensum retulisset, perlibenter ille, antequam Romam veniret, professionem P. Everardi, loco P. Ignatii, admisit [1].

85. Quamvis ex nostris, qui Perusii versabantur, major pars ex ipsis incommodis, ut dictum est, proficeret, aliqui tamen ex eis debiliores in spiritu et parum probati non perinde proficiebant, ut facile docuerit experientia in collegiorum initiis valde probatos et constantes esse debere in vocatione ac virtute qui mittuntur [2]. Magister Edmundus Augerius, quod ad spiritum attinet, optime habebat; sed valetudo imbecilla inutilem propemodum scholae reddebat, et tamen civitas ea, nihil magis ad prosperitatem suam quam studia florentia facere existimans, multum ab hoc Collegio nostro emolumenti sperabat [3].

86. In rebus spiritualibus quamvis plurimum civitas Societati nostrae tribueret, quod doctorum hominum et qui inter alios auctoritatem habebant, concursus ad nostros, et praecipue ad P. Everardum, ostendebat, non tamen deerant qui eos divertere et a nostris avocare etiam in hac parte studerent; inter quos erant aliqui, qui clavem regni Dei quodammodo habere videbantur, et nec ipsi homines ad id inducebant, nec ab aliis induci aequo animo ferebant [4]. Quidam etiam, qui in primis probationibus Societatis fuerat et aliqua spiritualia exer-

---

[1] Vide supra, n. 15, pag. 12.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Everardo Mercuriano, de quodam fratre Michaële, qui Perusio Romam scripserat velle se ad evangelizandum infidelibus mitti, 23 Dec.

[3] Polancus, *ex com.*, Patri Everardo Mercuriano, de Edmundo Augèrio aegrotante, ut valetudinis ejus curam habeat et laboribus modum imponat, 29 Julii.

[4] Sensus est: et ea, per quae ad regnum Dei homines adducuntur, neque praestabant ipsi, neque ab aliis praestari aequo animo ferebant.

citia acceperat, nec tamen in Societatem perseverare voluerat, spiritu quodam vago inter eremitas huc et illuc discursantes esse elegerat. Perusium venit, et, aliquos ad exercitia Societatis nostrae valde propensos [conveniens], verbis suis non parum eis nocere coeperat. Nostra enim exercitia eo pertinere ajebat ut quodammodo ad nostrum institutum homines cogeremus; et ita, quod in ipso fuit, spiritualia exercitia, quibus perutiliter aliqui se exercebant, alii autem se exercere volebant suspecta reddidit; sed hoc commentum daemonis facile cecidit; cum experientia longe aliud doceret [1].

87. Quidam sacerdos, qui olim inter religiosos presbyteros Sancti Pauli et Barnabae fuerat, nomine Laurentius Davidicus, et libros non paucos ad perfectionem spectantes conscripserat, et apostolici concionatoris titulo concionabatur, Perusii homines ad quamdam imaginariam perfectionem et fervorem inducere nitebatur, et in eadem civitate congregationem quamdam, in qua non pauci viri nobiles erant, cogere coepit, et hac sua doctrina in quibusdam mortificationibus publice exercere pergebat. Ipse etiam Vicarius, quem Pro-episcopum superius vocavimus, vehementer huic sacerdoti Laurentio addictus erat, qui [2], quamvis P. Everardo confitebatur, quod ei videret modum hunc displicere, quem in ea congregatione ejus auctor tenebat, de ea non amplius ei loquebatur. Prohibiti fuerant Romae, et compluribus in locis damnati, fratris Baptistae de Crema libri, propter quosdam excessus ad errorem degenerantes [3]. Hujus spiritum in hunc sacerdotem Laurentium transisse, cum minori tamen fundamento et theologiae et philosophiae, videbatur; addere potuit et virtutis ac verae perfectionis, ut res ipsa indicavit; nam ad Cardinalitiam dignitatem aspirare inter multos fama erat, et verisimile id videbatur. Cum hanc ejus esse doctrinam Vicarius referret, peccare aliquem qui posset ecclesiam juvare et non desideraret Cardina-

---

[1] Is esse videtur quidam Stephanus subalpinus *(piemontese)*, de quo plura Polancus, *ex com.*, Patri Everardo Mercuriano, 19. Aug.

[2] pro-Episcopus seu Vicarius.

[3] Baptista da Crema, plura scripsit ascetica opuscula. De iis recte omnino ait Polancus prohibita esse *propter quosdam excessus ad errorem degenerantes*. Cum enim paucis post annis ea legi Tridentinus Index vetuit, clausulam addidit *Nisi emendentur*.—Hunc Baptistam da Crema Ordinis Praedicatorum fuisse tradit bibliothecae Monachiensis catalogus; ejus tamen non meminit opus *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, auctoribus PP. QUETIF ET ECHARD.

lis esse, eam propositionem falsam et a christiana doctrina et humilitate remotissimam esse Vicario [P. Everardus] declaravit, nec parum cruciabatur cum in aliorum animis eamdem doctrinam impressam esse videret. Adnotavit idem Pater multa loca in ejus operibus, quae non solum aliis intellectu difficilia, sed ne ab ipso quidem auctore intellecta, et minus utique ad praxim deducta [1], videbantur. Cum Romam scripsisset ea de re, responsum accepit ut fraterna correctione uteretur, et tamen ne offenderet homines pro virili caveret, cum tam tenera esset planta Collegii nostri et id temporis multos haberet adversarios Perusii.

88. Veniebant interim ad P. Everardum ex ejus discipulis nonnulli, scrupulis et pusillanimitate pleni, qui, ad quasdam exteriores mortificationes honoris et contemplationes ac fervores, parum eis proportionatos, excitati, parum in fide, spe et charitate proficiebant; quos P. Everardus, prout expedire judicabat in Domino, admonebat. Aliqui etiam ex amicis Societatis suspectum habere ejus [2] procedendi modum coeperunt, quod ad quamdam perplexitatem adducti per ejus doctrinam videbantur, nihil boni ex his, quae consueverant, agentes, et ad eam perfectionem, quae proponebatur, non pervenientes. Omnes enim homines cujuscumque status, etiam saeculares et illiteratos, vocatione sua relicta, ad istam spiritualitatem trahere ille volebat, de ferventi mortificatione semper agendo, et de difficultate ejus acquirendae, sine qua tamen salutem aliqui se non posse consequi putabant. Hos P. Everardus ad suum talentum juxta uniuscujusque vocationem expendendum ad Dei honorem, et, si possent, ad proximorum utilitatem, hortabatur. Docebat modum examinandi conscientiam, et ut octavo quoque die confiteri et communicare pergerent, ut illi faciebant; et si non invenirent illum fervorem, quem illis praedicabat ille ipsorum ductor, ut misericordiae et charitatis operibus vacarent, sic facile fervorem compensaturi.

89. Voluit ipsum concionantem audire P. Everardus, et animadvertit quod aperte homines a religione [3] avertebat, et eos qui hortabantur ad statum perfectionis reprehendebat, et, quae

---

[1] Sic; fortasse rectius *deducenda*.
[2] Laurentii, scilicet, Davidici.
[3] Scilicet, ab ingressu in ordinem aliquem religiosum.

pulchrior esset religio, dicebat, quam cujus Christus est Abbas? Cum itaque varios et ordines et status ab Ecclesia per hanc doctrinam removere videretur, et juvenes quosdam illiteratos, licet pios, ad sacerdotium promoveri curaret, tum felicem populum praedicens cum tales sacerdotes haberet, et res eo progrederetur ut nobilem quemdam, qui quaedam ex his revelasset, nomine poenitentiae jussisset magnam crucem per urbem ferre, aliis etiam publice per ecclesias se flagellare sacco indutis, judicabit contra Dei honorem fore, et ad Cardinalis etiam ignominiam et ejus Vicarii, si non aliquod remedium adhiberetur. Vicarium ergo allocutus est, incipiendo a quibusdam erroribus ei commonstrandis, qui tentationem esse ejusdem P. Everardi sentire initio videbatur, sed cum plura audivisset, et scandala quaedam consecutura timeret, aliter jam sentire et affici coepit; noluisset tamen congregationem hanc dissolvi, in quam incidens ipse Cardinalis, dum per palatium episcopale iret, ubi coacta erat, et videns quae ibi agebantur, probaverat et ad perseverandum adhortatus fuerat; sed non satis quae latebant intellexerat.

90. Frater Matthaeus Lachi, Inquisitor, Ordinis Sancti Dominici, eadem cum P. Everardo prorsus sentiebat [1]. Demum prudenter cum hac congregatione procedendo, et recedente alio ipsius magistro, fere omnes P. Everardo confiteri decreverunt; et diebus veneris cum domum nostram convenirent, omnium aliarum mortificationum ac fervorum spiritualium loco, praecepta decalogi eis et aliis compluribus P. Everardus explicare coepit, et de ratione eadem observandi in quovis statu

---

[1] De hoc Fr. Matthaeo Lachi, cujus mentio jam alias facta est et deinceps fiet, quique, ut ait Polancus supra, t. II ad an. 1552, n. 54, pag. 440, non exiguam nostris benevolentiam et charitatem ostendebat et suam operam ad omnia offerebat, transcribere huc juvat quae habent QUETIF ET ECHARD: "F. Matthaeus Lachi, Etruscus, Florentiae natus et conventus Fesulani alumnus, vir integritate morum, disciplinae regularis studio, sed et doctrina agendorumque peritia conspicuus, post varia, quibus in provincia Romana functus est, regiminis munia, diffinitoris etiam in quodam capitulo generali, sanctae Fidei censor generalis Perusinus institutus fuit, et cum laude huic praefuit tribunali ab anno MDLI ad MDLXVI, quo et obiit, tunc prior Provincialis Calabriae a S. Pio V datus et positus. Ejus cum laude meminerunt Razzius, pag. 315, Fontana in *Theatro,* et Paulinus Bernardini Lucensis, singularis ejus amicus. in relatione seu discursu super examine doctrinae et operum Hieronymi Savonarolae sub Paulo IV anno MDLVIII severius in congregatione Sanctae Inquisitionis generalis Romae peracto, qua in relatione testatur Matthaeum hunc scripsisse ac censoribus obtulisse *Librum* pro defensione doctrinae et operum praefati Hieronymi Savonarolae.„— *Scriptores Ordinis Praedicatorum,* t. II, p. 195, b.

et gradu disseruit; et ita bona eorum pars octavo quoque die in confessione apud eumdem P. et communione perseverarunt. Cum autem Laurentius ille Novaram, ubi Cardinalis Moronus erat, pervenisset, et initio, ut parum cognitus, ab eodem honorifice exceptus fuisset, animadversum est hoc ipso anno quod non in veritate Evangelii ambularet, et propter quaedam delicta, ut Romae aliquis Cardinalis retulit, ad triremes damnatus est; cum enim auctoritatem non haberet, absolutiones pecunia vendere dicebatur; postea tamen, ut certius constitit, quod propter benignitatem Cardinalis Moroni non sic punitus fuerat; sed tamen ex illa dioecesi ejectus, et pecunia, quam secum habebat, ex hujusmodi accepta, eis qui eam dederant restituta fuit, et, quod deerat, de suo Cardinalis supplevit. Et hunc finem illius Congregationis auctor [habuit]; et tamen, qui bona cum intentione ejus errores fuerant secuti, opera P. Everardi securiorem salutis et perfectionis viam ingressi sunt [1].

---

[1] De hoc Laurentio Davidico nullibi alias mentionem factam ab ecclesiasticae historiae scriptoribus reperimus. At si libellorum, quos scripsit evulgavitque, numerum et indolem, et ea, quae in hoc loco narrat Polancus, spectentur, haud infimum locum Laurentius mereri videbitur inter eos, de quorum *Pietà sospetta* agit Caesar Cantù, vol. I, discorso XX, in opere *Gli eretici d' Italia*. Ad eorum autem usum, qui de hoc Laurentio Davidico plura inquirere forte cupient, ejus operum catalogum, quae reperire potuimus, hic subjicimus: 1. *Il vittorioso triumpho di Maria Vergine contra Lutherani*. Firenze, 1550.—2. *Monte d'oratione*. Roma, 1550. Opus Pontifici Julio III dicatum ejusque insignibus decoratum.—3. *Navicella dell' anima*. Valerio et Louigi d' Orici, 1550. Liber iconibus ligno incisis illustratus et Cardinali Bernardino Maffei dicatus.—4. *Dialogo in laude della croce. Interlocutori il maestro, il discepolo et il fidel amico*. Roma, Dorici fratelli, 1552.—5. *Candore della catholica verità*. Roma, 1553. Imaginibus illustratus liber.—6. *La Davidica. Dialogo spirituale. Interlocutori Laurentio et David, profeta*. Roma. Dorici fratelli, 1554. Liber auspiciis Cardinalis Fulvii della Corna editus ejusque insignibus decoratus.—7. *Opuscoli di Laurentio Davidico, predicatore apostolico*. Perugia, 1554. Continet opuscula: *Il gaudio spirituale del cuore. Qual sia il viaggio del christiano. Della laudabile diffidentia et confidentia. De hodierno ac deplorando mundi statu. Della fructuosa et santa discrettione. Qual sia il bisogno del christiano. Dialogo detto il crepa-cuore. Triumpho dell' amor divino.*—8. *Labirintho de pazzi, a laude dell' altissima Trinità*. Vinegia, heredi di Gioanne Padoani. 1556.—9. *Spassa-tempo de gentilhuomini*. Vercelli, Giovanni Francesco Pelipparis, 1569.

Postquam haec scripseramus, intelleximus hujus Davidici opera omnia descripta esse a Guicciardini, in *Catalogo dei libri.... sulla Riforma;* sed opus hoc nondum vidimus. Cardinalis Moronus in sua *Difesa* (Cantù: op. cit. t. II, pag. 184), ubi *Dell' elemosine date a persone sospette,* haec ait: "E dico la verità che molte volte ho dato lemosina a soldati e gentiluomini e a meretrici, ma con l' intenzione a Dio, benche più spesso e più volentieri l' ho data a quelli che credevo fossero uomini da bene, ancorchè da questi spesse volte mi son trovato ingannato, come ho fatto da un prete Lorenzo Davitico, al quale io ho dato parecchie decine di scudi.„—Nec solum pecunias Davidico dedit Moronus, sed ejus etiam debita solvit, ut narrat Polancus in litteris, quas Everardo Mercuriano, *ex com.,* scripsit 7 Oct., quibus respondent haec Chronici verba: *et quod deerat, de suo (Cardinalis) supplevit.*

91. Decima Aprilis concinnari coeperat locus ille ubi scholae publicae fuerant; et tamen, in totam aestatem et autumni partem, exigua illa aedificatio extracta fuit; tepide enim et cum magnis contradictionibus, tum ludimagistrorum, tum illius confraternitatis, aedificatio illa procedebat. Interim tamen, dum cellae et alia fabricabantur, coepit P. Everardus psalmorum lectionem eodem mense Februario in illo loco interpretari; scholae enim nostrorum eo translatae sunt, quamvis tota fere aestate saeculares ludimagistri ex quinque scholis, quae ibi erant, semper aliquam retinuerunt, et nostri ad priorem domum noctu redibant, cum dormire in novis cellis non possent. Lapidem autem in exteriori muro, qui plateam respicit, Vicarius posuit, ubi haec verba sculpta erant: FULVIUS CORNEUS, CARDINALIS ET EPISCOPUS PERUSINUS, AD COMMODUM SOCIETATIS JESU. Nomen etiam JESU in eodem muro fuit positum. Quamvis enim cubicula habitari non poterant, ecclesia vel oratorium utcumque jam erat paratum: unde et nostri ibi sacra celebrare coeperunt, et ibidem coepit populus nostros invisere cum admiratione et approbatione magna. Aedificium autem nostri, non solum sua praesentia fabros urgendo, sed etiam manum operi admovendo, promovebant; et cum rumor fuisset sparsus quod is locus in ruinam abiret, cum potius populus et ornari et augeri videret, rumorem mendacii convicit. In eodem etiam novo oratorio, et diebus veneris, christiana doctrina explicabatur, et diebus sabbati conciones ad eos, qui conveniebant ad orationem, habebantur, praeter lectionem psalmorum dominicis et festis diebus ibi habitam. Et quamvis non parum haec facere viderentur, quia tamen soliti erant in una ex illis scholis aliquid ex arithmetica practica (abbacum vocant) ludimagistri docere, amicis id urgentibus, a P. Ignatio aliquis praeceptor ad hujusmodi lectionem postulatus est, quem tamen P. Ignatius dandum non censuit, cum praeter institutum Societatis id esset. Eo tempore, scilicet, Majo mense, Perusio transivit, ex Portugallia veniens, P. Ludovicus Gonzalez, qui, praeter bonum odorem suae virtutis, consolationem etiam temporalem reliquit, qua magnopere nostri indigebant.

92. Mense eodem, ut augeretur populi erga locum illum constitutum favor, novum oratorium Vicarius destinavit, ut indulgentiam fabricae Sti. Petri populus ibi consequeretur. Sunt

etiam orationes recitatae et carmina; quae omnia, ut insolita, Perusinis consolationi et admirationi fuerunt. Multi etiam utriusque sexus homines et sacrificiis interesse, et communicare ac aliis functionibus nostri instituti interesse in eo loco coeperunt. Confraternitates etiam quaedam (inter quas ea erat, quam diximus a Laurentio Davidico congregatam) necessitatibus nostrorum temporalibus providere coeperunt. Tunc enim Cardinalis, cum pertenues haberet reditus, quamvis sustentationis, partem tribui jusserat, omnia tamen suppeditare minime poterat: agebatur de parte illius salarii, quod ludimagistris applicari solebat, Collegio applicanda; sed non visum est expedire ut, cum de ipso loco nostri satagerent, de illis reditibus novum et difficile negotium aggrederentur: cogebantur tamen, in gratiam amicorum, a quibus sustentabantur, aliquos pueros ad scholas admittere, qui nondum legere et scribere noverant; quod tamen onus, licet instituto nostro minime contrarium, suscipiendum tamen non videbatur in hac operariorum penuria. Hoc tamen utilitatis inde rediit, quod haec schola aliarum superiorum seminarium extitit; et cum provectiores scholastici, vel amore libertatis, vel a ludimagistris allecti, a scholis nostris recedebant, hi locum aliorum supplebant.

93. Admoniti sunt nostri quod P. Ignatius permissurus non esset ut externi praeceptores permixti cum nostris eo in loco versarentur [1], et quod praeceptores insigniores non facile missurus esset, nisi res temporales necessariae commodius nostris suppeditarentur. Commoverunt haec Vicarium, quamvis paulo durius initio haec accepisset, egitque serio cum dictis confraternitatibus ut curam Collegio subministrandi necessaria suscipe-rent; et cum aliqui parum affecti erga Collegium viderentur, eorum nomina delevit, et eorum loco alios Societati benevolos adscribi curavit, inter quos Marcus Antonius Oradinus fuit. Timebat enim Vicarius inconstantiam, qua ejus urbis homines laborare interdum dicuntur, et nolebat occasionem Societati dari ut a coeptis pietatis operibus desisteret in rerum necessariarum defectu, cum ejus auxilium quotidie ad utilitatem suae dioecesis clarius experiretur. Deliberarunt etiam aliqui amici

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Everardo Mercuriano: ".... ma di qua non pare conveniente nè con uno nè con duoi de' Mastri publici habbino a cohabitare.„ 19 Aug.

singuli singula cubicula absolvendi curam suscipere; nam, jam mense Augusto progrediente, exiguum illud aedificium nondum absolutum erat.

94. Sub finem Augusti, cum Cardinalis Perusinus in suam illam civitatem rediisset, P. Everardus, quodam ex nostris cum litteris misso, Patrem Olave Augubio evocavit, paulo ante quam Ariminum proficisceretur, cui Cardinalis Sanctae Crucis litteras ad Perusinum dedit ut negotia, quae Doctor Olave cum ipso tractaturus erat, commendata haberet. Cum ergo Perusium venisset et locum nostris assignatum vidisset, tolerari nullo modo debere judicavit ut saeculares illi praeceptores simul cum nostris in eadem domo scholam haberent; et id simul cum P. Everardo, Vicario et Marco Antonio, prius adhibitis rationibus, efficaciter probavit; deinde a Cardinali perhumaniter exceptus et peramanter, serio egit cum ipso de toto illo loco Collegio assignando, demonstrans quod permixtio cum saecularibus preceptoribus nullo modo conveniebat. Persuasit etiam Cardinali tandem rem ita se habere. Et cum dies octava Augusti priores confraternitatis illius, quae saecularium praeceptorum ac studiorum curam habebat, evocasset ad se [Cardinalis], eis absolute injunxit ut die sequenti scholas Societati nostrae liberas relinquerent, et ludimagistros ad domum episcopalem, ad eumdem locum, in quo nostri anno praecedenti scholas aperuerant, se transferrent; quae res mirum quanta laetitia nostrorum animos perfuderit; et, loco illo habito tamquam proprio, non dubitabat P. Everardus necessaria ad victum et vestitum tandem a civitate esse suppeditanda. Id ipsum et Cardinalis existimabat, postquam experimento cives didicissent quantum inter saeculares praeceptores et nostros interesset. Admonuit tamen P. Ignatium ad conciliandos hominum animos referre plurimum ut aliquis concionator italus Perusium mitteretur, qui confraternitatibus his, in his locis ad quae convenire solent, concionaretur. Aliquem etiam praeceptorem ejusdem italicae linguae eruditum ad altiorem aliquam litterarum humaniorum lectionem praelegendam tam ipse quam P. Everardus necessarium existimabant; et Perusinis, ante recessum, idem P. Olave talem aliquem esse mittendum recepit [1].

---

[1] Ut id, quod Perusinis Olavius promisit, opere quamprimum compleretur, quaesivit, *ex com.*, Polancus ab Everardo die 5 Aug. an vellet Perusium Neapoli mitti Leo-

95. Fuit autem notatu dignum, quod confratres illi, uno ore ac nemine discrepante, inter se datis suffragiis, censuerunt integrum illum locum Societati dandum esse, quamvis bonam partem mensis Septembris scholas aliquas ibidem retinuerunt, donec, sub finem ejusdem mensis, nostri omnino ad novum locum migrarunt. Tunc enim loca, quae ipsi tenuerant in Episcopali domo, eisdem relinquentes, ex novo illo Collegio facessere et omnino avelli debuerunt [1]. Recessit ergo Perusio, re bene gesta et optimo sui odore relicto, P. Olave, quem Romae publice disputantem in capitulo generali fratrum Ordinis Praedicatorum cum Cardinalis Perusinus audisset, de ejus doctrina alte admodum sentiebat; nec inferior pietas eruditione cernebatur. Ante recessum tamen Cardinalis cum Vicario diceret, si mittendus esset aliquis concionator italus, magnae auctoritatis vir, P. Everardum Perusio alio evocandum fore, commotus valde Vicarius fuit et, si id fieret, Collegii negotium periisse affirmabat; illum enim Perusii ab omnibus notum esse ejusque prudentiam et integritatem magni fieri; et quamvis Perusium angelus quidam (haec enim ejus verba erant) venisset; multos elabi menses oportere, antequam Perusini ei confiderent sicuti P. Everardo jam omnes confidebant. Reliquit etiam [Olave] aliquod temporale subsidium, dividens cum eis pecuniam, quam habebat.

96. Non est autem mirandum quod confraternitatis consensum ad locum illum Societati assignandum amici requirerent; nam, ut retulit Doctor Marcus Antonius Oradinus, inter privilegia confraternitati a Summo Pontifice concessa, locum illum ad puerorum institutionem ei concedebat; et ita ab ipsamet confraternitate suasit ille locum esse recipiendum, salvis hujusmodi privilegiis, scilicet, ut ad scholas, quae institutioni puerorum deservirent, locus eis a Societate linqueretur, et ipsa ecclesia potius oratorium quam ecclesia diceretur; et ita nostri

---

nardum quemdam, italum, "il quale è il secondo lettore in quel Collegio.... et pare di buona gratia in leggere et assai dotto„. Hunc autem haud temere dixerimus fuisse Leonardum Masserum. Addit enim Polancus: "Forse l' ha conosciuto V. R. quì in Roma, anzi in Parigi.„ Vide supra, t. II, n. 256, pag. 291, et *Litterae Quadrimestres,* t. I, pag. 541 et 542.

[1] Periodum hanc alio modo compingi et sensus et syntaxis requirunt, sc.: Tunc enim confratres loca, quae nostri prius in Episcopali domo tenuerant, adire et ex novo illo, etc. —De his vide Polanci ad Everardum Mercurianum litteras, 16 Sept. datas.

se admittere locum confessi sunt. Missus est autem Magister Gilbertinus Politinus [1], siculus, in humanioribus litteris tam latinis quam graecis eruditus, et hebraearum non ignarus, ut rhetoricam et lectiones illas superiores, quae expetebantur, praelegeret. Ex discipulis hic fuerat Magistri Annibalis de Coudreto, qui Messanae magna cum laude et egregio discipulorum fructu docuerat; et cum ejus mores probati omnino essent, merito Perusinis satisfactum iri, eo misso, creditum est [2].

97. Consensit etiam P. Ignatius ut nostri novum illud seminarium presbyterorum adjuvarent, et duo ex nostro Collegio Perusino ad eorum institutionem promovendam transferrentur. Coepit autem fructus spiritualis crescere ex quo proprius locus habitus est, et spiritualia exercitia quibusdam bonae expectationis juvenibus et cuidam sacerdoti cum fructu non poenitendo data sunt; et necessarium prorsus videbatur sacerdotum numerum augeri, cum supra vires operariorum labores in dies augerentur, cum etiam filii pietate accensi suos parentes ad ecclesiam, ut nostrorum opera juvarentur, adducerent [3].

Et haec de Collegio Perusino [4].

---

1 Sic a Polanci librario; sic item a Sacchino, qui ad oram paginae haec scripsit: *Gilbertinus Polizinus, Siculus;* item a Polanci librario in Litterarum Regesto *Giliberto;* sed quadrimestribus litteris, quas Perusii hoc ipso anno scribebat Polizinus, ita nomen suum subscripsit: *Albertus Pulicinus;* alias saepe *Policinus.*—Hic Roma Perusium missus est 12 Oct.; ita in litteris per ipsum ad P. Everardum Mercurianum missis.

2 Quamdam tamen animi turbationem sub anni finem passus est, ut ex litteris conjicimus, quas Polancus, *ex com.*, Everardo Mercuriano dedit 16 Dec.

3 Polancus, *ex com.*, Patri Everardo Mercuriano, ut cum Seminarii praeposito agat et curet ut clerici ad scholas nostras lectiones audituri veniant; ipse etiam leges seu constitutiones, quibus ii clerici regantur, scribat et Romam inspiciendas mittat, 9 Dec. —Vide supra, n. 81, et quae Polancus eidem Everardo scripserat, 7 Oct.

4 De Patrum Fratrumque e Societate Perusii hoc anno gestis, hoc tantum dicendum habuit Orlandinus: "Perusino quoque Collegio Fulvii Cornei Cardinalis, eiusdemque urbis Antistitis cura et auctoritate, certa attributa est sedes ad imum forum, quod Parvum appellant, ubi scholae quaedam publicae habebantur, hodieque Collegium civitatis usibus peropportunum visitur.„ l. XIII, n. 10.—Oliverius autem Manareus in Commentario, quod de *Vita et moribus Everardi Mercuriani* scripsit, altum de ejusdem Everardi in urbe Perusina gestis silentium tenet.

DE COLLEGIO FLORENTINO

98. P. Jacobi Laynez adventus, sub autumnum superioris anni, res Collegii nostri Florentini ad meliorem statum promoverat. Cum autem Pro-rex Neapolitanus, qui sub finem anni praeteriti ad bellum Senense iverat, et Florentiam, vel ad generum conciliandum, vel in officio continendum, venerat [1], in gravem aegritudinem incidisset, adstitit ei morienti P. Laynez ab ipsius filia, Florentiae Ducissa, accersitus; quo pie, ut christianum principem decebat, hac vita functo, eadem filia felicem eum appellabat, et gratias Deo agebat, qui parentem suum a propriae domus familiaribus, velut a domesticis inimicis, remotum, Florentiam, inter manus P. Jacobi Laynez moriturum et sic salutem aeternam melius consecuturum, adduxisset. Obiit Pro-rex, omnibus sacramentis acceptis, et, aliis alia humano quodam more, potius secundum affectum carnis quam spiritus, dicentibus, clare ut se ad bene moriendum disponeret Pater Laynez admonebat, et quae poterant ad id juvare suggerebat [2]. Et ita P. Laynez bene de ipsius salute aeterna spera-

---

[1] "Il Duca di Firenze havrebbe voluto starsi di mezzo (inter Gallos et Hispanos, qui de dominatu urbis et reipublicae Senensis contendebant), disposto a cercar via, con sua sicurtà, onde si fosse mantenuto a' Sanesi quella libertà, della quale in quel tempo era capace quel popolo, e che almeno non rimanesse suggetta ad Oltramontani; e a questo fine dirizzava ogni suo pensiero, e sopratutto che i Francesi si uscissero di Toscana; a che non si conosceva altro modo se non con una forza maggiore che li cacciasse; onde venendoli in casa il Vicerè, suo socero, e Don Garcia, suo cognato, le persone de' quali haveva eletto l' Imperadore all' impresa per muover più il Duca e più implicarlo nella guerra, e sentendosi forzato, o comodarlo di molte cose, o di divenire nimico a lui, all' Imperadore, e a tutta la parte imperiale, si risolse a disdire una tacita e privata convenzione, la quale per opera del Cardinale Tornone haveva contratta col Re di Francia...„ G. B. Adriani: *Storia de suoi tempi,* l. ix, an. 1552, pag. 554, H.

[2] Sensus est: "Obiit Pro-rex omnibus Ecclesiae sacramentis munitus; et licet alii, ut assolet, ad abigendum ex ejus animo imminentis jam mortis cogitationem et timorem, aliqua ei dicerent ab humano potius et carnali quam a divino et spirituali affectu profecta, ipsum tamen ut se ad bene moriendum....„—Obiit autem Februario ineunte, si verum est quod habet Adriani: "Intanto il Vicerè giunto in Firenze fu ricevuto dal Duca e dalla Duchessa, sua figliuola, cortesissimamente.... Ma già grave d' anni e travagliato dal disagio del mare, dalla mutatione dell' aria ... s' infermò e dopo non molti giorni morì: il che diede alcun disturbo all' impresa (Senense bellum); e già era più oltre che Gennaio„ *Storia de suoi tempi,* pag. 356, F.—Scipio Miccio Petrum de Toledo obiisse ait 12 Februarii. *Vita di Pietro de Toledo,* c. xliii.—Verum "In un Codice MS. tra i pos-

bat per misericordiam Dei; quamvis dicebat, pro experientia, quam hactenus habuerat, valde optandum esse ut illo in transitu liber ab affectibus hujus saeculi inveniatur, qui illud relicturus est.

99. Ipsa Ducissa, praeterquam quod laetata est de spirituali bono patri suo praestito, et ipsa proficiendi occasionem habuit; et, suadente P. Laynez, quaedam, quae ad ipsius salutem pertinebant, libenter amplexa est. Quam autem gratiam et auctoritatem apud ipsam ac etiam Ducem Cosmum idem Pater haberet, multis in rebus, quas ab eis postulabat, professioni nostrae consentaneis, cerni potest. Inter caetera illud referam quod, cum quidam miles ad mortem damnatus esset, et obstinato animo, quod ad bene, ut christianum decebat, moriendum oportebat, respueret, cum ad eum P. Laynez adductus esset, et ferox juvenis animus ad poenitentiam conversus esset, unum ultra [1] eidem confiteri voluit; et tantam pietatem exhibere coepit, ut nemo ex his, qui aderant, non ei afficeretur. Commotus ergo et ipse P. Laynez, obscurissima nocte ad Ducem misit, et ut illud crimen condonaret rogavit; et statim, revocata sententia mortis, vita ei donata est.

100. Quod ad scholas attinet, crescere scholasticorum numerus non parum coepit. Cum enim initio vix quindecim aut

---

seduti dal Marchese Gino Capponi, segnato di num.° 313 e intitolato *Notizie della Casa Medici,* trovasi a carte 146, e separato da ogni altra scrittura, il seguente ricordo:

=Don Pietro di Toledo Vice Re di Napoli.=

Adì 22 Febbr. 1553 passò all' altra vita in Firenze, nel Palazzo del Signor Duca Cosimo, Don Pietro di Toledo, Vice Re di Napoli, suo suocero, che era venuto poco prima per stanza et il genero l' aveva assegnato sc. 20 mila l' anno per il Piatto, non ostante ci fossero dei sospetti che egli fusse venuto qua per avvelenare il Duca, e che egli per certe lettere ricevute ne stesse con timore. La Pompa Funebre fu meschinissima, et è in quel deposito in Duomo che si vede sopra la Porta che sbocca in Via del Cocomero.=

Sembra che il disegno di avvelenar Cosimo, fosse uno di quei volgari supposti che non hanno appoggio di verisimiglianza; come appunto il contrario sospetto, che il Duca stesso avesse accelerata al suocero la morte (V. GALLUZZI: *Stor. del Grand. di Tosc.*, lib. II, 1553).„ Ita in *Archivio Storico italiano,* Serie prima, vol. IX, pag. 86, F. P. (Filippo Luigi Polidori.)

Haec autem nos ideo huc transcripsimus, non quod necessaria sint ad id intelligendum, quod narrat Polancus, sed ne quis, dum, aut Societatis aut Patris Laynez aut aliam historiam conscribendo, haec et similia attingit, facile admittat quaecumque, temere a quibusdam prolata, in plures libros, eos praesertim, qui *Dictionaria historica et biographica* appellantur, irrepsere.

[1] Sic: et sensus esse videtur *juvenem, praeter ea, de quibus accusatus erat, crimina, unum ultra Patri Laynez confiteri voluisse.*

viginti convenirent, ad centum et quinquaginta et amplius numerus excrevit; sed in moribus etiam et in christiana doctrina simul cum litteris proficiebant, et P. Laynez peculiares et ad ipsorum captus accommodatas de doctrina christiana conciones apud eos habebat; sed eorumdem etiam confessiones saepe audivit.

101. Conciones, quas anno praecedenti P. Salmeron, de sermone Domini in monte, cum magna frequentia et fructu inchoaverat, prosecutus est post ejus discessum P. Laynez, et in eo vicem reddidisse videtur; nam et anno praecedenti P. Salmeron interpretationem cantici *Benedictus*, quam ad Concilium iturus P. Laynez inchoatam reliquerat, in cathedrali templo prosecutus erat, ut auditoribus id ipsum desiderantibus satisfaceret; et utriusque doctrina mirum in modum Florentino populo probata fuit, et de utroque multa circumferebantur et ad aures Ducum perveniebant, et quidem cum insigni laude, ita ut, etiam post adventum Patris Laynez, de P. Salmerone retinendo agerent.

102. Cum autem quartanae febris reliquiae adhuc Patri Laynez molestae essent, ex praescripto P. Ignatii praedicationem intermisit, quamvis, si ipsius arbitrio relictum hoc fuisset, minime conciones omisisset; febricula enim non esse magni momenti ei videbatur; sed intermissio recuperandae citius valetudinis causa fuisse videtur, et populo, quamvis parum gratum esset, conferebat tamen fortassis ad excitandum desiderium eadem intermissio.

103. Res autem domesticae non parum molestiae Patri Laynez exhibebant; cum enim parum diu probati aliqui ad hoc, sicut et ad alia collegiola, mitterentur, in compluribus abnegationis et verae obedientiae ac religiosarum virtutum defectus cernebatur, et pauci hujusmodi, velut fermentum, alios inficiebant; et hoc illo initio permisisse Dominus videtur ut probationis magis diuturnae consuetudo in Societatem induceretur, et delectus major in his, qui ad nova collegia mittendi erant, haberetur [1]. Effecit tamen sollicitudo Patris ejusdem ut meliorem in ordinem, poenitentiis adhibitis, Collegium exigeretur; et,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez: "Circa Gonzalo, Alberto et Santo non accade altro replicare senon che sarà ben fatto quello che farà V. R.„ 5 Aug.—Hi praesertim juvenes negotium facessebant Collegio Florentino.

quia defectus hos satis moleste ferebat, cum P. Ignatio egit P. Laynez ut ab officio Provincialis liberaretur. Inter milites enim et nautas, ut ipse scribebat, et ubivis concionibus et praedicationi et collegiorum etiam promotioni vacare peroptabat, a domesticis negotiis tamen tractandis liber.

104. Constitutis autem illis, ut fieri potuit, Florentiae, et sigillatim et universim omnes alloquens et officii sui admonens, injunxit etiam ut, post hanc domesticorum curam, prima esset scholasticos juvandi, et ut singulis mensibus eorum audirentur confessiones [1]; nam ut spiritualibus personis audiendis vacarent, minus exacte quam par erat hanc regulam observabant; divisit autem classes et unicuique confessario suam commendavit ut, singulorum discipulorum habito catalogo, initio mensis omnes audirent; et ipse, ut exemplo alios praeiret, suam etiam classem audiendam accepit. Jussit autem in scholis lectionem graecam praelegi, ne scholastici, qui ad eam audiendam domum ingrediebantur et suos praeceptores invisebant, domum amplius ingrederentur. Alia etiam, quae ad regulas observandas et ad morum ac studiorum profectum pertinebant, constituit, et visitationibus externorum modum, quem oportebat, imposuit.

105. Post domesticorum et scholasticorum curam, si tempus superesset, id impendi civibus utriusque sexus, carceribus, hospitalibus et monasteriis, probabat. Aliquos etiam necesse fuit, P. Ignatio probante, a Societate dimittere. Quemdam autem bono ingenio praeditum, cum propter quaedam peccata, quae P. Ignatius minime ferenda censebat in Societate, dimitteret, significavit eidem sibi videri expedire ut in omnibus collegiis constaret ejusmodi defectus non tolerari. Ille autem qui dimittendus erat, ad infernum se dimitti deflens, in hospitalibus inservire decrevit usque ad mortem, vel donec ejus miserta Societas eum reciperet.

106. Urgebant sacerdotes Carfagnanae, de quibus superius dictum est, nuncio ad Patrem Laynez misso, ut collegiolum apud ipsos admitteret, cum et domum et ad aliquos alendos facultatem haberet. Et Lucae sperabat etiam Collegium eri-

---

1 Sermo est non de scholasticis Societatis, sed de scholaribus externis, qui Societatis scholas frequentabant.

gendum, cum quidam civis lucensis, viginti quinque annos natus ac dives, Societatem ingredi et suis bonis Collegium illud dotare vellet. Sed hoc anno non posse collegia hujusmodi nova admitti significatum ei est. Multi enim in Romanorum Collegiorum usum evocandi erant, id est, tam nostri quam germanici, qui ad novas hujusmodi fundationes utiles fuissent.

107. Non omittam quod cum quadam libertate scribendi Pater Laynez Patri Ignatio parum placuisset (et haec occasio esse videbatur, quod alia collegia admissa destitui viderentur operariis, dum Romam evocabantur qui ipsis necessarii videbantur), scripsit P. Ignatius [1] quasdam litteras, ab ipso solo legendas, quibus significabat sibi displicere quod ea ratione sentiret ac scriberet; cum praesertim per alias litteras ratio ipsi reddita fuisset universalis boni, quod particulari praeferri debebat; addidit etiam ut admoneret an agnosceret culpam, postquam aliquandiu ea de re cogitasset, et si agnosceret, ut scriberet quam poenitentiam subire paratus esset. Has litteras scribit se saepe legisse et in eis magnam occasionem propriae confusionis et laudem divinae misericordiae et augmentum dilectionis et venerationis sui superioris se invenisse; et gratias agens Patri Ignatio de hac correctione, magna cum humilitate eum rogavit ut, quandocumque opus esse videret, ea uteretur; interim defectus suos in particulari, quos agnoscebat, prosequitur, et multis cum lacrymis triplicem proponit poenitentiam, ut si non prima, secunda ei concederetur; et, si ne secunda quidem, ut saltem tertia; et illae tam graves erant, ut P. Ignatius nullam prorsus earum, immo nec ullam aliam ei permiserit, humilem illam sui accusationem pro abundanti satisfactione admittens.

108. Postquam, valetudine recuperata, conciones resum-

---

[1] Vere non Ignatius, sed Polancus *ex* Ignatii *commissione,* litteras scripsit, de quibus hic est sermo, ut videre est in t. III, pag. 129 operis *Cartas de San Ignacio.* Patri Polanco unum idemque erat *Scripsit Ignatius* ac *Scripsi ego de mandato* seu *de commissione Patris Nostri Ignatii;* quod etiam prima harum litterarum verba satis aperte declarant. Ait enim in his Polancus: "Padre mío: Esta letra se tome, no como de hijo, que soy en cuanto Polanco, de Vuestra Reverencia, y deudor de todo respecto y reverencia, sino como de *órgano ó pluma de Nuestro Padre,* que me ha mandado escribiese lo que en ella se contiene...„ Probe haec animadvertant ii, quibus non tantae videntur esse auctoritatis litterae, quas *ex* Ignatii *commissione* scribebat Polancus, quam illae, quibus nomen suum supponebat Ignatius. Sed de hac re plura, cum, adjuvante Deo, *Novam Seriem* litterarum Sancti Ignatii in lucem edemus.

psit, quidam, penes quem erat hoc officium in cathedrali ecclesia concionatorem adducendi, monachum quemdam ad suggestum suum invitavit, quod pergratum accidebat Patri Laynez, qui loco ejus concionis apud milites utriusque arcis Florentinae se concionaturum recepit, non omittendo concionem, quam apud fratres, de sua vocatione, singulis hebdomadis habebat, et ad scholasticos externos. Sed aliqui canonici, qui malebant Patrem Laynez ad commune bonum in cathedrali concionari, id egerunt, ut ipsemet sacrista serio Patrem rogaret ut concionnes illas susciperet. Receperunt etiam se curam praesidiarios illos milites disponendi [suscepturos] ut promissum ipsis factum remitteretur [1], et ita in cathedrali ecclesia conciones est prosecutus; quamvis universis [2] militibus ad bellum Senense profecturis omnino voluit concionari, quod opportune admodum fecit, unde complures ex eis confessi sunt.

109. In quadragesima hujus anni medicus quidem praescripserat ut saltem ovis Pater Laynez uteretur; sed ille omnino ab eis abstinere voluit, ac dicebat se necessitatem majorem exspectare debere, quae si adesset, tum demum ciborum [delectum] non esset habiturus.

110. Quamvis P. Ignatio visum non est expedire ut P. Laynez ab officio Provincialis exoneraretur, quia tamen in praedicatione occupatus erat, et ei P. Ignatius injunxerat ut compendium quoddam theologiae, ut superius dictum est, conficeret, voluit ut P. Baptistae Violae suam facultatem committeret in omnibus illius provinciae collegiis; et ita Commissarius ab eo effectus est, ita tamen ut cum ipso Provinciali, quod acturus esset, conferret. Quod sic interpretatus est P. Laynez ut, responso non exspectato, faceret ipse [3] quae in Domino viderentur, et tantum in illis se consuleret, in quibus conscientia ipsi dictaret consuli oportere.

111. Cum Florentiam mitteretur juvenis quidam, qui non bene se in Collegio Neapolitano gesserat, ut vel juvaretur vel dimitteretur a P. Laynez, Perusio ille transivit et vestem sibi a nostris, cum socio ut eam reportaret, mutuo dari impetravit, quo honestius ex urbe egrederetur. Cum autem egressus dice-

---

[1] Id est, ut liber a promissione, quam militibus fecerat, Laynez redderetur.
[2] Vocabulum hoc, propter lituras et emendationes, haud perspicue legitur in mss.
[3] P. Viola.

ret socio ut secum Florentiam usque veniret, si vestem referre vellet, nam eo usque eam relinquere nolebat, maluit socius sine veste redire Perusium, quam sine obedientia Florentiam ire. Hujus peccati poenitentiam ipso in itinere juvenis fecit; nam, praeter multos labores et pericula, ab agricolis senensibus et vestibus et pecunia spoliatus et fustibus oneratus fuit; quamvis postea, retenta pecunia, vestes ei reliquerint, et hic paulo post, cum nihilo melius procederet, a Societate fuit dimissus [1].

112. Quod ad confessiones attinet, nostri, cum proprium templum non haberent, partim in cathedrali ecclesia, partim in carceribus, partim in xenodochiis eas audiebant.

113. Admissus erat in Societatem Tarquinius de Reynaldis adolescens patri suo, qui Romae versabatur, valde charus; et ne molestiam ei afferrent consanguinei, Florentiam missus erat; sed ejus pater, eodem se conferens et commendatitias litteras ad Mariani [2] Marchionem deferens, obtinuit quamdam a Duce facultatem ad Tarquinium in palatium adducendum. Venit ergo ad Collegium quidam a primo secretario Ducis missus, qui eum ad Ducem accerseret. Respondit P. Laynez se quidem ire permissurum, sed eidem se comitem futurum. Ductus est ergo ad palatium Tarquinius, non tamen ad Ducem, qui domi non erat, sed ad Marchionem, cum quo Tarquinii pater erat. Voluit ergo Marchio, Ducis auctoritate interposita, ut P. Laynez juvenem ibi relinqueret, ubi tam ipse quam pater ejus et milites, qui aderant, multis modis juvenem exagitare coeperunt, et exuentes eum vestes Societati consuetas, quas miles quidam joci gratia induit, militaribus vestibus Tarquinium induunt, et de Societate obloqui, immo turpissima quaedam mentiri coeperunt; sed divina bonitas suum tironem munivit et, quae ad eum oppugnandum dicebantur, magis eum in sua vocatione confirmabant.

114. Postquam autem eum integrum diem atque noctem Tarquinium apud se retinuissent et omnia frustra tentassent, misit Marchio, qui suo nomine rogaret Patrem Laynez ut per-

---

[1] Estne hic Alvaradus ille, de quo infra n. 374?

[2] Sic in mss.; sed ex autographis Patris Laynez litteris constat sermonem esse de Marchione de *Marignano*.

mitteret cum patre suo Tarquinium redire Romam et duos menses cum eo manere; et, si constans fuisset juvenis, tum demum expensis patris missum iri quocumque Societas vellet. Id ipsum et Vicarius et alii nobiles sentiebant, et teneri ex quarto praecepto Vicarius affirmavit. Sed negavit P. Laynez se id facturum, et Ducem ac Ducissam allocutus est, ut non permitterent vim juveni fieri; et quamvis Marchio ab eis peteret ut cum patre juvenem ire juberent, non hoc illi concesserunt, sed nec responderunt, aliis de rebus data opera jocando. Demum patrem Tarquinii in Collegium adducentes et amanter cum eo agentes, contentus, sine filio, ut ostendebat, Romam rediit, et ad conciones nostrorum crebro se iturum promisit. Scripserunt nihilominus Ducissa et Dominus Franciscus de Toledo ad P. Ignatium, ut in Collegio Romano studere Tarquinium permitteret rogantes, quod in ipsorum gratiam concessit; et ita aliquandiu in Collegio Romano versatus est [1]. Haec tamen ejus tragicomoedia odorem optimum Societatis in curia Ducis, et praesertim apud principes ipsos, reliquit; et ipsi milites, admirati constantiam, vocationem esse Dei agnoscebant et non esse impediendam [2].

115. Octobri mense P. Simon Florentiam pervenit cum febre, quam in itinere contraxerat, quem comitabatur P. Melchior Carnero. Miraculo quodammodo de turcarum manibus evaserat; nam cum triremibus, in quibus multi ex nostris ex Hispania in Italiam trajiciebant, non venit, sed navim quamdam onerariam conscendit, quae in Corsicam appellens prope portum Bonifacium, quem hoc anno turcica classis simul cum gallica occupaverat ac tenebat; et cum triduo ibidem navis haesisset, placuit divinae bonitati ora leonum obturare, nec quidquam molestiae a vicinis turcis passi sunt.

116. In Italiam ergo veniens, terra quod reliquum erat itineris conficiens, prope Petram-sanctam obvium habuit P. Simon Patrem Laynez, qui, ut paulo post dicemus, habita bona venia Ducissae, Genuam se conferebat. Rediit ergo per sex millia versus Florentiam P. Laynez, ut nocte illa Patribus Mel-

---

[1] Rescripsit Ignatius Ducissae 23 Septembris, et eadem die misit "un' altra simile, *mutatis mutandis,* ait Polancus in *Regesto*, para Don Francisco de Toledo„.

[2] Quae in his duobus nn. 113 et 114 continentur, fere ad verbum desumpta sunt ex litteris Patris Laynez ad S. Ignatium datis Florentiae, 16.ª Septembris 1553.

chiore et Simone frui posset [1]. Ii retulerunt multos ex nostris, qui in triremibus veniebant in Italiam, retro rediisse; classis enim illa exigua magnam turcarum classem in illis maribus tunc navigantem merito vitavit, et ita primo quoque tempore commodo nostros mari venturos renunciarunt; iter enim terrestre, propter bella inter Imperatorem et Regem Galliae, clausum erat. Mensem fere integrum Florentiae substitit P. Simon, et nostrorum ac Magistri Joannis, medici, charitate curatus; et ultimis duobus vel tribus diebus, quod nostri ad domum Sti. Joannini migrarent, ut dicemus, etiam hospitio ab eodem Magistro Joanne exceptus est; et ita, ut superius diximus, decima Novembris Romam pervenit.

117. Jubilaeum, sub hujus anni finem Florentiae promulgatum, satis negotii nostris in confessionibus audiendis exhibuit.

118. Jam ab initio hujus anni provectiores in litteris ad scholas Collegii Florentini accedebant; et qui legere non noverant, coeperunt non admitti: nam prius, ut scholae numerus augeretur, eos admittebant.

119. Non autem omittam, quod cum in concione, sub finem anni praecedentis, instaurationem studiorum P. Laynez populo declarasset, et orationes habendas etc., non existimaverunt aliis scriptis affixis, ut assolet, hanc ipsam instaurationem populo significandam [2]; et ita pauci ad orationes audiendas venerunt, quibus tantopere illae placuerunt, ut dicerent dignas eas fuisse quas universa Florentia audiret. Anno ergo sequenti [3] cum studia renovanda fuerunt, hoc experimento edocti, scriptis affixis, quid facturi erant promulgarunt, et suas orationes

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Simoni Florentiam scribebat 21 Octobris, gratulans de felici adventu eumque exhortans ut, quoniam multa in itinere terra marique ipse ejusque socius Melchior Carneiro passi erant, sibi suaeque valetudini prospiceret, et ne nimis Romam venire properaret. Et 28 Octobris Patri Laynez: "Del riscontro di V. R. col P. Simon ci scrive il suo compagno ne seguitò buon frutto. Lui si fermò amalato in Firenze, ma già sappiamo pare stia meglio et in breve crediamo si partirà per Roma." Pervenit autem Romam 10.ª Novembris, ut infra habet Polancus, vel 11.ª, ut in litteris ab ipso eadem 11.ª die datis apparet.

[2] Fefellit hic memoria Polancum; non enim ideo schedas in angulis viarum non affixerunt, quod non affigendas existimaverint ipsi, sed quia eis ne id facerent Roma injunctum est. Vide supra t. II, n. 245, pag. 514, et not. 1, pag. 515. Nisi velimus ideo eis id Roma injunctum esse, quia rationes ipsi aliquas proposuerunt, propter quas non expedire ut morem consuetum tenerent judicabant.

[3] Hoc scilicet anno 1553.

ac versus pronunciarunt, praesentibus Domino Francisco et Ludovico de Toledo et aliis multis tam ex primariis quam ex populo, et res ex sententia successit; et illi praesertim, qui carmina pronunciarunt latina et graeca, decenter se gesserunt.

120. Et risu spectaculum finitum est, cum nanus quidam, qui in deliciis erat apud Duces, carmina quaedam ex suggestu lepide pronunciavit, pedibus eo in loco stans, ubi sedere alii consueverant, quia pusillus admodum erat; et cum inter pronunciandum, perturbata memoria, non posset absolvere coeptum carmen, lepide admodum quasi indignabundus desiliit, quo facto magis auditores recreavit quam si omnia exacte pronunciasset. Hic aliter, cum filii majores Ducis, quos duo Episcopi et alii nobiles comitabantur, similes orationes et disputationes earum scholarum sua praesentia cohonestassent, memoriter christianam doctrinam tam expedite pronunciaverat, mense Majo praeterito, cum alioqui vix propter pusillam staturam cerni posset in cathedra; et tantopere id Ducibus placuerat, ut occasio fuerit eum in palatium admittendi ut cum filiis versaretur, et crebro ad recitandum christianam doctrinam ad mensam eum invitabant, et eidem favere valde coeperunt.

121. Non omittendum videtur quod, cum crebro nostri, qui ex variis Germaniae, Flandriae et Galliae locis, et etiam Italiae, Romam [veniebant], Florentia transirent, quamvis magna Collegium illud paupertate laboraret, non solum amanter eos excipiebat, sed viatico etiam juvabat, si illo minus instructi quam par erat viderentur; et cum ipsi in diem quodammodo viverent, quaerebant nihilominus alioquin aureos nummos non paucos ut, quoniam hoc iter facturi erant, commode illud facere possent; postea tamen, quamvis illi nihil peterent, sumptus hujusmodi P. Ignatius illis refici voluit [1].

122. Hoc anno, et Florentiae et aliis in locis, nostri admoniti fuerunt ut, cum aliqui aegrotarent, medicum praemonerent ne coram ipsis aegrotantibus de mutatione aëris necessaria quidquam diceret; ne, videlicet, ea ratione propensiores, qui laborarent, ad mutationes redderentur; et tanto gratius hoc praeceptum Florentiae acceperunt, quod necessarium esse ex-

---

[1] Moniti etiam sunt Lovanienses et Colonienses ut sufficiens viaticum eis praeberent, quos Romam mitterent; ita in litteris ad Ludovicum du Coudrey datis 30 Sept.

perientia eos docuisset [1]. Aliud etiam acceperunt praeceptum, ne juvenes, praesertim illitteratos, inconsulto P. Ignatio, Florentiae admitterent: hujusmodi enim non pauci ad Societatem ibi adspirabant [2].

123. Cum autem Rectoribus tantum facultas a P. Ignatio communicaretur ad casus reservatos, praesertim majoris momenti, absolvendos, suggessit P. Laynez, quamvis probaret solis Rectoribus eam facultatem conferri, sibi videri expedire ut illi ipsi possent aliis sacerdotibus, si quos haberent idoneos et quibus confidere possent, eamdem facultatem communicare.

124. Initio hujus anni coepit idem P. Laynez opus illud conficere, quod P. Ignatius ipsi injunxerat, compendium, videlicet, theologicum; prius tamen existimavit diffuse theologicam doctrinam esse tractandam et ex illis deinde summam colligendam, et hoc ipsum P. Natali probabatur. Fuit autem orationum Societatis auxilium eidem Patri promissum, quia ad ejus utilitatem laborabat. Detrectabat quidem hanc provinciam initio pro sua humilitate; sed cum propensam ad id voluntatem P. Ignatii videret, bono animo rem est aggressus. Quamvis enim exiguam librorum supellectilem haberet, magnam habebat suorum scriptorum. Cum enim plurimos auctores legisset, diligenter eorum sententias, et in rebus gravibus etiam verba, in sua scripta redegerat. Quamvis ergo nec conciones, nec alia officii sui ministeria relinquebat, non exiguum progressum in hoc opere fecit primis sex vel septem mensibus hujus anni, et in sex partes, licet inaequales, totum opus dividere cogitabat: ut prima esset quaedam introductio et quasi proëmium ad theologiam: 2.ª de natura et proprietatibus Dei, communibus toti Trinitati: 3.ª de generatione Verbi: 4.ª de processione Sancti Spiritus: 5.ª de providentia et gubernatione universa, ubi mysteria Incarnationis, et alia quae de Deo novimus erant tractanda. Ex his libris, 2.um, 3.um et 4.m sub initium Septembris ad P. Ignatium confectos misit ut videndos curaret, et an progrediendum esset ulterius admoneret. Ex illis tribus compendium vel ab ipso vel ab alio confici facile

---

[1] Ita 11 Nov., in "Una generale a tutti li Collegii, Bologna, Firenze, Perugia, Ferrara, Vinegia, Messina, Vienna, Napoli„.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Ludovico de Coudreto, de quodam juvene, qui in Societatem cooptari cupiebat, 16 Dec.—Vide infra, n. 350.

posse scribit; et tamen propter occupationes, quae subsecutae sunt, ulterius non est progressus. Litteris quidem nomine P. Ignatii significatum ei fuit ut ulterius progrederetur et ut ipsemet summam vel compendium conficeret; sed occupationes urgentes magis ac magis non id permiserunt [1].

125. Cum quidam religiosi et alii exercitia spiritualia postulassent, et prior cujusdam monasterii librum ipsum expeteret, nomine P. Ignatii significatum fuit, ne cuiquam liber ille daretur, qui non se in illis meditationibus exercuisset.

126. Quod ad temporalia pertinet, tam curta erat nostris supellex, ut ne lectos quidem proprios haberent, sed conductitios, in quibus et conducenda domo ducentorum aureorum, quae a Ducissa singulis annis assignabantur, pars non exigua expendebatur. Dominum quidem Ludovicum de Toledo, Ducissae fratrem, in protectorem elegerant, et ille libenter protectionem acceperat; sed tamen subsidia temporalia minime dabat, quia forte non commode poterat. Mendicare, propter principes ipsos, qui non in bonam partem id accepturi videbantur, non licebat; itaque non deerat patiendi occasio. Misit quidem Ducissa, cum quidam Societatis amicus penuriam nostrorum ei ostenderet, quinquaginta aureos ad lectos emendos; alias eleemosynas et ipsa et alii ex civibus utriusque sexus mittebant, quibus utcumque nostri sustentabantur. Roma etiam plusquam centum aurei in subsidium ipsis missi sunt [2]. Et quia de hoc subsidio augendo [3] non admodum P. Laynez sperabat, id certe curavit per se et per amicos, ut certa aliqua assignatio fieret, ne cum labore et distractione, eundo subinde ad palatium et redeundo, ea eleemosyna recuperaretur. Urgebat aliquando Ducissam P. Laynez et illa pollicebatur; sed non perinde promissa exequebatur, ut, non semel taedio affectus, cuperet omnino substrahi hoc auxilium a Ducibus, ut libere eleemosynas a populo petere liceret, quod integrum non erat

---

1 Postrema haec periodus, a verbis *Litteris quidem,* addita est ab ipso Polanco.— Adeo vehementer cupiebat Ignatius compendium hoc quamprimum confici, ut litteris ad universas Italiae domos, die 2 Jan. datis, Patrem Laynez illud conficientem omnium precibus adjuvari jusserit.

2 Etiam haec verba: *Roma etiam plusquam centum aurei in subsidium missi sunt,* addidit manu propria Polancus.

3 Et quia de hoc (a Ducibus promisso) subsidio augendo (ut ad Collegii sustentationem sufficeret) non admodum....

dum hoc subsidio a Ducibus ali Collegium bona ex parte videbatur [1].

127. Quod ad locum attinet, in conductitia domo et sine templo proprio majorem hujus anni partem nostri Florentiae traduxerunt. Hortatus fuerat Cardinalis Augustanus eos principes anno praecedenti ad ecclesiam aliquam et locum nostris dandum [2]; sed toto anno, sicut coeperant, in conductitia domo sunt versati; quamvis aliam priore commodiorem, in qua studia renovarentur, conduxerunt, ad plateam Strozziorum. Difficultas [3] erat bona ex parte quod animarum cura admittenda non esse Patri Ignatio videbatur, si ea praesertim alio transferri non posset. Tandem ad ecclesiam Sancti Joannini, quam propter situm angustum parum probabant, serio animum adjecerunt, cum melior aliqua commoditas tunc non se offerret, et cum patre pueri, qui possidebat beneficium [4], convenerunt, ut, compensatione canonicatus Sancti Laurentii accepta, ecclesiam illam in usum Collegii cederet; et facile principes (nam penes Ducem est hujusmodi canonicatuum praesentatio) id facturi videbantur; sed daemon videtur perturbasse conventionem hanc, qui, ut credendum est, noluisset firmam nostrorum in ea civitate residentiam videre; et creditum est quod ortum habuisset haec difficultas ab ipsis Sancti Laurentii clericis, quibus vicinum est templum Sancti Joannini.

128. Bene tamen principes affecti erant, et ipse Dux Cosmus, praeter morem, bis nostros allocutus erat, et petebat ubi concionaretur P. Laynez, et quam habitandi commoditatem ecclesia Sancti Joannini haberet, et an dilatari situs posset; et amicus quidam (de quo superius mentio facta fuit), quem equitem de Rossi [5] vocabant, oblivisci principes hujus negotii non sinebat. Et ita, superata difficultate, tandem contractus factus est mense Julio, et domus illa D. Joannini ad triennium conducta, quoniam ante illud tempus [6] commoditas futura credeba-

---

[1] Vide supra, t. II, n. 246, not. 2, pag. 515.

[2] Eadem igitur officia cum Florentinis Ducibus in Societatis favorem praestitit bonus hic ejus fautor, quae cum Ferrariensibus praestiterat. Vide supra, t. II, pag. 498, n. 207.

[3] In obtinendo ad Societatis usum templo.

[4] Ecclesiae Sancti Joannini.

[5] Polanci librarius scripsisse videtur *Ruscum;* sed alia manus lineis hanc vocem cancellavit et supra scripsit *d Rossi*.

[6] ante exactum triennium.

tur ad compensationem illius canonicatus dandam, ut locus nostris liber relinqueretur. Dabat quidem secretarius Herrera [1] beneficium quoddam suum, et quidem majoris valoris quam illud Sti. Joannini, ad compensationem ejus; sed non est admissum, et ideo ratio conductionis ineunda fuit, donec vacaret canonicatus Sti. Laurentii; et quia domus erat exigua, alia etiam vicina conducenda erat ut nostri possent habitare; sed brevi vacavit canonicatus quidam, quem Dux, prout jam promiserat, in compensationem Sti. Joannini dedit, ut liber maneret ille locus Societati, cum exiguis reditibus quadraginta scilicet vel quinquaginta scutorum.

129. Tertia ergo Novembris ad Stum. Joanninum nostri omnes migrarunt, quamvis aliqui in vigilia festi omnium Sanctorum eo se conferre coeperant, et, eodem die, qui fuit primus Novembris, post vespertinum officium, in templo Sancti Joannini P. Ludovicus de Coudreto coepit concionari; et quia res non admodum innotuerat, tantum sexaginta vel septuaginta auditores habuit; sed crevit paulatim et ad conciones et ad sacramenta concursus. Domum [non] admodum concinnatam, praeterquam quod angustissima erat, invenerunt; et cum essent undecim numero non amplius, binos et ternos lectulos in quovis cubiculo collocare debuerunt. Scholae tamen melius concinnari potuerunt; tria enim cubicula infima in tres classes commutarunt, et portam versus publicam viam aperuerunt, et loco quartae classis ipsa sacristia electa est. Consequens autem renovatio studiorum, de qua superius egimus, simul cum ministerio verbi Dei et sacramentorum, ac sacrificiis Missarum quotidie oblatis, locum, qui quodammodo desertus erat, nobilitarunt; et statim nobilis quaedam foemina tabernaculum ad Sanctissimum Sacramentum tenendum confecit [2].

130. Diebus autem dominicis duo ex scholasticis in eodem templo partem christianae doctrinae recitabant per modum

---

[1] Is unus erat e Ducis secretariis, ut pluribus illius temporis monumentis constat. Vide *le Carte Strozziane nel R. Archivio di Stato in Firenze,* passim, in *Archivio Storico italiano.*

[2] Polancus, *ex com.,* Patri Ludovico de Coudreto: "1.° Sopra di tenere in tabernacolo il Santissimo Sacramento in chiesa, che potrà parlar al Vicario, mostrando avisarlo et non per dimandar licenza. 2.° Che per le facoltà nostre possiamo dispensare d' irregolarità con quelli della Compagnia; ma con quelli di fuori si stà in dubbio....„ 23 Dec.—Eidem, de iis, quae tum Romae tum Florentiae agenda sunt ut tandem integre et in perpetuum Sancti Giovannini ecclesia donetur Societati, 30 Dec.

dialogi, quod et devotioni et admirationi erat auditoribus, qui attente admodum, quae dicebantur, audiebant, ad hominis christiani institutionem pertinentia, quod [1] auditores ut libentius venirent et alios invitarent ad consequentem P. Ludovici lectionem (nam concio in lectionem converti debere visa est) faciebat. Cum autem mense Decembri qui dederat ecclesiam Sti. Joannini possessionem accepisset canonicatus, promptum obtulit sese ad resignationem beneficii Sancti Joannini ad effectum unionis; sed adhuc consensus patronorum requirebatur, quos per ipsum Ducem ad consensum praestandum adducere oportebat. Sub anni finem voluit Ducissa eleemosynam ad nostros vestiendos donare, qui easdem habebant vestes quas Roma tulerant, cum paulo minus biennio Florentiae fuissent.

131. Mense Majo P. Laynez egit cum P. Ignatio de bonis paternis in usum Collegii, quod in ipsa domo paterna, in oppido Almazano, erigeretur, convertendis. Tantum enim Christophorus Laynez, ejus frater, superstes erat. Quia tamen ipsius mater vidua erat, et duae sorores hoc patrimonio erant juvandae, donec mater viveret, non libere videbatur agrorum et vinearum fructus in sustentationem collegialium impendi posse. Sed comes Montis Acuti, cujus est illud oppidum, aliquas capellanias aut simplicia beneficia applicare posse videbatur; et quamvis donatio facta est ab utroque fratre, nihilominus res successum non habuit; nec tamen propterea bonae suae voluntatis merito P. Jacobus Laynez privatus est [2].

132. Dubitare P. Ignatius videbatur, an P. Laynez Romam evocandus esset ut lectionem sacrae theologiae in Collegio praelegeret; sed visum est tandem aliis in rebus Patris Laynez operam magis esse necessariam, cum praesertim simul scribere et legere non posse videretur.

133. Voluit etiam Cardinalis Compostellanus, Dominus Joannes de Toledo, sententiam Patris Laynez intelligere circa studia Collegii illius, de quo anno superiori facta est mentio, quod Compostellae Societati dare cupiebat; et haec demum fuit, ne studia legum ibi admitterentur; et initio quatuor ma-

---

[1] Id est, doctrinae christianae recitatio per modum dialogi a duobus pueris, ex his qui nostras scholas frequentabant, in templo dominicis diebus facta. Vide infra, n. 364.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez: "De sus bienes, que Nuestro Padre quiere que sean para hacer un Colegio en Almazan por memoria de él, etc.„ 11 Febr.—De hoc etiam plura in litteris Patris Laynez.

gistri grammatices, quintus rhetorices, sextus graecarum litterarum, septimus rerum ad confessarium instituendum necessariarum lector institueretur; et ubi praeparati essent auditores, cursus artium inchoaretur, vel singulis annis inchoandus, vel post praecedentem absolutum, prout scholasticorum exigeret numerus et profectus; deinde ut theologiae scholasticae juxta Sti. Thomae doctrinam cursus, ad summum quatuor annis absolvendus, libris Scripturarum difficilioribus etiam lectis, absolveretur, et regulis universalibus, quae ad Scripturam intelligendam a doctoribus traduntur; suo deinde tempore, habita ratione successus et scholasticorum, videri posse an Collegium in Universitatem esset erigendum; et quia ad similia collegia haec eadem sententia utilis esse poterat, eam non omittendam censui [1].

134. Agebatur hoc tempore de Collegio Genuae instituendo. Injunxit ergo P. Ignatius Patri Laynez, ut curaret a Ducissa facultatem ad aliquod tempus impetrare, ut cum bona ipsius venia, Genuam iret, et sperabat ille non difficile se posse impetrare. Quamvis enim Ducissa multum ei favoris ostenderet, nihilominus aliquo modo austerum et scrupulosum existimare, ut ipse scribit, videbatur. Eadem ergo opera et hanc facultatem se impetraturum sperabat, et ut etiam nostros, qui Florentiam veniebant, vestibus muniret; et impetravit omnino, ut sperabat, hanc facultatem; sed postea eam concessionis poenituit [2] et facultatem revocare volebat; sed institit P. Laynez ut ne bonam sententiam mutaret, quam etiam Genuensibus petentibus semel concesserat; et ita illa dixit quod se ipsam vincere in ea parte volebat, et ad duos menses ei denuo concessit, et litteras suas ad Genuenses addidit. Et cum rediisset, significavit ei duo se velle facere quae ad id usque tempus facta non fuerant: alterum quod singulis mensibus volebat confiteri; alterum quod in palatio vellet Patrem Laynez sibi, octavo quoque

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, approbasse Ignatium quae circa Compostellanum Collegium a Laynez proposita fuerant, sed oportere ut Compostellanus Cardinalis et Comes de Monterey haud aegre ferant a minimis incipi, paulatim ad altiora progrediendo, 12 Aug.—Etiam a P. Salmeron exquisivit Ignatius sententiam circa Collegii Compostellani institutionem, ut patet ex litteris eidem datis 13 Aug.; et ab aliis etiam praeter Salmeron et Laynez, ut ex litteris 27 ejusdem mensis Augusti datis evincitur.

[2] Ab his verbis *et facultatem* ad num. usque 135 exclusive, totum manu propria inseruit Polancus.

die, et suae curiae concionari. Dux etiam, qui se reddiderat difficilem aliquantulum in ejus discessu permittendo, illum permisit; et ita secundo die Octobris Florentia Genuam versus profectus est. Post ejus recessum et migrationem ad domum Sti. Joannini, classem rhetorices nostri aliis, quas prius habebant de humanioribus litteris, graecis et latinis, addiderunt [1].

Et haec de Florentino Collegio.

DE MISSIONE P. LAYNEZ AD CIVITATEM GENUAE,

ET COLLEGII EJUSDEM URBIS OCCASIONE

135. Cum P. Natalis Aprili mense Genuam pervenisset ut in Hispaniam inde navigaret, invenit a multis serio agi de Collegio Societatis nostrae ibidem instituendo. Ipsa quidem Respublica potius permittebat agi quam ea de re agebat. Electi fuerant, nihilominus, duo vel tres nobiles viri, inter quos erat D. Thomas Spinola, ut de loco et aliis rebus tractarent, et adjunctus ipsis fuerat D. Franciscus Bava; et cum protectoribus hospitalis, quod *Majus* vocant, adjuvante suffraganeo, curatum fuerat ut Ecclesiam Annunciatae in usum Collegii concederet, ubi etiam domus ad habitandum satis commoda erat. Cum autem Romam scripsissent [2], et P. Ignatius de mittendo P. Jacobo Laynez spem fecisset, magna consolatione sunt illi

---

[1] Polancus, *ex com.,* Patri Laynez gratulatur de facultate ei per Ducissam Florentiae factam eundi Genuam hortaturque ut adjutorem secum ferat aut sacerdotem aut laicum aut utrumque, 12 Aug.—Adeo cordi erat Ignatio haec Patris Laynez in urbem Genuam profectio, ut, quamvis nollet Ducissa Florentiae permittere ut a se ille *ne ad horam quidem* (sunt haec Ducissae verba) recederet, et in hanc sententiam Ignatio scripsissent et ipsa Ducissa et ejus avus, Cardinalis Sancti Jacobi, scriberet tamen Polancus, *ex com.,* haec Patri Laynez: "Con questo li (a Nostro Padre) pare che V. R. con ogni sforzo, se ben bisognassi in ginocchioni o con altra dimostratione condecente alle persone di tutti duoi li domandi questa grazia....„ 26 Aug.

[2] Ignatii responsum ad Deputatorum litteras, in quo tamen mentionem nondum facit Patris Laynez, habes in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 230 et 405. Alterum, in quo Patrem Laynez promittit ejusque curam Deputatis commendat, in pag. 265 et 415. Ejusdem litteras Vicario Genuensi in pag. 267 et 416.

affecti, et demum locum quemdam in situ commodo et salubri elegerunt, in quo, quamvis aliqui aegrotantes decumberent (erat enim exiguum quoddam hospitale), habitatio tamen sejuncta ab aegrotantibus, et separatum habens aditum, ibidem erat; quod minime placuit P. Ignatio, et ita aliam quaerere oportuit. Cum tamen P. Laynez nona die Octobris Genuam pervenisset, et a D. Nicolao Sauli hospitio exceptus esset in amoenissima domo Charignani, cum hospitalis praedicti habitationem vidisset, hanc priori praetulit; nam ad animas juvandas et spiritualia ministeria exercenda opportunior erat.

136. Statim conciones in cathedrali ecclesia auspicatus est, et, ut Episcopus Chaborlensis, Archiepiscopi Vicarius, scribit, magna cum doctrina et fructu; et ita totam illam civitatem magnopere consolatus est. Dedit ei Vicarius praedictus facultatem suam omnem, quam ei dare potuit, tam ad confessiones audiendas, quam ad ecclesias visitandas et ministros earum. Concionabatur autem dominicis et festis diebus populo frequenti, et diebus jovis seorsum ecclesiasticis et aliis viris lectionem quamdam de casibus conscientiae coepit interpretari [1]; et quamvis ea Respublica satis in bello corsico occupata esset, cum galli, classe turcarum adjuti, aliquam ejus partem armis occupassent, inter ipsos tamen strepitus belli et de rebus spiritualibus serio agebatur, et de collegio in eam civitatem inducendo.

137. Afflictus quidem fuit in initio ipse P. Laynez colicis quibusdam doloribus et calculo, quo laborare solebat; sed brevi, Deo propitio, sanitati restitutus, et conciones prosecutus est. Forte valetudinis adversae causa fuit quod, cum 2.ª Octobris Florentia proficisceretur, magnis imbribus perfusus fuit. Cum Lucae paulisper subsisteret, aliqui ex primariis ejus Reipublicae viris de collegio ibidem instituendo agere coeperunt; sed, inde recedens ut iter prosequeretur, tractationem in aliud tempus rejecit; et inde profectus, obviam habuit P. Simonem, ut superius diximus, et cum veritatem [2], humilitatem ac obe-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez praescribit numerum, quem excedere non debet, concionum, etc. "Tanti Thisici et Ethici, come vediamo nella Compagnia, si fanno inutili a lavorare lungamente nella vigna del Signore con usar troppo fatiche. Et perche V. R. possa lungamente lavorare, vuole Nostro Padre lavori più moderatamente.„ 17 Dec.

[2] Sic: rectius forte *veritate*.

dientiam, et cum praeposito suo unionem, ei magnopere commendavit; quod et se facturum est pollicitus [1].

138. Demum, Genuam perveniens, conciones et spirituales labores, ut diximus, aggressus est; et ne cum aegrotantibus, pro sua charitate, plus laboris et occupationis susciperet quam alia ministeria populo utiliora ferrent, injunctum est ei ut cum jam dictis aegrotantibus se non misceret. Et cum per praedicationem et colloquia ipsius civium animi incalescerent, non de uno tantum, sed de duobus collegiis ibi instituendis, simul agebatur; prius quidem in medio urbis instituendum erat; aliud autem in remota quadam urbis parte, quam Charignanum superius nominavimus, in quo, ut amoenissimo situ et spatioso, familia Saulorum alterum collegium instituere volebat; et dum ecclesia et collegium aedificatur, quoddam monasterium vicinum, ad ipsorum pertinens familiam, ad habitationem nostrorum dari volebat; sed quia fabrica magnarum expensarum futura erat et diuturna, aliquem de Societate postulabant qui praeesset. Hoc secundum Collegium priori pro villa futurum esse Patri Laynez videbatur, ad quod, recreationis et salutis causa, nostri ex urbano Collegio se conferre possent.

139. Nec Patri Ignatio res displicebat, et utrumque Collegium se amplecti velle significavit; quamvis interim, dum secundum instituebatur, non esse mittendos duos vel tres, qui petebantur, censebat. Quamvis ut fabricae praeesset Petrum Sanctinum, qui Lucae versabatur, mitti non recusabat, si tamen, aedificio absoluto, collegium mittendum esset. De hac ipsa re Archiepiscopus Genuensis, qui caput familiae Saulorum erat, cum Romae versaretur, cum P. Ignatio contulerat; et si Societas subire vellet onus duodecim Missarum singulis diebus dicendarum per nostros vel per alios, dicebat reditus mille scutorum singulis annis Societati applicari posse, dummodo et scholas ibidem aperiret [2].

140. Difficilius tamen quam cogitaverant amici Genuenses locum idoneum ad Collegium in media urbe constituendum invenire poterant, quod praecedere debebat Saulorum Colle-

---

[1] Vide supra, n. 116, pag. 64.

[2] Die 19 Augusti, priusquam Florentia Genuam versus P. Laynez recederet, fusam ei Polancus de Ignatii mente informationem miserat circa Collegium aut Collegia Genuae erigenda.—Item de Petro Santini, 28 Oct.

gium. Ipse tamen P. Ignatius scripserat Patri Laynez, ne hac in re sollicitus ipse esset, sed amicis negotium hoc relinqueret; quare ipse praedicationi dabat operam, non solum in cathedrali ecclesia, sed in alia Sancto Columbano sacra; tractabat etiam diligenter ea, quae ad restitutionem pertinent, ad negotiatorum spirituale auxilium, et ea, quae ad vocationem sacerdotum pertinebant, ut et ipsis consuleret.

141. Postquam autem negotium Collegii Charignani, a Saulorum familia instituendi, diligentius cum ejus gentis primariis hominibus tractavit, videbatur hoc percipere, quod Archiepiscopi oblatio jam locum non haberet; testator enim Bendinellus Saulus, avus Archiepiscopi, suo in testamento erigi ecclesiam jusserat, et duodecim capellanis, qui totidem sacra celebrarent, reditus illos applicabat; et electionem hujusmodi sacerdotum ei relinquebat, qui a seniore viro ejusdem familiae descenderet, qui tunc quidem erat pater Archiepiscopi; sed dum fabrica absolvebatur, in qua centum millia ducatorum erant expendenda, et vix annis viginti absolvi poterat, verisimile erat quod pater Archiepiscopi moreretur, et ita successor juxta testamentum posset et constituere et removere religiosos; et ita securius fore existimabant si trecentos aureos annui reditus cum quodam monasterio vicino Societati applicarent, et eidem committi cupiebant fabricae curam; nam complures eorum in animo id habebant et Archiepiscopus, ut scilicet tota ea fundatio in usum Societatis tandem cederet; id tamen polliceri nolebant, et praecedere Collegium a civitate vocatum volebant, ne privati cives antevertere Rempublicam ipsam in hoc opere viderentur; in quo tamen multa agenda supererant, nam quidam privati cives ad Collegii institutionem propensi, pio quodam modo civitatem ipsam vel Rempublicam deceperant; nam ab ea facultatem scribendi P. Ignatio et Collegium evocandi acceperant, et tamen civitas rem non satis intellexerat, duos tantum vel tres venturos intellexerat, et testata fuerat quod ad expensas eorum nihil vellet ex publico conferre, quod illi privati cives tacuerunt; nec quidquam ea de re Patri Ignatio scripserunt [1].

142. Sed postquam ibi coepit P. Laynez concionari, cum

---

[1] Ut plenius haec rectiusque intelligantur, videndae litterae Polanci ad Laynez missae 28 Oct.

multi ex nobilibus eum audire coepissent, tam in cathedrali ecclesia quam in monasteriis (in quibus profestis diebus praedicabat), et lectionibus etiam cum interessent, affici magis ad Collegii fundationem coeperunt. Cum etiam Legatum Imperatoris adiisset, et ibidem Adamum Centurionem et alios primarios cives esset allocutus, omnes suam operam ad Collegii institutionem obtulerunt, et cives quidam divites constituerant Rempublicam ipsam tentare, et, si possent, ab ea trecentos aureos annuos extorquere (cum enim Florentiae talem et non majorem fundationem esse intellexissent, satis fore arbitrabantur si illam aequarent), vel partem hujus summae; id quidem gratum ipsis fore; sin minus, satis futurum esse dicebant, si Respublica Collegium amplecteretur et suo favore prosequeretur; nam ex eleemosynis facile necessaria suppeditari posse putabant, cum ex publicis et certis eleemosynis centum millia ducatorum in ea civitate expendantur. Demum Episcopus Chavorlensis [1] consilium civitatis, quod ipsius Reipublicae auctoritatem habet, adiit, cum multi ex eis privatim bonum animum suum ostendissent, et decretum fuit ab integro senatu ut collegium peteretur et Genuam deduceretur, et duobus deputatis prioribus totidem addiderunt, scilicet, Augustinum Lomellinum et Stephanum Ragium, ut et locum quaererent et de necessariis ad victum providerent.

143. Et ita Episcopus, nomine civitatis, a P. Ignatio postulavit decem aut duodecim. Nobiles autem Episcopo Vicario promiserunt sigillatim aliquos se reditus ad usum Collegii empturos in monte, quem vocant S. Georgii, ita ut quatuor illi protectores parum laboris habituri essent in rebus necessariis Collegio providendis. Nihil enim ipsa Respublica eatenus obtulerat ex publico aerario; sed nec in operibus pietatis dare quicquam est solita, sed protectoribus deputatis subventionem hospitalium et piorum [2] hominum commendat, suamque illis auctoritatem communicat; et ita ex illa summa, quam singulis annis seorsum singulae familiae conferunt ad pios usus, pauperes omnes alere solent, quos mendicare non permittitur. Decem

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 231, not. 3, et pag. 322, not. 2, et t. IV, pag. 170, not. 2.—Orlandinus scribit *Caborlensis,* cui consonat Polancus, qui, in *Litterarum Regesto,* litteras, quas nos t. III, pag. 322 dedimus, non Episcopo *di Calvi,* ut noster librarius legit, sed *per il Vescovo di Cavorli* superscripsit.

[2] Sic; fortassis *pauperum.*

aut duodecim ex nostris accersebantur, de quibus P. Laynez dubitandum non esse scribit quod prospectum ipsis esset abundanter.

144. Major erat in domo invenienda difficultas, et aliqui de ecclesia, quam Annunciatam vocant [1], cogitabant, ubi sacerdotes quidam pii versabantur, qui Societatem ingredi cupiebant; alii de monasterio Sancti Syri obtinendo a Cardinali Ferrariensi, vel certe aliqua ejus parte, agebant, et temporis successu abbatiam ipsam applicari [posse] Collegio dicebant. De aliis etiam locis agebatur, et quia [2] messis magna ibi futura videbatur, si Rector aliquis prudens, eruditus et bonus, et alii operarii industrii mitterentur, inter quos concionator aliquis idoneus expetebatur, quamvis et ipsum P. Laynez usque ad progressum aliquem ulteriorem Collegii ibidem subsistere debere censebant [3].

145. Cum P. Ignatius minimum quatuordecim vel quindecim esse debere, qui ad novum Collegium mitterentur, respondisset, et certam ipsis sustentationem, si non a Republica, a privatis hominibus curandam esse scripsisset, ne mendicare (quod Collegiis non congruit) cogeretur; praeterea [4] usque ad annum sequentem id [non] posse fieri, utrumque aequo animo amici acceperunt. Non tamen videbatur Patri Laynez de summa aliqua certa (quingentos aureos P. Ignatius nominatim scripserat) agendum esse, quamvis difficultas rei pecuniariae, quam Florentiae et alibi nostri experiebantur, merito P. Ignatium movisset, quia ea erat civitatis Genuensis ratio, ut timeri minime posset quod aliis in locis timendum experientia docebat. Nec Collegium, tam opportuno loco situm ad Societatis utilitatem [5], ulla ratione relinquendum videbatur. Quod ad Collegium Saulorum attinet, cum idem P. Ignatius, non sine reditibus, qui qua-

---

[1] Existimamus sermonem esse non de ecclesia SSmae. Annunciatae, quae dicitur *del Guastato,* et fuit Patrum Capuccinorum, sed SSmae. Annunciatae *di Portoria,* in quam jus, quod *patronatus* appellatur, habebant Maximi Hospitalis protectores. Vide RIVAROLA: *Descripcion de la República de Génova.*

[2] Sic; sed redundare hoc *quia* videtur.

[3] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez, de monasterio Sancti Syri Genuensi, ut videat, antequam ejus possessionem capiat, an ministeria quaedam ibi exerceri solita et a Genuensibus civibus expetita commutari in alia possint Societatis mori magis consentanea, 10 Dec.

[4] Haec a verbis *et certam* addidit manu propria Polancus.

[5] Haec etiam *ad Societatis utilitatem* interseruit manu sua Polancus.

tuordecim collegialibus alendis sufficerent, admitti vellet, Pater Laynez negotium illud, donec maturesceret magis, omisit; quamvis inter ipsos de octingentorum aureorum reditibus statim applicandis ageretur [1].

146. Missum fuerat jubilaeum Novembri mense ad P. Laynez, quod ipse promulgandum curavit, eo fructum uberiorem sperans, quod satis civitas commota esse concionibus ipsius videbatur. Quia vero tempus duorum mensium, quod Ducissa Florentiae concesserat, jam jam exspirare deberet, durum videbatur Genuensibus amicis et ipsi etiam Patri Laynez inchoatum hoc opus relinquere, et ad condictum tempus Florentiae se sistere; ideo Ducissae scribere ut prorogaret tempus cogitabat, et ut ipsa civitas Genuensis suas litteras adjungeret; sed P. Ignatius, qui promissis standum esse omnino censebat, injunxit ut civitatis litteras, quoad ejus fieri posset, mitti impediret; permisit tamen ut ipse scriberet, rem omnem ipsius arbitrio committendo. Movebat enim P. Ignatium quod Florentinum Collegium jam inchoatum et debiliter admodum fundatum non esse deserendum a P. Laynez, nec principes illos molestia afficiendos esse censebat, a quibus ejus promotio pendere videbatur; nec fames verbi Dei nocitura Genuensibus credebatur [2].

147. Obtinuit tamen P. Laynez a Ducissa quod volebat, et ita Genuae usque ad Pascha substitit. Urgebant autem eum nobiles cives parochiae Sti. Syri ut apud eos futura quadragesima vellet concionari, immo et ipse prior monachorum quorumdam, qui ibidem residebant, diligenter id ipsum curabat; et quia situm amplum habebant, in ejus parte habitationem Collegio nostro erigi cupiebant; non tamen visum est P. Igna-

---

[1] Polancus Patri Laynez, Ignatii mentem circa Genuensia et alia in futurum erigenda Collegia hanc esse, ne, scilicet, ad Florentini Collegii exemplum instituantur, ubi tam misere nostri vivere coguntur, 9 et 16 Dec.—Octavo post die, sc. 23, eidem quamdam scripturam Romae confectam misit, in qua norma, ad quam exigi debebant Collegia, priusquam ea Societas admitteret, praescribebatur; et litteris eidem Patri Laynez datis, ait: "ma, senza observarla, (Nostro Padre) non vuole si accetti (il Collegio de Genova), parendoli per la esperienza che teniamo del Collegio di Fiorenza, dove si stano adesso con le vesti che portarno da Roma passa doi anni, et anche in altri d'Italia, che non sarebbe servitio di Dio accettar Collegii d'altra sorte„. Idem, *ex com.,* Patri Alphonso Salmeron 30 Dec. scribebat: "Mtro. Laynez está bueno en Génova. No quiere Nuestro Padre que se acepten dos colegios que allí ofrecen con 300 ∇^{os} (scutata) al año por uno, ni quiere que sean ménos de los que bastan para mantener hasta doce scholares y dos que sirvan cada año„

[2] Polancus, *ex com.,* Patri Laynez, ut promissis stet et Florentiam redeat, si id a Florentiae Ducissa requiratur, 17 Dec.

tio ut singulis diebus laborem hunc P. Laynez susciperet, cujus valetudo parum admodum prospera erat; sed diebus dominicis, lunae, mercurii et veneris, quibus ipse putabat se posse concionari, id permisit P. Ignatius, si tamen medicus id probaret, et ipse vires se habere experiretur. In festis tamen Natalitiis propter aegritudinem cessare a praedicatione debuit; renum enim et calculi molestia Genuae magis quam aliis in locis familiaris ipsi efficiebatur.

DE P. SYLVESTRO AC P. EMMANUELE

IN CORSICAM MISSIS

148. Pervenerant sub finem anni praecedentis in Corsicam P. Sylvester Landinus et P. Emmanuel de Monte-Majore ut Sedis Apostolicae Commissarii [1]; et postquam quindecim dies in oppido Bastiae P. Emmanuel substitisset, missus est ad cujusdam inter corsos clari viri, Domini Jacobi S.ti de Mara [2] quem etiam ipsi turcae formidare solebant; et in oppido Sancti

---

1 "A ventidue del Dicembre del 1552 approdarono in porto alla Bastia i Padri Silvestro Landini e Manuello Gomez suo compagno: e d' essi il primo in ufficio, commessogli per Breve dal Pontefice Giulio III, di Visitatore e Commessario Apostolico.„ BARTOLI: *Memorie storiche*, l. III, c. VII. At, si Brevis verba attendamus, potius cum Polanco et Orlandino non Sylvestrum solum sed Emmanuelem etiam ut Sedis Apostolicae Commissarios in Corsicam missos dicemus. En Brevis summam, prout ea describitur a P. L. Delplace:

"*De salute gregis Domini.* Julius III duos Sacerdotes S. J. (Silvestr. Landinum et Emm. de Monte maggior, prout in copia adiuncta patentium 15 Nov. 1552 datarum a Protectoribus "delle compre di S. Georgio dell' eccelsa Republica di Genova„) mittit in insulam Corsicam ut in ea commorantes lutherana aut aliis nefariis haeresibus et erroribus aspersos et ad veritatis lumen redire et huiusmodi haeresibus obviare volentes; ad manus et S. E. gremium restituant, facult. tribuit visitandi ecclesias, monasteria etiam S. Clarae, et dispensandi, etc.—R. apud S. P. v Aug. 1552, P. an. III.—*Brev. et rescr.* 44.„ (*Synopsis Actorum S. Sedis in causa Societatis Jesu,* pag. 13, n. 8.)

2 Sic perspicue hic in mss. BARTOLI tamen, l. c., hunc nominat *Jacopo Santo de Mara, Signor di Capocorso, e il principale dell' Isola;* et CAMBIAGI, *Istoria del Regno di Corsica,* lib. VI, *Giacomo da Mare*, et lib. VII: "Era Signore di questa Provincia del Capocorso *Giacomo Santi,* figlio di Simone *da Mare,* o vogliam dir *Mari*.„

Columbani [1] sic coepit in vinea Domini laborare, ut ipse D. Jacobus fateretur se numquam tam frequentem populum ad conciones accedentem vidisse. Concionabatur autem quotidie ante lucem mense Januario, ut post concionem ad suum opus [cives] egrederentur; et cum ipse D. Jacobus cum uxore ac familia tota inter primos adesset, animabat suos ad bene agendum. Quingenti fere concioni huic antelucanae adesse solebant, et, inchoando una hora ante lucem usque ad unam horam noctis sequentis, vacabat P. Emmanuel confessionibus audiendis, a sua sede non surgens, plurimis confluentibus magno cum affectu ad suae conscientiae vulnera detegenda et curanda, qui multis annis hac salutari medicina caruerant. Multos etiam communicabat ex his, qui confessi fuerant. Familia D. Jacobi exemplo aliis fuit etiam in confessione; religiosi ordinis Sancti Francisci matutinae ipsius praedicationi aderant, et etiam christianae doctrinae expositioni, quae sub vesperam nobilibus et aliis etiam foeminis et utriusque sexus pueris convenientibus fiebat, et eam egregie addiscebant; qua in re foeminae specimen studii sui non exiguum praebebant, cum de hac doctrina per diem totum inter se loquerentur. Pauperes populi illius petebant ab eo suppliciter ne inde recederet, sed pergeret eis viam salutis, a qua longe digressi fuerant, demonstrare. Ex vicinis tamen locis eum invitabant, sed Dominus Jacobus eum inde recedere nondum permittebat; dicebat enim se velle eum comitari per totam suam ditionem, quam et ab inimicitiis mutuis et a turcarum ac piratarum latrociniis mira strenuitate purgaverat.

149. Ad Origlianum [2] eodem mense Januario se conferens, messem uberem et valde paratam invenit. A multis passuum millibus homines ad audiendam praedicationem confluebant et ut de peccatis confiterentur et consilium circa suae vitae directionem ab eo caperent; et ipse D. Jacobus cum aliis nobilibus, ut apud S. Columbanum ita et ibi suo exemplo alios invitabant; nec solum primi omnium ad praedicationem et sacramenta ac-

---

[1] Congruunt haec optime cum his quae habet CAMBIAGI, l. VII: "Questi (Giacomo Santi) essendosi congiunto in conjugal nodo colla figlia di Christoforo Pallavicino, Nobile Genovese, come ancora essendo la di lui famiglia originaria di Genova, non avea voluto mischiarsi in alcun partito, e stava godendo un pacifico e delizioso soggiorno nel suo Castello di S. Colombano."

[2] Rogliano?

cedebant, sed et christianam doctrinam in ecclesia publice et coram omnibus recitabant; nec unquam tam cito ad ecclesiam se conferebat P. Emmanuel (quamvis ante diem unam horam ad Missam celebrandam et verbum Dei praedicandum ad ecclesiam iret) quin ibidem D. Nicholetam, ejus uxorem, et quamdam D. Barbaram, licet gravida esset, ibidem inveniret, et ibidem usque ad duas noctis horas confessionibus audiendis dabat operam; et non raro sic distinebatur, ut toto die refectionem capere non posset. Inter confessiones aliquae sex et decem annorum, aliquae etiam generales totius vitae fuerunt, cum multis lacrymis et spirituali fructu; non pauci excommunicati, gremio et communioni Stae. Ecclesiae restituti fuerunt. Duo ex his, qui in publico concubinatu fuerant, publica poenitentia peracta, tam serio compuncti fuerunt, ut foemina constitueret monasterium ingredi, et vir, qui ejus prava consuetudine usus fuerat, in Italiam ad suam uxorem et filios adducendos ire decerneret. Quotidie viginti et aliquando triginta communicabat, eos scilicet omnes, quorum confessiones audire poterat. Sexaginta quatuor pueros assiduos in doctrina christiana habebat, qui etiam domi suae (ut de aliis apud S. Columbanum dictum est) et ubilibet alia de re non loquebantur nec noctu somniabant. In quovis pago vel oppido constituit magistrum aliquem, qui omnes prima hora noctis, cum jam a suis operibus homines rediissent, christianam doctrinam doceret.

150. In curia D. Jacobi tam ipse quam Domina Nicholeta magistrorum officio fungebantur, nec cuiquam parcebant, qui christianam doctrinam non addisceret, et negligentibus poenitentias injungebant, ut scilicet sub mensa cibum caperent, vel quid hujusmodi; itaque nobiles foeminae et reliquae et virorum magna pars totam doctrinam christianam didicerunt. Tres paces inter viros et totidem inter foeminas hoc mense confectae fuerunt, et, odiis ac inimicitiis depositis, mutuis amplexibus, animorum unionem testati sunt. Aliam etiam non exigui momenti concordiam componebat, quam D. Jacobus componere numquam potuerat, quod caedes hominum intervenissent; et tamen venia ab offensis impetrata fuit, et patentes litterae ad alios, qui in Italiam recesserant, ut redirent in Corsicam, missae sunt, et pacem pro more ejus gentis stabilire curavit. Dispensabat autem pauperibus bonam pecuniae summam,

quam scilicet ex dispensationibus in quarto et aliis poenis pecuniariis collegerat: non cessabat contra vitia et peccata clamare, et experiebatur illud prophetae verum esse: *imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum, Domine:* nam quo magis invehebatur in peccata, diligentius eum quaerebant, cum vitae suae anteactae scrupulis jam inde a pueritia accedentes et remedium petentes. Ex aliis etiam locis cum lacrymis eum rogabant ut ad se accederet; nunquam ei licebat officium persolvere nisi noctu; saepe tamen usque ad mediam noctem in cubiculo confessiones audire cogebatur; et quod Dominus visitasset plebem suam multi dicebant. Nec parum consolationis colenti vineam hanc Domini egregius illius fructus afferebat.

151. D. Jacobus offerebat Societati ditionem suam, immo et seipsum et reditus ad Collegium novum ibi instituendum. Promisit etiam monasterium monialium aedificare et dotare; nam complures virgines ad offerendam Domino sui corporis integritatem motae fuerant, inter quas una ex nobilibus D. Nicholetae virginibus erat. Aliqui amicorum filii, cum praedicationes aliquas audissent, condonatis injuriis, serio ad Dominum conversi, generales confessiones fecerunt. Ipse etiam D. Jacobus in quodam monasterio religiosorum se recepit ut confessionem etiam generalem vitae totius institueret. In templo Sti. Francisci et concionari et christianam doctrinam explicare [P. Emmanuel] solebat, et vix auditorum frequentiam [templum] capiebat; nec unquam illi religiosi tantam hominum multitudinem sua in ecclesia viderant. Hoc eodem mense tredecim matrimonia, quae post primum contracta fuerant vel in gradibus prohibitis, separavit; nec jam multitudini confitentium et communicantium satisfacere amplius poterat, et auxilium a religiosis Sancti Francisci ad id postulavit. Nobiles illae mulieres non solum currebant feliciter per viam Domini, sed coadjutrices etiam se praebebant P. Emmanueli ad opera pietatis, et quidem ardua, quale fuit, sub finem hujus mensis Januarii, pacem inter duos fratres componere, qui propter haereditatem alter in alterius caedem ferebantur, quam D. Jacobus componere, licet satis dexter esset, non potuerat. Tandem et quamvis cum fletu omnium, Origliano tamen ad alia insulae loca visitanda recedere debuit.

152. Dum haec a P. Emmanuele mense Januario in quadam insulae parte, quam *Caput Corsum* vocant, agerentur, P. Sylvester otiosus non erat in oppido Bastiae; cum enim vitiis et peccatis ea provincia plena esset, sic per verbi Dei praedicationem et sacramentorum ministerium homines movebantur, ut quamdam primitivae Ecclesiae speciem quodammodo prae se ferrent, et perpetuum quoddam jubilaeum propter confessionis et communionis frequentiam videbatur. Concurrebant utriusque sexus homines, senes ac juvenes, subditi et domini, laici et religiosi, tam ex montibus Corsicae quam ex locis campestribus; nec talis unquam frequentia aut fervor post hominum, ut ferebatur, memoriam, in Corsica visa fuerant.

153. Tempus carnis-privii, quod ubique majori quam par esset licentia exigi solet, in hebdomadam sanctam aut Paschae conversum videbatur. Quotidie concionabatur P. Sylvester, et quidem ter diebus festis, in *veteri terra* mane, et in *terra nova* (sic vocant praecipua quaedam Bastiae loca), et post vespertinum officium denuo in terra veteri, et semper plena ecclesia et capellis et atrio extra portam. Quotidie spiritualia exercitia tradebantur: quotidie confessiones, adjuvantibus sex, septem et octo confessariis religiosorum S. Francisci, audiebantur: quotidie sanctissimum Eucharistiae sacramentum aliquando quinquaginta, aliquando septuaginta, aliquando centum et quinquaginta homines sumebant; nec ulla in eis intermissio cernebatur; quotidie etiam christiana doctrina explicabatur; et quamvis satis multos ejus libellos secum Genua attulissent, eo scribere oportuit ut plures adhuc transmitterent. Inimicitiae multae compositae fuerunt: inter litigantes concordiae etiam initae: eleemosynae plurimae pauperibus distributae: peccata publica relicta: concubinae vel rejectae, sustentatione addita ut honestam vitam traducere possent, vel legitimo matrimonio conjunctae: usurae relictae: multi etiam juvenes propositum religionem ingrediendi conceperunt, sicut et magnus virginum numerus Deo se consecrare statuit; tantum illis deerat monasterium quo se reciperent.

154. Multa etiam peccata per dispensationem quarti gradus matrimonii sublata: fabricae monasterii Sancti Francisci subventum est: extirpata etiam barbara quaedam consuetudo, et quae christianos homines nullo modo decebat, clamandi et

genas concidendi cum funera mortuorum celebrabantur; superstitiones plurimae, auguria, sortilegia et magicae fraudes, sublata sunt; quae pietatis opera fatetur P. Sylvester sigillatim se scribere non posse, non solum quod tempore ad id destitueretur, sed quod materia ac rerum multitudo longe explicandi facultatem superabat. Si primarium illud Corsicae oppidum, Bastia scilicet, ad seriam et constantem vitae reformationem adduci posset, quod celebre prae ceteris est et velut caput aliorum, ferebatur totam insulam in meliorem longe statum adduci posse.

155. Nec omittam quod initio hujus anni, mense scilicet Januario et Februario, aliquae virgines ex his, quae in spiritu proficiebant, insulam a Turcis percutiendam eodem anno praedixerunt, quod aliquot post mensibus accidit. Aliae dicebant se Christum crucifixum vidisse, qui significabat se non posse amplius peccata illius insulae tolerare, quae non nisi cum abundantia lacrymarum referebant. Aliqui homines, qui moti etiam ex eo fuerunt ad confessionem faciendam, super calicem viderunt crucifixum velut in carne elevatum: omnes demum stupore ac terrore pleni, quae scilicet ad salutem suam pertinebant, cogitare coeperunt. Vix ad cibum capiendum, nedum ad studium, tempus relinquebatur; non tamen divinum auxilium occupatis ex charitate deerat.

156. Quod autem attinet ad ea quae de P. Emmanuele superius scripta sunt, fatetur P. Sylvester quod vix minimam partem eorum attingit, quae ipse oculata fide sentiebat [1]. Cum tamen solus esset, misit ad eum aliquorum religiosorum Sancti Francisci auxilium.

157. Veniebant ad P. Sylvestrum aliqui ex insulae Baronibus ac Dominis: veniebant et sacerdotes et ecclesiarum rectores ut ad se visitandos P. Sylvestrum inducerent, et in terram procumbentes dicebant aliqui: "salvos facite nos, quandoquidem Dominus ad hoc ipsum vos in Corsicam misit„; et pro miraculo habebatur ab his, qui hominum ingenia noverant, quod nec venti nec pluviae [causa] (erat enim fere media hyems, mense scilicet Januario) aut praedicationem aut alia opera pie-

---

[1] *quae ipse oculata fide sentiebat,* scilicet, *quae ipse aut propriis oculis viderat aut ab oculatis testibus acceperat.*

tatis omittebant. Alioqui tanta in miseria spirituali ea provincia constituta erat, ut verum esse experiretur, quod Roma scriptum ipsi fuerat, Indiam et Aethiopiam (ad quam missionem P. Sylvester erat propensus) in Corsica esse inventurum [1]. Summam enim Dei ignorantiam, plurimas superstitiones, innumerabiles inimicitias, odia inveterata, homicidia passim perpetrata, superbiam et libidinem latissime patentem ibidem invenit; cum tamen alioqui plebs magna paupertate laboret et panem ex lupinis conficiat, vinum tamen satis potens eos sustentat. Usurae, fraudes, perfidia in promissis, irreparabiles injuriae, plurimum regnare cernebantur. Sunt alioqui in credendo faciles, unde et haeresibus aliqui locum dederant; occulti tamen illi erant, et cum crucis signo seipsos signare multi nescirent, et cano capite nec *Pater noster* nec *Ave Maria* scirent, tamen ad litigandum erant acutissimi; et quamvis causa caderent, satis illis erat egregie certasse. Invidiae immanes et irae efferatae; innumerabiles bigamiae, priore conjuge vivente. Cum enim vel uxor vel vir in servitutem a turcis abducebantur, alter conjugum, qui in Corsica manebat, vel ducebat uxorem aliam vel alteri viro nubebat; et rationis loco id dicebant, quod sine gubernatione domestica conjugis vitam traducere non possent. Idem et sacerdotes concubinarii (quorum non erat numerus) de se ipsis affirmabant [2].

---

[1] "scrisse (P. Landini) offerendosi e chiedendo con istantissimi prieghi la Missione dell' India: e veramente n' ebbe in risposta concession della grazia. Benchè, quanto al paese, tutt' altra; pur quanto alle fatiche e a' patimenti fino al morir per essi, la medesima che desiderava: perochè appunto allora dimandato egli nominatamente da' Signori di Genova al Sommo Pontefice Giulio terzo per rimediare coll' apostolico spirito d' un tant' uomo alle estreme necessità della Corsica, si era lor conceduto dal Padre Santo Ignazio, con una tal giunta del Segretario Polanco: Andasse con tutta la generosità del suo zelo, perchè al certo la Corsica gli sarebbe India, Molucco e Giappone, dove facendo e patendo, sodisfarebbe pienamente al suo desiderio: e i fatti l' avverarono niente meno che se fosse predizione.„ BARTOLI, l. c.

[2] His consona sunt, quae sequentis saeculi initio scripsere Guillelmus et Joannes Blaev in *Theatro Orbis terrarum*, parte tertia, pag. 20: "Hodierni Corsicae incolae etiamnum, ut olim, habentur homines agrestes ferocesque, qui vel ipso aspectu animi ferocitatem referant. Homines pauperrimi, a litteris prorsus alieni, otio et desidiae dediti.„ Auctor tamen Historiae Insulae Corsicae, quae inserta est volumini LXXXVI operis *Histoire universelle par une Societè de gens de lettres,* Paris, 1786, haec ait: "Leur (Corsorum) génie et leur caractère nous ont été représentés sous des traits si différens, qu'il ne sera pas aisé d'accorder les opinions diverses et souvent contradictoires des auteurs sur cet objet.„ Refert dein plurium auctorum, a Strabonio ad Muratori, opiniones et tandem concludit: "On ne peut nier que les Corses ne soient belliqueux, qu'ils n'aient toutes les qualités guerrières, et surtout cette force et cette vigueur d'esprit qui rend une nation capable des plus grandes choses. Sans cesse inquiétés, il se sont

158. Magna eorum pars vel in tertio vel in quarto gradu prohibito matrimonium contraxerat: hic maritum dabat filiae sex vel septem annorum: alii, cum adhuc essent in ventre matris, addita conditione, si mas nasceretur vel foemina, in matrimonio collocabant; quod postea multarum caedium perpetrandarum causa erat, cum adulti filii hujusmodi matrimoniis a parentibus factis stare nollent. Factiones inter eos magnae sunt; et magna pars insulae in idololatriam ex ea parte adducebatur, quod sacerdotes ipsorum, formam consecrationis nescientes, vere Christi corpus et sanguinem non conficiebant, quod populus adorabat; et fatebatur P. Sylvester quod nullum sacerdotem primis illis mensibus interrogaverat, qui formam sanctissimi sacramenti Eucharistiae sciret, nedum aliorum Ecclesiae sacramentorum; nec habitu externo a laicis secernebantur; toto die vel ad agros fodiendos vel ad alia hujusmodi opera se conferebant ut victum suae concubinae et filiis pararent [1].

159. Haec erat ergo facies ejus provinciae, cujus peccata magna ex parte ortum [ex ignorantia] habere videbantur; ideo aliqui nobiles Genuenses, qui in ea habitabant, rebus inter se agitatis, hoc tandem decernebant, nullam esse viam praestantiorem ad remedium Corsicae adhibendum, quam si in singulis episcopatibus singula collegia instituerentur, quae tantae caecitatis tenebras doctrinae sanae luce discuterent. Sed populi

---

montrés remuants et vindicatifs, fiers et intraitables. Quoique très-actifs à la guerre, ils n'en sont pas moins ennemis du travail, d'ailleurs sobres, réglés, et chastes jusqu'à un point extraordinaire; et l'on peut dire de la Corse ce que Tacite rapporte de l'ancienne Germanie, que personne n'y rit au vice, et que la corruption n'y est pas à la mode. *Nemo illic vitia ridet, nec corrumpi saeculum vocatur.*„ De hoc autem tempore et de iis, quae ex Landini, oculati testis, litteris desumpta transcribit hic Polancus, nullum esse dubium potest, praesertim cum alia, et quidem gravia, illius temporis testimonia cum hoc Landini testimonio ad amussim concordent. Unde recte Baitoli, postquam similem huic descriptionem insulae fecisset, ait: "Tal' era la Corsica di quel tempo.„ l c. Vide etiam Philippi Cluverii, *Sicilia antiqua cum minoribus insulis ei adjacentibus, item Sardinia et Corsica.*

[1] Ut tanto malo remedium aliquod adferretur haud multis post annis, "Corsicae Episcoporum sublevandis laboribus, et Christi fidelibus in vastis Dioecesibus instruendis egregius nostri saeculi vir, ac Senator, Joannes Hieronymus de Bene, suo privato aere fundavit in Genua Urbe sub Senatus auctoritate Collegium Clericorum, qui sub Societatis Jesu disciplina, probitate et doctrina armati, et Sacerdotes ordinati, Apostolicum munus exequuntur: exemplo Summorum Pontificum, qui Romae Collegia hujusmodi Graecis, Anglis, Hibernis ac Maronitis instituerunt.„ Hieronymi de Marinis, Patritii Genuensis: *Genua, sive Reipubl. Genuensis Compendiaria descriptio*, c. iii, sect. 2, xiii, c.

hoc onus alendi collegia ad Episcopos rejiciebant, qui in suis ecclesiis residere, et bonos et eruditos sacerdotes habere, quandoquidem reditus ecclesiarum capiebant, et hujusmodi scholarum [curam assumere] debebant.

160. Quingenta millia passuum in circuitu Corsica et sex episcopatus habet; nullum tamen id temporis residentem Episcopum habebat [1], et ita oves passim dissipatae et luporum devorationi expositae relinquebantur. Talia objicientibus P. Sylvester respondebat, paulatim fructum illis in locis inchoatum ad alia insulae loca perventurum; non esse tamen differendum auxilium idem P. Sylvester sentiebat, ne omnino Dei cognitio apud illos cessaret. In septem partes (*dominia* vocant) insula illa divisa est, et septem officiales Sti. Georgii (sic dicuntur magistratus Genuenses) habebat, et tamen a piratis, turcis et saracenis loca multa vastata erant, qui interdiu absconditi et noctu in insulam egressi occidebant et in servitutem adducebant christianos, et supra quatuor millia eorum in misera servitute apud infideles vivebant. Timebatur etiam hoc ipso anno Draguti, pyratae insignis, adventus (quod et accidit), qui, quod ibidem captus fuisset a Joannetino Doria, vicem redditurus et injuriam ulturus timebatur.

161. Quamvis autem superius dictis occupationibus esset districtus et parum bona valetudine P. Sylvester frueretur, litteris etiam absentes ad optima quaeque hortabatur, inter quos Vicarius erat Bonifacii (oppidum illud centum quinquaginta millibus Bastia distat et portum habet non ignobilem), qui, prout promiserat, octavo quoque die communicare coeperat et omnibus saeculi rebus se renunciare velle, ut Deo vacaret, cupiebat. Mittebat etiam P. Sylvester ad varia ejus insulae loca christianae doctrinae libellos, et hortabatur ut populum docerent quae ad salutem necessaria sunt, et ad crebram communionem inducerent, donec ad eos visitandos nostri accederent.

162. Interim P. Emmanuel cum Origliani pene nullum re-

---

[1] Hi Episcopatus erant: ADJACIUM, cujus Episcopus hoc tempore, de quo scribit Polancus, Joannes Baptista Bernardi; ALERIA, Petrus Franciscus Pallavicini; ACCIA, Petrus Affatato; MARIANA, Balduinus de Barga; SAGONA, Hieronymus Butinoni; NEBIUM, Andreas Grimaldo. Horum aliqui, ut Balduinus de Barga, dioecesim sibi assignatam ne intrarunt quidem.

liquisset, qui ad sacramenta confessionis et communionis non accessisset et in frequentatione eorumdem ferventi reliquisset, ad alia loca se contulit; et duos jam habens socios sacerdotes, pluribus satisfacere poterat; diebus tamen dominicis et festis, praeter praedicationem ac christianae doctrinae lectionem tam multis sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministrabat, ut in eo sancto opere non sine defatigatione versaretur; et quibus antea videbatur difficilius crebro communicare, illi, proprius rem experti, caeteris ferventius et crebrius ad communionem accedebant; inter quos fuit locorum illorum domina, quae bis in hebdomada communicabat. Multas audivit confessiones, etiam eorum, qui decem vel duodecim annos ab eo sacramento abstinuerant. A sex vel septem millibus passuum aliqui, confitendi gratia, veniebant cum suis familiis, et tanta cum consolatione spirituali recedebant, ut aperte se coepisse tunc christianos esse faterentur, quod et ipse D. Jacobus, illius ditionis dominus et in tota insula facile primus, de seipso profitebatur; et ideo a P. Sylvestro precibus obtinuit ne ab illis locis, ad ejus ditionem pertinentibus, P. Emmanuel recederet; et tam domini quam subditi in hac nova luce, qua illos Dominus illustraverat, prompte currebant; nec, quamvis in locis remotissimis habitarent, ullo frigore vel pluvia impediti, conciones aut christianae doctrinae lectionem omittebant.

163. Inter multas paces, quae in ecclesia compositae fuerunt, se hominibus mutuo amplectentibus coram omni populo et veniam humiliter a se invicem petentibus, tres difficiles et antiquae inimicitiae inter primarios viros compositae fuerunt et exules ad domus suas revocati fuere. Ipse etiam Dominus Jacobus, qui cum dominis quibusdam Genuensibus ac Florentinis inimicitias exercuerat, post confessionem et communionem, ut res commodius componeret, in Italiam se contulit [1]. Prius tamen, cum intellexisset P. Emmanuelem ad alia loca invisenda velle proficisci, venit ad ejus cubiculum, quod erat in ipsius arce, et, genibus flexis ante eum, rogavit ut propter charitatem, qua Deum prosequebatur et se et subditos suos, non inde recederet, et ita tam ipse D. Jacobus quam ejus uxor ad P. Syl-

---

[1] Magnas is inimicitias exercuerat, praesertim cum familia Petri Pauli della Casabianca. Cambiagi, l. c.

vestrum scribentes, ut superius dictum est, quod optabant obtinuerunt.

164. Tres juvenes bonae indolis ac valde modesti, ut Societatem ingrederentur, Romam mitti a P. Emmanuele cupiebant.

165. Inter multos, qui in gradu prohibito matrimonium contraxerant, eos absolvit, quos per facultatem a Summo Pontifice concessam, absolvere, dispensando in illo impedimento, potuit; eorumque confessiones, a quibus plurimis annis abstinuerant, audivit. Omnes concubinarii, concubinis relictis, fune collo appenso, publicam poenitentiam agentes, in ipsa platea veniam a populo petebant scandali, quod eo in peccato dederant. Ex eleemosynis et quibusdam poenis pecuniariis, partim quae ad ornamentum Sanctissimi Sacramenti pertinebant confecta sunt, partim pauperes sunt sublevati.

166. Cum in locis ejus ditionis, quae visitabat, oratoria videret indecenter admodum habita, quibus aliquando etiam jumenta inducebant, cum stabuli potius quam ecclesiae specimen prae se ferrent, scripto constitutum reliquit quomodo ea ornari et cum decentia teneri deberent, aliquem, qui singulis annis ejus rei curam haberet, designando. In primaria ecclesia illius provinciae, quae Caput Corsum dicitur, rebus multis providendum erat; et ita, tam ipso D. Jacobo quam populo instante, reditus sequestrari auctoritate apostolica jussit, ut ea quae necessaria essent ad Dei cultum curarentur [1]; cujus rationem sacerdotes cum prius non habuissent, in magnum populi odium inciderant, qui tamen ad expensas necessarias suam partem conferebat.

167. Cum non solum diligentiam sed etiam industriam adhibuisset in christianae doctrinae explicatione, effectum est ut non solum pueri, sed etiam mulieres, pene omnes memoriter addiscerent, et singulis locis libellus ejusdem doctrinae penes aliquem relictus est. Ad cujus domum reliqui, a prandio convenientes, ibi necessaria discebant; et cum initio durum videretur, postea tamen jucundissimum hominibus erat eam doctrinam necessariam didicisse. Accidit aliquoties ut D. Jacobus ab

---

1 Id tamen ne inconsulta romana curia et Cardinalibus fieret, suis litteris injunxit Ignatius.

aliqua ex puellis interrogari sacerdotes curaret de his, quae ad doctrinam hujusmodi pertinent, qui minime respondere eis poterant. Complures religiosi in ejus doctrinae lectione erant assidui sicut et concionibus matutinis, et homines, qui propter aetatem provectiorem ad discendam apti non erant, saltem ad rosarium B. Virginis quotidie dicendum assuescebant et illud secum ferebant.

168. Cum initio in ea loca venisset P. Emmanuel, quater singulis diebus concionabatur; primo quidem sub auroram ante missam in gratiam eorum, qui ad opus erant egressuri: 2.° in quodam pago duo millia passuum Origliano distante: 3.° ibidem de christiana doctrina sermonem habebat: 4.° rediens Origlianum aliam de eadem doctrina lectionem ei populo explicabat. Sed postea, cum negotiorum et confessionum occupationes valde crevissent, tantum duas, unam quidem mane, alteram a prandio, conciones habebat; et cum frequentia auditorum semper magna esset, diebus tamen festis omnes aderant, nisi quos magnae occupationes excusassent. Ex his autem ministeriis magnum divina bonitas animarum fructum colligebat, et mutatio vitae admiranda prorsus videbatur; nullibi tamen magis quam in odiis et inimicitiis deponendis. Narrabat Dominus Jacobus quod ex arce sua audierat mulierem quamdam a vicina sua alta voce veniam postulantem, et quod dolebat de his, quae male dixerat et fecerat, et quod ea recantabat; et hujusmodi eo videbantur clarius a Domino proficisci, quod in illo oppido homines vitam totam in inimicitiis transigerent, nec conscientiae nec bonorum temporalium habita ratione, dummodo odia sua explerent. Tunc autem contendere videbantur quinam plenius odium deponerent, qui frequentius ad sacramenta accederent et melius christianam doctrinam scirent; et haec ultima contentio inter juvenes praesertim ac inter puellas erat, cum Dominus Jacobus eis praemia proponeret, qui melius eam didicissent.

169. Post Pascha recessit Origliano P. Emmanuel cum D. Jacobo et ipsius curia, et totam ejus ditionem peragrarunt. Tredecim paces compositae fuerunt, quae res inaudita videbatur ea in provincia, quae propter mutuas inimicitias pene subversa erat, nec ullus unquam temporalis dominus concordias conciliare, non solum in tota ditione, sed ne in ullo ejus loco,

potuerat. In eo autem, quem Baretatum [1] vocant, verbo Dei imprimis, deinde precibus et industria adhibita, quinque paces constitutae fuerunt; nec enim plures erant inimicitiae; et illae matrimoniis et aliis contractibus confirmatae fuerunt; et idem in aliis concordiis effectum est ne dissolverentur. Erant aliquae ex his discordiis aut factionibus, quae fere viginti annis et pluribus etiam duraverant, et multorum interim hominum caedes hinc et inde perpetratae fuerant. Nec cessabant illi populi Deo gratias agere et benedictionibus P. Emmanuelem cum comitatu prosequi, cum, praeter pacem locorum illorum et homicidia atque incendia evitata, multae etiam virgines, ad confirmationem pacis desponsatae, bene collocatae fuerant, quae in magno periculo versabantur; et aliquae infamia etiam laborantes, quod diceretur eas ab alterius factionis capitibus vel aliis hominibus peperisse, illis ipsis nupserunt; et uxores ac liberi eorum, qui extra insulam in exilium ad centum et unum annum pro ipsorum more acti fuerant, cum eorum restitutione magnam consolationem acceperunt, et eo majorem quod Dominus Jacobus non solum exilii poenam eis remisit, sed etiam ducentas libras, quas singuli ex his, qui revocabantur, ei solvere debebant.

170. Et ita ditionem illam in magna pace interiori et exteriori relinquens, sub finem mensis Aprilis ad P. Sylvestrum rediit, qui toto hoc tempore in civitate primaria Bastiae, quae in tota insula primaria est, resederat; et non solum labores non imminuerat, sed pro spiritus sui fervore etiam auxerat. Nam quater et quinquies aliquando uno die concionabatur; postquam enim summo mane in templo Sti. Francisci agricolis et artificibus concionatus fuerat, cum alii multi ad portam urbis confluerent, exspectantes donec illa aperiretur, eodem se conferens, ne illa multitudo jejuna a verbo Dei recederet, eisdem concionabatur; et statim in quadam alia ecclesia aliis artificibus et personis, qui primae concioni non potuerant interesse, in templo Stae. Mariae praedicabat; 4.° ante meridiem Gubernatori [2] cum curia et nobilibus ac civibus concionabatur. Diebus etiam festis 5.am habebat concionem post prandium sub dio,

---

[1] Sic; videtur tamen esse Barettalum, vernacula lingua *Barettali*.

[2] Lamba d' Oria, seu, ut ab aliis scribitur, Doria. V. Bartoli, l. c.

ubi aliquando quinque hominum millia conveniebant, ex quibus multi ex vicinis populis, ut suae saluti spirituali consulerent, profecti erant; et quamvis nocte et ipso die pluviae magnae decidissent, tamen concionis tempore cum numquam plueret, ejus praedicatio non est omissa; sed, ea absoluta, paulatim pluvia redibat, cum devotioni congregati populi jam non impediret. Accidit non semel ut una in concione complures utriusque sexus juvenes ac virgines ad religionem moverentur, et aliqui habitum etiam Ordinis Sti. Francisci susceperunt.

171. Quod temporis reliquum erat, confessionibus tribuebat; nec sub noctem lectionem omittebat evangelii et epistolae ejus diei; et quamvis studii gratia ne aperiendi quidem librum tempus habuisset, tam abundanter ei Dominus suggerebat quae diceret, ut, si diem integrum in docendo perseveraturus esset, copia rerum dicendarum uberrime ei suppeditari videretur; quae res tam doctos quam indoctos auditores in magnam admirationem, immo et stuporem, rapiebat; et pro ejus sanitate Dominum orabant; nam ne una quidem aut media hora liberatus aegritudinum suarum molestia erat. Dominus tamen ad populi illius subventionem pro sua misericordia eum adjuvabat.

172. Post meridiem christianam doctrinam praelegebat, et, ut senes fatebantur, numquam ea in insula talis vitae mutatio visa fuit nec tanta devotio; et per totam insulam fama pervolabat; et in litteris scribendis ad multos absentes perseverabat, sacerdotes hortando ut populum ad poenitentiam et sacramenta excitarent. Et in superius dicto oppido Sti. Bonifacii, quod Genuensi dioecesi annexum est, fere centum singulis diebus domi-nicis communicabant et aliis etiam in locis haec frequentia confessionis et communionis est inducta. Ex plurimis inimicitiis, quas componebat, hoc expertus est, quod extra confessionem tam multas illi rationes adducebant, ut numquam dissidentes conciliare potuerit, sed in confessione, qui ad eam adducebantur minime resistere spiritui Domini poterant; et qui totos viginti annos inter se magna contentione certaverant, nec ad sacramentum confessionis accesserant, ad pacem mutuam adducebantur. Alii concubinas relinquebant; et hi tam multi, ut numerus eorum ignoraretur. Ecclesiastici etiam multi reformari se promiserunt, et in ministerio confessionis et communionis P. Sylvestrum adjuvabant, quemadmodum et religiosi Ordinis Sti. Fran-

cisci, qui P. Sylvestrum hospitem penes se habebant; nam et illi strenue in confessionibus audiendis P. Sylvestrum adjuvabant. In dies alii atque alii concubinas in uxores ducebant, atque odia intestina deponebantur.

173. Gubernator aliquando ultra duas noctis horas extra urbem in monasterio Sti. Francisci sermonem cum P. Sylvestro protrahebat, de rebus ad reformationem ejus insulae pertinentibus agendo; nec permittebat eumdem Patrem ad se venire. Tam in ipso quam in aliis nobilibus et civibus Genuensibus charitas erga P. Sylvestrum magis accendi videbatur. Et quod ad pacem quamdam universalem attinebat, quae cum D. Jacobo de Mara tractabatur, curatum est ut in manus Gubernatoris rejiceretur. Multi pauperes ad P. Sylvestrum veniebant, tam laici quam religiosi, qui eum benedicebant, quod post ipsius adventum nec spiritualis cibus nec corporalis ipsis defuisset. Multi debitoribus debita sua relaxabant atque condonabant: usurae rescindebantur: induebantur vestibus nudi: viduae et orphani temporalibus subsidiis reficiebantur. Magna quaedam exterior modestia, non solum in religiosis ac sacerdotibus, sed etiam in laicis, nobilibus et ignobilibus, omnis aetatis et sexus, cernebatur. Lacrymae autem, suspiria et gemitus diu noctuque audiebantur, adeo ut etiam in ipsa praedicatione reprimere talia P. Sylvester deberet; et prohibuit laicis ne noctu surgerent, quia patresfamilias suis praecipiebant ut ad orandum et corpus poenitentia castigandum noctu surgerent ut peccatorum poenitentiam facerent; et significavit eis satis fore si sub vesperam mediam horam et mane aliam mediam orationi tribuerent, qui in laboribus corporis interdiu exercebantur.

174. Quamplurimi concionatorum munere fungebantur, et alii alios, ut Andreas Petrum, invitabant ut ad Christum accederent. Inter hos quidam nobilis fuit, D. Antonius Franciscus, inter Bastiae habitatores divitiis prae caeteris praestans, qui nostros Genua in Corsicam usque suo in navigio deduxerat; ejus autem charitas Bastiae aucta fuit. Quidam etiam, Bustor nomine, omne officii genus sicut et Antonius Franciscus, nostris exhibebat; ut et Joannes Natalis, qui pater pauperum habebatur, et tres et quatuor conciones P. Sylvestri singulis diebus diligenter audiebat, et ante lucem quotidie surgens P. Sylvestrum comitabatur ac deducebat Bastiam: vir vere Israelita et

Dei amore fervens. Volebat etiam per totam insulam Corsicam nostros comitari: uxorem quidem habebat, sed non liberos; et tam bona ipsa quam vitam propriam impendere Societati nostrae ad Dei obsequium cupiebat. Urgebat P. Sylvestrum ut ipse praeciperet quaecumque vellet, omnia praestiturus. Capuccinorum procurator hic erat et, cum admoneretur a P. Sylvestro ut in eos religiosos eleemosynas conferret, si alios pauperes in majori necessitate constitutos vidisset, illis potius tribuebat, cum animo quodam recto ad majus Dei obsequium ferretur. Ter et quater singulis diebus P. Sylvestrum videre omnino volebat; et, ne ejus occupationes interrumperet, duas et tres horas aliquando magna cum laetitia exspectabat [1].

175. Erant etiam inter amicos quidam Octavianus, militum praefectus, et Matthaeus de Begulio, ex primoribus Bastiae civibus, et quidam Joannes Franciscus Tagliacarne, senex et eruditus et ex primis civibus, qui affirmabat ad id usque tempus se nec vidisse unquam nec sensisse Dei digitum et spiritualem fructum in illa insula, et de Societatis nostrae instituto mirifice sentiebat. Nullam hi homines concionem in Terra nova, quantumvis mane ea fieret [praetermittebant]; et eidem P. Sylvestro confitebantur.

176. Sacerdotes etiam, in concionibus assidui, post matutinam concionem, vel invitum P. Sylvestrum comitabantur per medium milliare extra Bastiam ad monasterium usque Sti. Francisci, quod est in extrema parte Terrae veteris; et tam illi quam alii, quibusdam oppidis vel urbibus Corsicae praefecti, suppliciter ab eo petebant ut ad suas dioeceses [2] vel parochias se conferret atque eas adjuvaret. Aleriae praefectus Societatis nostrae collegia ubique in Corsica fieri, scilicet in sex Episcopatibus, curabat. Aliquis etiam ex his, procidens ad pedes P. Sylvestri, rogabat ut sibi praeciperet quid facere deberet; aliqua quidem ei suggessit P. Sylvester, sed in reliquis velle se ipsi obedire affirmabat; et hanc modestiam cum religiosis et

---

[1] De hoc Natali plura reperies in informatione quadam per publicum notarium Corsicae de Sylvestri Landini rebus gestis facta et subscripta, necnon in *Relatione de vita et morte Landini*, quam una cum informatione supra dicta in Appendice ad vol. IV hujus *Chronici* edere intendimus. Item in *Regesto litterarum Sancti Ignatii*, vol. II, fol. 102 v.° haec legimus: "Si scrive a Mtro. Joan Natale una lettera officiosa„; ipsas tamen litteras nondum reperimus. Vide infra, n. 190. De eo etiam ejusque uxore, Tirama, quaedam habet Bartoli, l. c.

[2] Sic; melius forte *ditiones*

sacerdotibus et etiam cum laicis observabat, affirmans se quietem non invenire nisi in obediendo; et dolere se affirmabat quod tam sero beatitudinem hujus vitae, obedientiam scilicet, cognovisset.

177. Omnes bonas traditiones et consuetudines, quas in ecclesiis inveniebat, servari curabat; et aliqui mirabantur quod in eis nihil immutaret, nam illi homines rebus novis delectantur; sed interius in spiritu, quod magis gratum erat, sacerdotes renovari videbantur, et magnis precibus a P. Sylvestro contendebant ut eos vellet invisere ut per ipsius adventum Dominus catenas peccatorum dissolveret; sed omnes uno ore affirmabant expedire magis ne ex metropoli Corsicae recederet, qua ad Dominum serio conversa, reliqua insulae loca facile convertenda esse; et interim undecumque ad eam urbem homines confluebant. Cum tamen vineam hanc Episcopatus Marianae diligenter coleret, nec in beneficiis se immiscebat, nec obolum ab aliquo ejus insulae homine accipiebat.

178. Inter multos amicos, quidam Leo, bonus filius, Gubernatoris Auditor, officiose admodum suam omnem operam offerebat; et cum intellexisset contradictionem contra nostros excitatam, de qua paulo inferius, ipse Romam venire, ut satisfaceret Pontifici et Cardinalibus, volebat; perinde enim esse dicebat res nostrorum in Corsica et res Christi defendere; cum, quidquid nostri agerent, ad Christi gloriam et animarum fructum cederet; vir valde bonus et injuriis remittendis perfectionis sectator; quamvis in Sancti Georgii Officiis a Republica Genuensi saepissime honoratus esset. Dominus etiam Marsilius del Fiesco, judex, et alii multi nobiles utriusque sexus, eumdem P. Sylvestrum magno charitatis affectu complectebantur; sed prae caeteris D. Benedictus Casanova Sauli, cum fructum spiritualem abundantem coram cerneret, ita mirifice et verbis et litteris illum praedicabat: vir pius et pietatis operibus valde deditus: et quia copiosus erat valde, late benignitas ejus in paupe-
res patere poterat [1]. Hic congratulabatur Gubernatori et prae caeteris, qui gubernassent eam provinciam, praedicabat: nonne, inquit, vides quod hebdomada carnisprivii in hebdomadam san-

---

[1] Praeter hic nominatos, Corsicae rebus invigilabant et Patribus Landini et Montemayor favebant Thomas Spinola et Franciscus Cattaneus Bava, ut videre est in Ignatii litteris ad eos 16 Septembris datis, *Cartas de San Ignacio,* vol. III, pag. 292 et 423.

ctam tibi sit conversa, quodque dominici dies, propter frequentiam communionum, in diem Paschae sint commutati? Addebat et imaginem paradisi terrestris et primitivae ecclesiae et terram promissionis lacte et melle manantem, ob divinae gratiae dulcedinem, in ejus magistratu cerni.

179. Tanta autem veneratione P. Sylvestrum prosequebantur, et sic de eo sentiebant, ut pedetentim aliqui ad eum accederent tantum ut vocem ejus audirent, et pro gratia magna ducebant quod cum eo loqui poterant; et quamvis humiliter ille de se sentiens valde confundebatur, se tamen totum eorum utilitatibus impendebat; et ita brevi laboribus, ut postea dicetur, fuit consumptus; si tamen in mille se ille partes divisisset, tam multorum devotioni satisfacere non potuisset; nam in dies tum qui in spiritualibus, tum qui in temporalibus diversis insulae populis praeerant, eum magno cum affectu urgebant ut ad suos populos invisendos [accederet]. Inter hos erant Vicarii quorumdam Episcoporum; domini etiam saeculares aut venerunt ipsi aut miserunt ad P. Sylvestrum ad hoc ipsum; et quia de recessu nostrorum dubitabant, magno timore ne id fieret tam viri quam foeminae omnis conditionis tenebantur. Quoddam monasterium monialium ibidem etiam a multis virginibus expetebatur, et ut fieret curatum est; prius tamen optabat sacerdotum aliquam congregationem ibidem institui, ut hoc et alia pia opera, tam clericorum quam laicorum, promovere posset.

180. Cum plura dona P. Sylvestro offerebantur etiam a viris religiosis, nihil a quoquam praeter charitatem ipsorum admisit. Juxta auctoritatem apostolicam multas dispensationes in 4.° gradu contractorum matrimoniorum gratis concedebat: ritus gentilici, ludi, blasphemiae, incantationes et alia daemonis opera exterminata sunt; ecclesiae reparatae quod ad aedificium attinet et quod ad ornatum et divina officia; sigillatim talia persequi longum admodum esset; hoc addam, quod aliqui ad confessionem sunt adducti, qui de peccatis numquam fuerant confessi.

181. Cum haec ita se haberent, et magnis laboribus nostri incultam illam Corsicae vineam excolerent, ac praecipue dioecesim Marianensem, dedit Deus servis suis occasionem per patientiam suum meritum et Dei gloriam augendo. Quidam

enim, Marianensis Episcopi Vicarius [1], multa Romam ad suum Episcopum contra nostros ipso in initio hujus anni scripsit. Nostros hic, simul atque in civitatem Bastiae pervenerant, domi suae exceperat, quia ad eum, ut Episcopi Vicarium, id pertinebat; et cum esset hyemis tempus, scilicet sub finem Decembris, dua illis cubicula immunditiis plena, et vento ac pluviae exposita propter tecti et muri varia foramina, assignaverat, ut injuriam frigoris non ferentes aegrotare coeperint; nihil praeterea de necessariis ad victum eis tribuebat. Coacti fuerunt itaque nostri ab ejus domo recedere, cum saepe hospes admonitus, praeter verba, nihil conferret; et animadversum est id eum agere quo liberius dona, quae plurima undecumque admittebat vel etiam curabat, admittere posset. Dicebatur etiam a singulis sacerdotibus pecuniam accipere, et alia hujusmodi plurima, quorum testes domesticos habere nostros, praesertim Sedis Apostolicae Commissarios, nolebat. Cum autem nostri, inde recedentes, ad monasterium Sti. Francisci se contulissent, ille, cum forte timeret ne vel scriberent contra ipsum vel pro sua auctoritate aliquid agerent, cujusdam canonici, publici concubinarii [2], et quorumdam religiosorum capuccinorum, qui non aequo animo tulisse videbantur, vel quod nostri apud franciscanos diverterent, vel quod concionatoribus edicto significasset P. Sylvester ut secum conferrent, quae praedicaturi erant, antequam in posterum concionarentur, ut concordes, quae ad animarum salutem pertinebant, praedicarent... [3].

182. Et quia juxta Julii III litteras apostolicas timebant aliqui, qui a monasterio franciscanorum recesserant, ne ad ipsos redire cogerentur, partim litteris, partim verbis Romam veniendo, curiae romanae aures impleverunt, et caput hujus negotii quemdam hominem [instituerunt], qui olim de haeresi condemnatus fuerat, et novam condemnationem propter alia delicta timebat, qui cujusdam religiosi ex jam dictis subscriptionem afferebat et aliorum quorundam, qui etiam subscripserant cuidam Liberio, qui haeresis veneno Corsicam infecerat. His ergo armis nostros nihil minus cogitantes, immo jam

---

1 Il Vicario d' Accia e Mariana. BARTOLI, l. c.
2 Un canonico di Borgo intimissimo del Vicario di Mariana. BARTOLI, l. c.
3 Desiderantur hic aliqua verba.

dictis operibus incumbentes, sic Romae calumniari coeperunt, ut aliqui ex primariis Cardinalibus, inter quos Marcellus, tituli Stae. Crucis, erat, P. Ignatium admonuerint ut serio curaret nostros admonere ut aliter procederent, nam rigoris magni notabantur, superbiae, et hujusmodi defectuum, ita ut ne religiosorum quidem rationem haberent et facultate Sedis Apostolicae abuterentur [1].

183. Visum est ergo P. Ignatio aliquem esse in Corsicam mittendum, et Sebastianum Romeum, nondum sacerdotem, ad id elegit, cui litteras ad Gubernatorem, qui Bastiae residebat, dedit, eidemque [2] injunxit ut inspiceret quomodo Commisarii se gererent et testimonia publica et privata de ratione procedendi nostrorum Romam adferret. Litteras etiam ad Patres Sylvestrum ac Emmanuelem tulit, quibus P. Ignatius eos in spiritu lenitatis procedere, et alterum sine alterius consilio nihil decernere commonebat. Et opportune hoc P. Ignatius scripsit, non propter ipsum P. Sylvestrum, sed propter P. Emmanuelem, qui, quamvis pio zelo, in pauperum scilicet auxilium, pecunia quosdam mulctabat, et aliquos ea de causa, ut ferebatur, quia non intererant lectioni doctrinae christianae; quodque domi viris simul ac foeminis, in arce scilicet D. Jacobi, christianam doctrinam explicabat, et quod ad ecclesiarum muros reficiendos et alia hujusmodi, homines a suis operibus cum ipsorum incommodo aliquando revocabat. Itaque bona ejus voluntas majori experientia P. Sylvestri temperanda erat.

184. Perveniens autem Sebastianus Bastiam 12.ª Martii, litteras Gubernatori tradidit et adventus sui causam ei exposuit, cui tunc breviter ipse respondit de Commissariis Sedis Apostolicae non posse se testari nisi quod optime et magno cum fructu, tam exemplo quam verbo, nostri in Corsica versati essent, et quod fructus in dies crescebat adeo ut satisfacere tam multis poenitentibus undecumque confluentibus, etiam cum auxilio fratrum Ordinis Sti. Francisci, non possent; et quia tunc impeditus erat Gubernator, alias velle se alloqui et plenius infor-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Sylvestro Landino, quae Ignatio Cardinalis de Carpi detulerat de Sylvestri et Emmanuelis agendi modo cum fratribus praesertim franciscanis, 14 Aug.—Unde recte Bartoli, l. c., ait: "due Cardinali, il Cervini (Sanctae Crucis) e 'l Pio (Carpi), nostri gran protettori e amici, vennero a far consapevole Ignazio....„

[2] Sebastiano Romei.

mare P. [1] Sebastianum dixit. Ejus praeterea auditor, quem superius D. Leonem Genuensem vocavimus, comitatus aliquandiu Sebastianum, non videbatur satiari posse de laudibus Commissariorum praedicandis, ea, quae superius dicta sunt, referendo.

185. Contulit se statim idem Sebastianus ad ditionem D. Jacobi de Mara ut quae ibi gerebantur a P. Emmanuele inspiceret, et demum litteras tam Gubernatoris ad Pontificem et aliquot Cardinales, quam Provincialis Ordinis Sti. Francisci et Guardiani ac Ministri monasterii Bastiae, quam etiam civitatis ipsius ad Summum Pontificem et ad P. Ignatium, attulit; quibus non solum calumniae confutatae fuerunt, sed insigne testimonium et de Commissariorum virtute, et de magna spirituali utilitate, quam eorum labores et ministeria sancta ad Dei gloriam pepererant. Affirmabat autem Gubernator, Pontifici scribens, ea esse merita horum duorum sacerdotum, ut ipsorum electio tamquam singulare beneficium insulam illam suae Beatitudini obstrinxerit, qui per tales pastores eam visitare dignatus fuerat; et eidem supplicabat ut animaret illos Dei servos ad coeptum opus prosequendum. Multa etiam ad P. Ignatium de spirituali fructu et strenua opera, quam nostri navabant, scripta fuerunt, quae referre longum esset; et P. Sebastianus, cum die 12.ª Martii in Corsicam appulisset, 24.ª ejusdem mensis inde Romam rediit, et solidis testimoniis ac permultis, tam publicarum, quam privatarum personarum, quae caeteris et pietate et auctoritate praestabant, vanos rumores Romae sparsos convicit, et in aedificationem Patrum Sylvestri et Emmanuelis ac totius Societatis eos convertit.

186. Referebat autem inter alia P. Sylvestrum perinde atque sanctum Dei haberi, non a populo solum, sed etiam ab aliis, qui et judicio et auctoritate caeteris praestabant; et quod aliquando in ecclesiis prae multitudine concionari non poterat, quamvis ter et quater singulis diebus concionaretur. Ille etiam D. Jacobus de Mara, in cujus ditione P. Emmanuel id temporis versabatur, tam acerbe tulit has contra nostros calumnias, ut se paratum offerret ad iter Romam versus suscipiendum, ut

---

[1] Sic: meminisse tamen oportet eum, ut supra ipse ait Polancus, nondum esse sacerdotem.

quod veritas habebat testaretur; non est tamen id ab eo postulatum nec ei permissum, cum res alioqui tam esset clara et in tota insula perspecta, et quod Dominus per nostros operabatur, ut hic labor minime necessarius videretur. Respublica etiam Genuensis multa in commendationem nostrorum ac favorem Gubernatori Corsicae scripsit, et Romam (quamvis nullus ex nostris versaretur [1]) in favorem et commendationem eorumdem, qui in Corsica versabantur, scribere voluerunt; et ita brevi constitit in Corsica, etiam antequam P. Sebastianus Romam pervenisset, quod non credebantur a primariis viris, quae contra nostros dicebantur. P. tamen Ignatius nostris serio commendabat ut submisse se gererent, et ut memores essent quod tamquam visitatores in Corsicam missi essent, potius ut informationem rerum Romam transmitterent, quam ut ipsi exequerentur, quae nostrae professioni minus propria erant, nisi prius ipsum Romae consuluissent et responsum accepissent, quod, re cum Cardinalibus quibusdam tractata, ipsis reddendum erat [2].

187. In festo Resurrectionis Domini plurimi a peccatis resurrexerunt, et cum in concione P. Sylvester pauperes commendabat, tam libenter et liberaliter se gerebant auditores, ut esset aliquis qui decem aureos solus conferret; itaque paupertati multorum egregie consultum est. Commendabantur autem in ea concione Patres Capuccini ac alii Patres Ordinis Sti. Francisci; nec in ea insula quisquam hujusmodi liberalitatem in egenos visam fuisse recordabatur. Nobiles Genuenses, per varia loca Corsicae discurrentes, magnopere sua charitate corda populorum accendebant, et ita primarii inter illos non cessabant precibus P. Sylvestrum urgere ut ad se veniret; miserant etiam magnam copiam librorum doctrinae christianae Domini Genuenses, et Gubernatorem Corsicae laudabant quod Commissariis favorem impenderet; et, quod aliqui contradicerent operi Dei, signum esse scribebant quod bene agere nollent.

---

[1] quamvis nullus ex nostris, *qui has litteras expeteret, Genuae tunc* versaretur.

[2] Haec, et alia plura circa ea, de quibus accusatus fuerat Landinus, in litteris ad eum datis 15 Aprilis. Egit tum Ignatius cum Cardinalibus et Episcopis Corsicae, qui Romae in curia morabantur, de iis, quae opportuna videbantur ad tantis insulae illius malis medendum, et fuse omnia Landino declaravit litteris 12 Maji datis, simulque eum et Emmanuelem docuit quid ab eis recte et quid secus factum videbatur.—Postea, id est, 10 Julii, scripsit idem Ignatius Gubernatori Corsicae litteras, quas habes in *Cartas de San Ignacio,* vol. III, pag. 238 et 406.

188. Ludimagistri cum suis discipulis, sub vesperam singulis diebus, ad christianae doctrinae lectionem accedebant. Et quamvis P. Sylvester optaret ad visitationem insulae egredi et Bastiam relinquere, tam multae et acres lamentationes et clamores [civium] ejus primarii populi, qui se deseri nolebant, sequebantur, ut diutius quam constituerat ibi haerere sit coactus. Vicarius tamen ejus Episcopatus Marianensis, velut Jebusaeus ad exercitationem patientiae relictus, maximis semper molestiis P. Sylvestrum afficiebat, qui tamen donum Dei agnoscens, humilitate et patientia contra illum se armabat; et ne elationis occasionem haberet ex fructu, quem ex populo colligebat, et ex magna ejus veneratione et erga se dilectione, contradictiones Vicarii et aliorum quorumdam et insuper continuae fere aegritudinis libenter admittebat. Ter et quater Romam singulis hebdomadis scribebat; sic enim ipsi a P. Ignatio fuerat injunctum, quia litterae saepe intercipiebantur vel aliis ex causis Romam non perveniebant; et prorsus mirum videtur quomodo tempus huic bono Patri suppeteret, inter tam varias et assiduas occupationes, ad tam multas litteras in tam varia loca scribendas [1].

189. P. Emmanueli contradictiones etiam non deerant; et cum pacem latissime patentem in illis locis, ubi versabatur, reliquisset, daemones bellum contra ipsum gerebant, qui ex animis multorum, in quibus per plurimos annos regnaverant, dejecti fuerant, et ipsum etiam D. Jacobum de Mara contra ipsum excitarunt; sed dextera Domini has oppugnationes contrivit, et idem Dominus Jacobus saepe et genibus flexis veniam ab eodem P. Emmanuele precatus est, et se mentitum esse in quibusdam, quae dixerat, fatebatur, rogabatque ut se in suam gratiam reciperet ut prius, se et omnia sua promptissime offerens. Cum lacrymis autem multorum ac dolore ex illis locis ad alia, quae ipsius opera indigebant, [P. Emmanuel] recessit.

190. Agebatur serio in civitate Bastiae de Collegio Societatis instituendo, et quidam Joannis Natalis, de quo superius

---

[1] Polancus, *ex com.,* Patri Sylvestro Landini fuse de iis, quae de ejus severitate in abusibus extinguendis, Romae apud Cardinales, et praesertim Marianae Episcopum, circumferebantur, 23, 24 et 27 Julii.—Landini quasdam litteras, quae ad nos usque pervenerunt, edemus, alias in *Quadrimestrium litterarum* vol. II, alias in Appendice secunda ad Novam seriem litterarum Sancti Ignatii.

mentio facta est, P. Ignatio mense Majo scripsit rogans ut duodecim religiosos Societatis eo mitteret, quibus et domum et ad victum et vestitum necessaria, partim ex Episcopi, partim ex dominii genuensis, partim ex populi eleemosynis daturi erant; postea tamen ipse et uxor ejus, quorum liberi omnes mortui fuerant, Collegium Societatis haeredem sibi habere decreverunt. Haec tamen, partim ob adversos successus belli corsici, hoc anno contra gallos et classem turcicam gesti a Republica Genuensi, quo tota Corsica perturbata fuit, partim quia Societas nostra multis aliis in locis occupata erat, ad effectum non pervenerunt [1].

191. Sub finem mensis Maji piratae valde molesti esse Corsicae coeperunt, et aliquot navigia exigua prope Bastiam occuparunt, et inter alios, quosdam apostatas monachos obedientiam fugientes; et cum quosdam in terram fugientes insectarentur, bombardis ab arce Bastiae fuerunt repulsi. Deductus est P. Sylvester a monasterio Sti. Francisci intra ipsam civitatem, et in quadam domo conducta fuit constitutus, cujus pretium et expensas omnes necessarias ad ejus victum jam dictus Joannes Natalis pro sua devotione solvere voluit.

192. Tanta autem frequentia communicantium sub hoc tempus erat, ut supra mille una in hebdomada communicarent; et similia a P. Emmanuele in oppido, quod Brandum [2] vocant, cujusdam D. Melchioris, fiebant. Et mirum est quod vacaret P. Sylvestro, inter jam dictas occupationes, spiritualia exercitia tradere, quae simul tribus hominibus et duabus mulieribus primariis ejus urbis tradebat; et in custodia publica detentorum confessiones etiam audiebat, et eorum curam agebat, et ex primariis urbis viris, generales vitae totius confessiones excipiebat, et feliciter secum actum ille existimabat, qui ei confiteri potuisset; et ignorantia sacerdotum, qui curam animarum gerebant, una ex causis erat cur P. Sylvestro cuperent confiteri. Fatebatur ille quod, si cum hujusmodi parochis juste agendum

---

[1] Polancus, *ex com.,* Patri Sylvestro Landini: "Per il Signor Gobernatore si scrive a Mtro. Joan Natal. Se non si risponde, non si maravigli V. R.; che io non ho potuto in modo alcuno leggere sua lettera; mi pareva indovinare che mandassi dodici della Compagnia; ma, se non si fa Collegio, non si mandaran mai tanti; massime non potendo satisfare a tante imprese che ha pigliato la Compagnia. V. R. li dia molte raccomandationi di parte di Nostro Padre; et indovinando meglio le lettere di sua lettera, se gli risponderà... 25 Julii.

[2] Brando, feudo della Provincia di Capo Corso. Cambiagi, l. c.

esset, omnes fere a suis parochiis removere cogeretur in tota insula; ideo plurimos sacerdotes et ludimagistros in eam mitti merito cupiebat.

193. Hospites ipsius P. Sylvestri, quos omni studio ac favore prosecutus fuerat, et cum exosos omnibus invenisset, in gratiam populi Bastiae et Genuensis restituerat, quique fatebantur, cum ad ipsius adventum essent conventuales, jam sibi observantes effectos videri, quorum privilegia defenderat et temporalia etiam subsidia multa curaverat, hi religiosi, inquam, contradictionem magnam et contra ipsorum quosdam et Societatem excitarunt; et cum charitas, qua P. Sylvestrum amici prosequebantur, dum nihil ipse acciperet, in ipsos effunderetur, tamen et ipsum et P. Ignatium linguis perscindere aliqui eorum tentabant; sed nihil proficiebant, et sibi ipsis non nostris nocebant. Erat autem pergratum P. Sylvestro quod, mala pro bonis recipiendo, aliqua ex parte Christum Dominum nostrum imitari posset.

194. Quasdam spirituales gratias, nec eas exigui momenti, quas P. Sylvester in gratiam Corsicae optaverat, a Sede Apostolica P. Ignatius impetravit et misit. Quamvis tamen auctoritate non exigua armatus esset P. Sylvester, ea tamen, quae nostri Instituti sunt, efficaciora esse experiebatur, praedicandi scilicet, legendi et catechismum docendi ac sacramenta ministrandi; et ita populos illos diu noctuque adjuvare nitebatur, et juxta illud Pauli *obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo,* ad poenitentiam et peccata relinquenda homines indefesso labore hortabatur. Si quando autem exsecutionem aliquam tentasset, tota factio commovebatur, et ita major spiritualis fructus impediebatur. Itaque litteris apostolicis non utebatur, quod ad rigorem parum illi homines essent dispositi, ut scilicet ea ratione corrigi possent; non tamen nocere existimabat, quod penes ipsum auctoritatem a Sede Apostolica concessam esse intelligeretur.

195. Allocutus est Gubernatorem sub finem mensis Junii de reparandis ecclesiis vel dirutis vel quae ruinam minabantur, et id coram multis civibus primariis. Sed ille ad Dominos Genuenses ea de re scribere voluit, nam timendum valde erat ne, dum materiali aedificio consulebatur, spirituale detrimentum pateretur.

196. Invisit deinde P. Sylvester socium, P. Emmanuelem, quem magno cum fructu in vinea Domini laborantem, nec sine multis contradictionibus eorum, qui adjuvare debuerant opera Domini, invenit. Et affirmabat idem P. Sylvester quod proventus aedificationis et spiritualis fructus in civitate primaria ab eo vincebatur, qui in circumjacentibus populis, per quos ipse et P. Emmanuel discurrebant, proveniebat. In iis enim, post diurnum laborem usque ad unam horam cum dimidia noctis, in ecclesiis populus coronam B. Virginis partim canebat et partim tacite orabat; et omnes propemodum in illis locis ad communicandum octavo quoque die adducti erant; et quamvis ipse quotidie, et, ut dictum est, ter et quater diebus festis, concionaretur, scribebat se nihil incommodi ex eo pati, quin potius jucundam ipsi eam exercitationem accidere.

197. Bastiam rediens mense Julio, epistolam *ad Romanos* interpretari quotidie coepit, et tam avide et impatienter ejus praesentiam illi cives optabant, ut, cum vicina loca inviseret, quotidie aliqui viri et foeminae ad eum videndum se conferrent et rogandum ut in urbem rediret. Erat autem ei jucundum, quod tam in mari quam in ipsa insula, et tam in montibus quam in habitationibus, tam inter milites quam inter agricolas et artifices, nihil nisi de laudibus Domini et Matris ejus resonabat, et, vanis cantilenis omissis, hujusmodi pios versus cum harmonia decantabant. Sub finem Junii duo synthomata gravissima bonus P. Sylvester passus est; in priori per spatium fere unius horae velut mortuus jacuit; et cum ad se rediisset, dentes molares, cum quodam profluvio sanguinis ex capite descendentis, convellebantur; sub noctem deinde iterum, minus tamen graviter, idem illi accidit; deinde tamen, utcumque convaluit in oppido S. Bonifacii, de Collegio ibidem erigendo etiam agebat.

198. Julio mense propter spiritualem necessitatem insulae Caprariae, quae Corsicae vicina est, ad eam se contulit P. Sylvester, et ibidem aliquot dies cum magno spirituali fructu versatus est. Aliquos, qui in excommunicationem Pontifici reservatam [inciderant], absolvit. Fere viginti personas, quae in prohibitis gradibus matrimonium contraxerant, per dispensationem a conscientiae gravi periculo vindicavit: decem et octo alios, quorum dispensationes [1] Dragut pirata inter alia incendio con-

[1] Dispensationum scripta testimonia seu diplomata.

sumpserat, cum per testes ipsi constaret de dispensatione, dispensatos esse declaravit. Pro more quotidie illis mane concionabatur; sub vesperam, christianam doctrinam explicabat, et, toto populo in ecclesiam conveniente, coronam vel rosarium B. Virginis decantabat; supplicationes etiam publicas fieri curavit et Sanctissimo Sacramento multos refecit. Curavit etiam in quoddam propugnaculum multa saxa comportari, ut se contra piratas defendere possent, qui paucis ante diebus aliquot homines ex ea insula occiderant et duodecim virgines ex primis ejus insulae in servitutem abduxerant; et, ut in magno dolore homines illos consolaretur, opportunus fuit P. Sylvestri adventus. Nec voluit eo mittere P. Emmanuelem, quia ille, aetate integra, ad diutius laborandum in vinea Domini idoneus ipsi videbatur; ideo piratarum periculo noluit eum exponere. Cum autem ipse senex et aegrotus esset, parum esse timendum putabat, si in manus Turcarum incidisset.

199. Jam eo tempore et Augusto mense sequenti praedicta classis Turcarum infestare illa maria coeperat; et cum 7.ª die Augusti prope litus Bastiae transisset versus montem Christi, magni boni christianis occasio fuit; supplicationes enim factae sunt, et quotidie confessiones, communiones et eleemosynae cum magna peccatorum contritione factae fuerunt. Omnes pueri, mulieres et senes per interiora insulae loca fuga dispersi sunt; et dum barbarorum impetum fugiebant, christianam doctrinam et frequentem confessionis et communionis usum spargebant, et ut ad mortem se praepararent hortabantur; et ita haec fuga multos in Corsica praedicatores effecit. Dominus Paulinus, praefectus classis Regis Gallorum, admonuit Gubernatorem, qui Bastiae residebat, quod Dragut Corsicam invadere decreverat, quodque ipse curaverat eum removere, sed persuadere non potuerat, cum ulcisci damnum, quod ibidem passus aliquando fuerat, omnino vellet.

200. Cum hoc innotuisset populo Bastiae, tremor magnus ac pavor homines invasit; lacrymae etiam et planctus passim cernebantur; consolationem tamen accipiebant et animabantur dum P. Sylvestrum penes se habebant; et saepe post supplicationes, conciones et sacramentorum ministeria, per urbem incedebat, ut non dubitarent quod ibidem esset. Noctibus etiam in ecclesiam se conferebat ad orandum, cum, visis ignibus spe-

cularum, qui de adventu infidelium monebant, ad arma sumenda conclamabant, nec extra urbem pedem efferre [ei licebat] ad aliquos invisendos, qui extra muros habitabant, quin interrogarent eum an ipsos desereret; ille autem bono animo esse jubebat, nec se ab eis recessurum affirmabat, dummodo ipsi, tam duces quam milites, suum officium facerent; urbem etenim defendi posse. Et ita eos animabat, qui, ut ab angelo Dei, verba ejus accipiebant; nec manere aut recedere quoquam sine ipsius consilio volebant. Debiles autem homines, pueros ac mulieres, facessere ad loca munitiora; validos autem, ut manerent hortabatur, ad populum et ecclesiam Dei defendendam: se in medio ipsorum futurum, licet amici equos ad fugiendum ei parassent; et dum alii ad arcem cum armis ibant, ipse ad ecclesiam cum sacerdotibus, ut oraret, se conferebat, quod diu noctuque faciendum erat. Sed misertus Dominus populi illius, postquam eum aliquando exercuisset, mare placidum, quod prius erat, et tranquillum, ventis immissis, perturbavit, et ita classis turcica inde recessit. Incendia tamen insulae vicinae, quam Pianosam [1] vocant, ex urbe Bastiae cernebantur; nam eam infideles, igne ad coelum ascendente, vastabant.

201. Devota quaedam foemina visionem sibi accidisse narrabat, quod, propter magna peccata Corsicae, et quod nolebant obedire praedicatori, vicina ad ultionem erat classis; si tamen ei obedirent, quod eos Dominus ab infidelibus liberaturus esset, et ut supplicatio fieret, in qua P. Sylvester Sanctissimum Sacramentum in circuitu murorum circumferret; quidquid sanctissimum Domini corpus circuisset, id ab infidelibus tutum fore; et quia non venit statim ad hoc manifestandum P. Sylvestro, dicebat se fuisse cum minis acerbis reprehensam. Ille autem, re cum quibusdam sacerdotibus et piis hominibus collata, non quod omnino fidem praestaret visioni ejus mulieris, sed in honorem Sanctissimi Sacramenti et ad imitationem B. Clarae et aliorum fidelium, qui per sanctissimum sacramentum Eucharistiae infideles fugaverant, supplicationem instituit et sanctissimam Eucharistiam circumtulit; et cum recessisset classis, Gubernator ipse cum lacrymis tenebat et osculabatur manum P. Sylvestri et simul cum eo gratias Deo agebat.

---

[1] Piccola isola situata a Ponente dell' isola del Giglio. Cambiagi, l. c.

202. Ubi erat P. Emmanuel, similia etiam ei accidebant; et utrique sanitatem in hoc periculoso tempore Dominus tribuebat. Quamvis autem, donec vicina erat classis, merito homines sibi timebant, ipse P. Sylvester spiritu quodammodo propensum se experiebatur ut in Turciam adduceretur, ut evangelii Christi praedicandi occasionem ibidem haberet; et scripsit P. Ignatio et rogavit ut, si id ad Dei gloriam fore existimaret, sibi significaret, ut se capi a turcis sineret. Nec de collegiis apud turcas instituendis desperabat. Sed bona Patris voluntas et agendi et patiendi, quae ad Dei gloriam essent, probata fuit; non tamen haec ejus oblatio admissa. Cum autem classis, versus alia Italiae litora conversa, Plumbinum, Tusciae maritimae portum, oppugnaret, ipse P. Sylvester ad alios Corisicae populos visitandos se contulit. Sub finem vero August- Bastiam rediit, et in eum incidit quidam Joannes Morales, qui, a Societate recedens, stipendium a Republica Genuensi ut miles acceperat et cum aliis Bonifacium missis per urbem illam transibat. Cum autem P. Sylvester eum esset allocutus, compunctus ille Deo servire in Societate deliberavit, et denuo vota sua ad propositum hoc confirmandum emisit.

203. Quidam etiam saracenus a P. Sylvestro cum magna aedificatione baptizatus fuit, et procurator quidam Domini Antonii Doria, cujus ille servus erat, P. Sylvestro eum donavit. Paulo post, cum classis turcica gallorum classi subsidium ferret, partem ejus insulae, ac nominatim portum Bonifacii, occuparunt; et quidam amici Genuenses, inter quos erat D. Benedictus Sauli Casanova, ex urbe Bastiae PP. Sylvestrum et Emmanuelem, cum a civibus ea desereretur, in loca tutiora abduxerunt, ut Dominus Thomas Spinola et Franciscus Cataneus Bava P. Ignatium admonuerunt [1]. Et in oppido quodam, nomine Bozi [2], in gravissimam P. Sylvester aegritudinem incidit et Sanctissimum Sacramentum in viaticum accepit, ac jam extrema unctio parata ei erat; sed brevi, Dei auxilio, sanitatem recuperavit. Alio in latere montium erat P. Emmanuel, quo nondum galli cum suis subsidiis pervenerant; et quia Genuensium res-

---

[1] "Delli nostri di Corsica ci scrivono di Genova quelli gentilhuomini amici che li fecero andar alle montagne, quando si prese la Bastia, alcuni amici che di là si ritirarono.„ Ita Polancus, *ex com.*, Patri Jacobo Laynez, 16 Sept.

[2] Bozio. CAMBIAGI, l. c.

publica ad Corsicae defensionem classem magnam sub Principe Andrea Doria miserat, et civitatem Calvi magno praesidio munitam habebant, id agebatur ab amicis, ut nostri ad illud se praesidium conferrent.

204. Fuit autem magnopere commendatum Commissariis [1] ad Corsicae res deputatis, ut magnam rationem eorum Patrum haberent; sed et P. Ignatius Romae litteras a Cardinali Bellai obtinuit, et duplici exemplo ad nostros in Corsicam transmisit ad praefectum classis gallorum, quem Baronem de la Guardia vocabant, ut eorum protectionem acciperet. Quamvis enim diceretur quod sponte sua Commissarios Sedis Apostolicae [2] securos ibi agere curaturus esset, hac tamen commendatione adhibita, protectionem eorum suscepturus credebatur.

205. Admonuit autem eos per litteras P. Ignatius ut praedicationi incumberent, et sic ad vitam christianis dignam homines hortarentur, ut in rebus ad statum aut gubernationem Corsicae pertinentibus se non immiscerent nec de eis loquerentur [3]. Admonuerat eosdem paulo ante, juxta Cardinalis Carpensis sententiam, ne in visitatione sua res domesticas aut interiores Fratrum Sti. Francisci tractarent, quamvis aliquo timore continere eos in officio idem Cardinalis protector volebat; in his autem, quae erga externos a Fratribus illis fiebant, ut nostri providerent Cardinalis idem laudabat. Pater tamen Ignatius optare se scripsit ut cum omnibus religiosis pacem et charitatem mutuam foverent.

DE COLLEGIO PATAVINO, VENETO AC LOCO BASSANI

206. Schola Patavii recens instituta progressum satis felicem hactenus habebat; nam numerus ad centum quinquaginta

---

1 Genuensibus. Ii, qui Gubernatori Lamba d' Oria in officio successerant regendi et defendendi insulam, erant Paulus Vincentius Lomellinus et Bernardus Castagna.

2 PP. Landini et Montemayor.

3 Haec et quae in praecedenti num. continentur videri possunt in litteris, quas Polancus, *ex com.*, scripsit Patri Sylvestro Landini, 7 et 21 Sept., quibus evincitur commendatitias in favorem Sylvestri et Emmanuelis litteras non solum a Cardinali du Bellay, sed etiam a Regis Galliae in curia romana Legato Ignatium obtinuisse.

ascendit: non est tamen conservatus; cum enim locus valde remotus esset, temporis progressu imminutus fuit. Progressus eorum in studiis non poenitendus erat; fatebantur ipsi compluribus annis se minus profecisse sub aliis praeceptoribus quam paucis mensibus in Collegio nostro profecerant; mores etiam quotidie in melius commutari cernebantur.

207. Confessionis ac communionis suos etiam fructus Dominus colligebat; nam praeter eos, qui octavo quoque die eis pro more reficiebantur, alii atque alii subinde accedebant, quos divina bonitas ad poenitentiam et vitae emendationem adducebat. Inter hos mulier quaedam fuit, quae, complures annos a mariti contubernio separata, turpiter vixerat; sed tam illa quam maritus ejus, a peccatis per confessionem emundati, ad communem vitam et mensae domusque consortium concordibus utrinque animis redierunt. Alius etiam quidam hujus sacramenti praesidium singulare expertus est et plurimas gravissimasque injurias, quae ipsi illatae fuerant, ex animo condonavit. Sed inter eos, qui frequenter ad confessiones accedebant, duo fuerunt, qui quadam negligentia valde noxia sanctam illam consuetudinem intermiserant, ac proinde, cum in gravissima vitia prolapsi essent, pudebat eos pristinum confitendi morem resumere; sed cum tandem se in hac parte vicissent, sic a Domino per sacramenta sunt confirmati, ut, cum magno spirituali profectu, crebro confiteri pergerent.

208. Fuerunt et alii, qui aliquot annos a confessione abstinuerant, qui eam perniciosam tarditatem compensare, sacramenta frequentando, constituerunt, et eorum exemplo vel exhortatione alii hoc ipsum factitabant. Extra urbem etiam matrona quaedam, ad nostros accedens ut confiteretur, longe tranquilliore animo quam venerat reversa est. Ex occasione filiorum, quos ad scholas erudiendos deducebant, aut persuasione eorum, quos deduxerant, alii ad confessionem adducebantur, a qua satis diu aliqui abstinuerant; nec solum ferventer atque frequenter in posterum ad sacramenta accedebant, sed plurimis aliis ut idem facerent persuadere nitebantur. Inter aegrotos in xenodochio decumbentes, quibus nostri operam suam impendebant, tres sacramento poenitentiae, quo plurimis annis caruerant, a peccatis liberati sunt, inductique ut ad uxores, quas deseruerant, statim, reddita sanitate, se recipe-

rent. Alii praeterea, qui etiam plures annos in peccatis insorduerant, nec ad confessionem accesserant, hoc sacramento in xenodochio sunt adjuti, et a variis peccatis, quibus implicati erant, expediti; et aliquis eorum, post generalem totius vitae confessionem, vinculis corporis expeditus, singulare a Deo beneficium accepit, quo adjutus, cum bona spe vitae eternae ad Dominum migravit.

209. Pauci ex nostris hoc anno Patavii fuerunt, nam, aliis alio missis, aliquando tantum octo vel novem ibi substiterunt, ex quibus quatuor in scholis occupabantur, duo sacerdotes in rebus spiritualibus, alii in domesticis functionibus. Inter praeceptores erat Magister Eleutherius Pontanus, qui egregiam operam ram in prima schola navabat. P. Elpidius [1], Rector, inter coenandum, lectionem quamdam humaniorum litterarum praelegi (quod diceret tantumdem se vidisse Florentiae et Ferrariae fieri) jubebat; at P. Baptista Tavonus, juxta formulam Romani Collegii, potius lectionem alicujus libri spiritualis mane habendam et vespere concionandum censebat; et haec sententia probata fuit. Idem P. Baptista admonuit modum procedendi in diversis collegiis diversum esse, et tentationum occasionem ex hac varietate interdum exoriri, et ideo constitutiones aliquas, quae ab universis essent observandae, expetebat; sed jam id P. Ignatius efficere cogitabat et P. Natalem cum constitutionibus in Hispaniam miserat.

210. Effecerat collegiorum novorum institutio ut Collegia, tam Patavinum quam Venetum, Patribus theologis carerent; quamvis enim boni religiosi et confessarii essent, tamen ex binis utriusque Collegii sacerdotibus nullus theologiae operam dederat. Hanc penuriam divina bonitas sua gratia supplebat, et utrobique utiliter nostri in animarum negotio versabantur. Casus tamen aliqui difficiles accidebant, ad quorum resolutionem Dei auxilium erat necessarium; et jam tunc expetebatur aliquod theologiae compendium vel summa casuum conscientiae, ut quid a nostris sacerdotibus in tanta varietate opinionum tenendum esset intelligeretur.

211. Docuit etiam experientia quod scholarum munus, quamvis perutile, si recte exerceatur, perdifficile tamen est,

---

[1] Ugoletti.

nisi praeceptores idonei et stabiles adsint; nam, aliquo recedente vel evocato, non exiguum detrimentum scholae sentiebant [1]. Aliquid etiam hujusmodi in causa fuit ut hoc ipso anno scholasticorum numerus non parum Patavii minueretur; cum praesertim alius ibidem esset praeceptor, qui gratis docebat, et quidem commodiori in urbis loco, cum ex reditibus quibusdam ad id deputatis sustentaretur; multum tamen aedificationis civitati dabat profectus illorum, qui in scholis nostris perseverarunt.

212. Inter aliquos dissidentes, maritum et uxorem, generum ac filiam, nostri vocati, eos ad concordiam reducendos, Deo propitio, curarunt.

213. Quamdiu P. Elpidius, Rector, Cremonam se contulit, et ibidem ac postmodum in itinere haesit, P. Baptista Tavonus Collegio Patavino praefuit; et cum ille [2] in morbum incidisset, et tandem Patavium revocatus, et in Siciliam, ut superius dictum est, missus fuisset, idem P. Baptista Rectoris officium ibidem exercuit; qui tam bene se in eo munere gessit, dum absens esset P. Elpidius, ut eidem [3] videretur, ut P. Ignatio scriberet sine incommodo Collegii se posse inde revocari.

214. Hoc eodem anno P. Baptista Nagius, unus ex sacerdotibus Garfagnanae [4], de quibus superius actum est, vir pius

---

[1] Aliquae ex iis mutationibus earumque causae videri possunt in litteris, quas Polancus, *ex com.*, scripsit Patri Joanni Baptistae Tavono, Patavii Rectori, 5 Aug., ubi de evocando Romam Eleutherio Pontano agit, necnon de substituendo in ejus locum Joanne Conspeano, qui cum Arnoldo Concho venturus Patavium proximo Septembri expectabatur; et in litteris eodem die ad Patrem Elpidium Ugoletti datis, quibus potestas eidem Elpidio et Petro Adriano fit Romam veniendi; et tandem in litteris ad P. Caesarem Helmi, Veneti Collegii Rectorem, datis 19 Aug., in quibus haec: "Delle classi s' accommodaranno il meglio che potranno, sforzandosi di far idoneo Giovanni Bonifacio per la infima. De Joanni Ignatio (vacillabat is) già si è scritto „.

[2] P. Elpidius Ugoletti.

[3] Patri Elpidio. Clarius fortasse: tam bene se gessit Tavonus, ut Patri Ignatio scribere non dubitaverit Elpidius posse se sine scholarum detrimento Patavio recedere atque alio avocari.

[4] Varia est admodum apud scriptores tum veteres tum recentiores hujus nominis scribendi ratio. POLANCUS scribit nunc *Carfagnana*, nunc *Garfagnana*, ut et Landinus in suis litteris (Vide *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 157, ubi irrepsit error in not. 2 et scribendum *Carfagnana*); BARTOLI *Carfagnana*; CANTÙ, qui narrationem suam ex Bartoli desumere videtur, *Garfagnana*; BLAEV, *Theatrum orbis terrarum*, in geographica tabula *Carfagnana*, at in notitia seu descriptione, quae tabulam explicat, *Grafiniana*, ubi in margine *Carfiniana*. SCHOTTI semper *Grafiniana* scribit, ubi ait: "Si ad montes iter convertas, Grafiniana montana tibi occurrunt, ubi est *Castrum novum*, oppidum nobile, ex quo multi prodierunt memoriae clarae et virtutibus excellentes. Natio haec Grafiniana Martia est et audax et in bello assuefacta indomitaque, Atestinis (d' Este) Principibus devota. *Itinerarium Italiae*, pag. 177.

ac bonus, ac Guericus Deodatus, juvenis ingenio et judicio et virtute non vulgari praeditus, qui Mutina valetudinis gratia Patavium missus fuerat, temporalem hanc vitam cum aeterna, ut sperandum est, commutarunt [1].

215. Quamvis tamen et Rector mutatus, et alii ex confessariis fuissent, bonus Collegii odor homines ad poenitentiae sacramentum alliciebat, adeo ut etiam aliqui, qui aliis in locis confessi fuerant, ut suae conscientiae satisfacerent, ad nostros confessionis gratia veniebant; et qui pluribus annis confessi non fuerant, sarcinas peccatorum ibi deponebant; et qui beneficium hoc acceperat, non sibi soli, sed et aliis vel exemplo vel verbo consulebat; ut cuidam accidit mulieri, quae fixam ac firmam amicitiam cum viro conjugato habebat, cujus uxor pellicem tanto odio prosequebatur, ut etiam in ipso Paschate a sacramentis abstineret, quemadmodum et ipsius maritus, quamvis non eadem ex causa, ab eis abstinebat. Sed concubina, quae omnium prima ad confessionem accessit, tam humiliter veniam ab uxore illa postulavit, cum monasterium Conversarum ingredi vellet, peracta totius vitae generali confessione, ut postmodum tam ipsa uxor quam maritus ejus, eidem Patri confitentes, et Deo et inter se mutuo reconciliati fuerint. Nobiles etiam foeminae, ubi confessae fuerant, omnes suas familias ad eumdem adducebant; sic et Doctor quidam suos filios, et multi etiam scholastici tantumdem fecerunt; et ex his, qui diu abstinuerant, frequenter confitendo, tarditatem compensare multi promittebant.

216. Postulatus fuerat aliquis ex nostris sacerdotibus ut nobilem quemdam Venetum aegrotantem inviseret, de quo signa quaedam cernebantur, quod a maligno spiritu obsessus

---

[1] Obiit Guericus exeunte jam hoc anno 1553; nam nuncium de ejus obitu ad Societatis domos per Italiam Roma missum est die 30 Dec.: "Questa è per raccomandare il fratello Mtro. Guerico, il quale in Padoa è stato chiamato dal suo Creatore, come teniamo per certo, per l' eterna beatitudine.„—Patri Laynez, cui ut librarius seu amanuensis inservierat olim Guericus, sic hujus obitus nunciabatur: "Nuestro hermano Guerico murió en Padua la semana pasada. Dios N. S. le tenga en su gloria, que así espero le tiene. Murió tomados los Sacramentos todos y hablando con mucha edificacion.„ —De hoc optimae spei juvene omnibusque apprime charo scripserat Polancus 19 Aug. Patribus Elpidio Ugoletti et Joanni Baptistae Tavono: "non c' è altra difficoltà se non del corpo suo, perche l' animo sappiamo esser molto parato„.—Jam Aug. 23. scripserat Patri Martino de Olave: "Hanse tambien muerto dos sacerdotes. Uno es Don Bautista Nagio, en Padua; otro Mtro. Juan Forcadano, en Palermo; y Mtro. Bernardo (Oliverio) está con cuartana recia en Monreal.„

esset. Ad eum profectus P. Baptista Tavonus, ipso in itinere intellexit quod Venetus ille esset duos supra viginti annos natus, qui, ad gradum doctoratus promoveri volens, plus aequo studuerat et parum cibi capiebat; ex quibus conjecit P. Baptista quod forte ex capitis debilitate et non ex maligno spiritu signa illa procedebant. Magna consolatione affectus fuit juvenis cum eo de rebus suis conferens, inter quas significavit se duos annos a confessione abstinuisse quod concubinam haberet. Persuasit illi P. Baptista ut de peccatis confiteretur, quod cum fecisset, concubinam ad hoc ipsum exhortatus, ejusdem etiam confessionem audivit; et uterque ad jubilaei gratiam obtinendam se disposuit et a peccatis recessit; et cum nobilis juvenis multum fidei praestaret confessario et ad obedientiam se paratum exhiberet, ab eo exegit ut concubinam in matrimonio collocaret, quod se facturum promisit. Aliis etiam multis pietatis operibus idem Pater hoc anno operam dedit.

---

217. Bassani hoc anno P. Gaspar Gropillus in illo suo eremitorio Societati donato versatus est; et sub ejus initium ad aedificii fabricam materiam comportare diligenter curavit, et ex eleemosynis acceptis commoditati habitationis aliquid adjecit. Ex ipso agro, in quo eremitorium hoc erat, cum apes haberet, aliquam pecuniae summam, scilicet, viginti aureos, singulis annis colligebat. Tempore autem vindemiae, duabus hebdomadis tantum vini ex eleemosynis accipiebat, ut cum panis eleemosyna, quae in dies accipiebatur, et aliis quibusdam, quae illi conferebantur, necessaria ad tres vel quatuor alendos haberet. Quod ad spiritualia attinet, otiosus idem Pater non erat; in oppidum Bassani se conferens singulis diebus dominicis, quadam in parochia concionabatur, postquam pueri christiana doctrina edocti fuerant; id autem ex suggestu humili cum auditorum satisfactione praestabat. Sed cum Archipresbyter, ipso die Natalis Domini, eum compulisset ut suggestum magnum ascenderet, ubi concionatores ordinarii eo munere fungebantur, id quidem praestitit, sicut etiam in die Circumcisionis; sed prima dominica post Ephiphaniam ad humilem

suggestum rediit, expertus quod in eo spiritum majorem a Domino acciperet; quod et ejus auditores animadverterunt.

218. In suo etiam eremitorio, extra muros Bassani constituto, cuidam congregationi, de qua anno superiori mentio facta est, concionabatur. Ibidem etiam confessiones audiebat et sanctissimum sacramentum Eucharistiae communicabat tertia cujuslibet mensis dominica; ad aegrotantium etiam confessiones aliquando accedebat. In parochia autem tam multae communiones erant, ut ipso die Natalis ad quingentas accesserint, et, ut ipse P. Gaspar fatebatur, haec erant ex reliquiis concionum Patris Laynez, qui, cum homines ad crebram confessionem et communionem esset hortatus, satis diu ad trecentos singulis mensibus communicabant. Sed cum nemo hoc studium sacramentorum suis concionibus aleret et inflammaret, ad pauciores is numerus, temporis successu, reductus est; octoginta tamen fere in menstruis confessionibus et communionibus perseverabant, et multos eorum P. Gaspar audiebat; nam populus ille non mediocri veneratione Societatem nostram prosequebatur. Ideo et eremitorium illud in pretio habebant, quamvis, propter eremitam P. Antonium et socios, prius etiam bene affecti in illud essent.

219. Rogarunt interim nomine Episcopi P. Gasparem ut cujusdam monasterii confessiones, scilicet, Sti. Sebastiani, ad tempus aliquod audiret, quibus et confessionis et communionis sacramentum cum earum consolatione impertivit; et quia parum consolationis spiritualis annis prioribus illae habuerant, singularem eam acceperunt ex hoc ministerio P. Gasparis, ut sibi tunc natae videri faterentur. Rogarunt etiam vehementer ne ipsas desereret, et ita hoc anno in earum audiendis confessionibus perseveravit.

220. Erat cum P. Gaspare socius quidam, simul cum ipso admissus, qui non parum P. Gasparem ex eo affligebat, quod ad proprium aliquid retinendum valde propensus, et ad sui abnegationem ac obedientiam parum admodum videbatur; sed hic etiam dominica septuagesimae suam pecuniam et res omnes, quas habebat, et demum seipsum obedientiae resignavit [1].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae Tavono, Collegii Patavini Rectori, de sacerdote *ad tempus* Bassanum ad Gasparem mittendo, qui ei solatio sit et adjumento, 5 Aug.

221. Non omittam tamen, quod et ipse P. Gaspar, vir alioqui valde bonus, sed aliter, quam in Societate nostra fieri solet, ab illis eremitis institutus, suo docuit exemplo quod consulto a Societatis instituto illi excludantur, qui alterius religiosi instituti sectatores aliquando fuerint; quamvis enim nullam hic professionem emisisset, eremitarum jam dictorum lacte enutritus, et illi eremitorio affectu nimio inhaerens et piis quibusdam aliis occupationibus a nostrae Societatis procedendi modo alienis, animo valde perturbato hoc anno esse coepit, et de sua vocatione dubitare, quod a fratre Antonio eremita olim intellexisset suam esse vocationem in illo eremitorio versari, et non ingredi religionem, sed congregationi jam dictae dare operam; deinde quod promptitudinem in se, qualem nostra Societas requirit, non sentiebat, ut quocumque obedientia moveret, prompte se conferret. Et quamvis rem totam P. Ignatio commisit vir bonus, et bono animo esse ac perseverare jussus esset, nihilominus parum quievit, et tandem, ut inferius dicetur, a Societate liber dimissus hoc anno fuit [1].

---

222. In Collegio Veneto magna hominum utriusque sexus erat frequentia, qui dominicis diebus post confessionem sanctissimo Eucharistiae sacramento reficiebantur, et ex his complures, magno charitatis fervore accensi, nullum vel laborem vel impensam recusabant, immo nec nominis periculum (siquidem non esse de hoc mundo quibusdam videbantur, et ita dicteriis carpebantur), dummodo animarum salutem promovere possent; et aliquos, suaviter et sancte deceptos, ad nostros adducebant ut eorum opera a peccatis et daemonis servitute liberarentur. Alii etiam sponte sua veniebant, quos vel Deus interius per inspirationem, vel exterius bonae famae odor ad medicinam suorum morborum spiritualium quaerendam trahebat.

223. Aliqui ex his, qui sacramenta frequentabant, religionem ingressi sunt, et quidem utriusque sexus; inter hos mere-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez: "Circa prete Gasparo ci scrivono di Padova che si è in tutto rimesso. passata quella nubula *(sic)* di tentazioni, et sopragiungendo le lettere, tanto più è di credere si agiutarà." 5 Aug.

trices nonnullae fuerunt, quae in monasterium Conversarum receptae, caste et sancte ibidem vivere coeperunt. Harum una fuit genere clara, quae, cum sexdecim tantum esset annorum et forma praestanti, plurimis perniciem in ea urbe allatura videbatur, prout initium vitae inhonestae brevi tempore satis ostendit. Haec, e faucibus daemonis erepta et in templo nostro cum confiteri vellet, suos amatores molestos eidemque insidiantes patiebatur; at absoluta confessione, exspectantes decipiens, et per quamdam aliam portam in cymbam subducta, per occultiores aqueos angiportus ad monasterium Conversarum deducta est, ubi, magno cum ardore, corporis sui castigationi ac profectui spiritus vacabat. Ducentae et quinquaginta mulieres in eo monasterio versabantur, inter quas, ut qui praeerant testabantur, hujus fervor conspicuus fuit.

224. Ex discipulis, qui nostris in scholis instituebantur, aliqui etiam in religiones varias se contulerunt, alii magno cum desiderio ad id adspirabant. Idem de aliis juvenibus, qui non ad scholas quidem, sed ad templum ventitabant, dici potest; aliqui enim religionem ingressi sunt; alii, perseverantes in usu crebrae communionis, primo quoque tempore id facturi erant; cum primum, scilicet, eos vellent admittere; sed et virgines aliquae eodem desiderio inflammatae fuerunt.

225. Habuit et alios fructus poenitentiae sacramentum, ut multorum, qui diu sacramenti confessionis beneficio caruerant. Fuit inter hos qui plusquam triginta annos sine confessione, et mulier, quae plusquam quinquaginta sine communione transegerat. Itaque confessiones generales vitae totius vel complurium annorum multae sunt auditae; diuturnae inimicitiae ac peracerbae hominum ad mutuam caedem propensorum reconciliatae fuerunt; alii odia, contentiones et invidias deposuerunt, immo et desperati nonnulli utriusque sexus, qui ad vitam propriam sibi adimendam [erant propensi], Deo adjuvante remedium acceperunt. Longum esset dicere quam multi alii vel adulteri vel concubinarii vel raptores resipuerint; immo et haeretici non pauci a tenebris errorum ad lucem religionis catholicae redierunt, et ex his plerique ad frequentem usum confessionis vel hebdomadariae vel menstruae vel bimestris adducti sunt. Duae fuerant inter has personas, quae, cum turpitudini vitae veneficia et id genus scelera addidissent, non

sincere sed cum simulatione ad confessionem venerant; sed ibidem idem Dominus earum corda sic tetigit ut serio resipiscere et multis lacrymis peccata diluere, crebro etiam ac ferventer ad Sacramenta accedere coeperunt ut, quia multum se diligere Deum ostendebant, multa ipsis peccata dimissa esse cerni posset.

226. Quidam etiam plurimos annos in foedo concubinatus luto volutatus, quamvis gravissimo morbo correptus esset, concubinam relinquere paratus non erat; sed confessarius quidam ex nostris sui periculi hominem commonefaciens, ad detestationem suorum peccatorum eum induxit et ad mulierculam dimittendam; eoque Dei gratia adjutus devenit, ut mortem in poenam male actae vitae libenter subiret, immo sibi diffidendo et in Dei bonitate confidendo, ad cautionem et fugam peccatorum mortem peroptabat; et tam libenter tamque alacriter post Sacramenta suscepta eam subivit, ut quidam ex nostris, qui morienti adstitit, potius congratulandum quam compatiendum tam piae morti judicaret.

227. Quod ad scholas attinet, singulis hebdomadis ex praescripto P. Ignatii numerum scholasticorum scribere in singulis collegiis tenebantur. Cum P. Baptista Viola, Commissarius in Italia, Venetias venisset, in meliorem formam scholas redigere voluit, et eos scholasticos, qui prius in scholis [1] instituebantur, in quatuor sub totidem praeceptoribus redegit, et tres horas mane et totidem vespere more parisiensi in scholis eos teneri injunxit; quod, quamvis utile scholasticis esset, nostris erat satis grave, cum praesertim certas horas ad cibum capiendum habere non possent, quem ex domo Domini Andreae Lipomani, Prioris, quotidie sumebant [2]. Paucitas etiam nostrorum difficultatem augebat, et mutationes praeceptorum, quibus, aut corporis aut animae vires interdum debiles erant,

---

[1] Desideratur hic scholarum seu classium numerus, quae Venetiis erant, antequam illuc P. Commissarius pervenerit. Eae autem erant tres, ut videre est supra, t. II, ann. 1552, n. 144, pag. 478.

[2] Vide supra, t. II, ann. 1550, n. 136, pag. 61.—Die 23 Dec. scribebat P. Polancus, *ex com.*, Patri Caesari Helmi: "V. R. procuri haver cuoco fuora delli nostri fratelli, se ben non fosse per la Compagnia et venesse per servire *ad tempus* et per il suo salario. Il medesimo dico d' un' altro coadjutore, perche è difficil cosa che si trovino della Compagnia tanti suppositi per questi effecti, quanti... „ Idem 30 Dec. confirmat et Patri Caesari Helmi gratulatur quod a Priore obtinuerit ut nostri suum coquum, emptorem, etc., a Prioris domesticis distinctum habeant.

quotidie hujus instituti, alioqui utilissimi, de pueris, inquam, litteras docendis, difficultatem ostendebant.

228. Locus etiam ille sejunctus ab urbis frequentia, interjectis Adriae brachiis satis latis, in causa erat ut minus multi scholastici ad scholas venirent; ad centum tamen hoc anno venerunt, et aliquando numerus hic augebatur, aliquando etiam minuebatur, et praecipue sub anni finem, nam et aliqui, cum litteras latinas utcumque degustassent, a parentibus mercaturae deditis in peregrinas regiones mittebantur; qui tamen, non sine fructu probitatis, praeter eruditionem, a scholis recedebant.

229. Qui autem in eis persistebant, tam in doctrina quam in pietate magnopere proficiebant; et hoc ipsum operae, quod his pueris instituendis impendebatur, mirum in modum a cujusque gradus et fortunae hominibus, qui visendi gratia accedebant, probabatur; et aliqui ex primariis nobilibus et mirabantur et laudibus efferebant perutile illud docendae juventutis institutum et plane a Deo id esse affirmabant. Crescebat autem in dies tum ex scholarum tum ex sacramentorum et aliorum piorum operum exercitatione bonus odor Collegii, et inde accidebat ut quidam se nostris totos in bene vivendi ratione dirigendos committerent, et tam multa in ipsorum commendationem dicerent, ut ipsi, qui minime ea agnoscebant, erubescendi occasionem [si ea cognoverint] habuissent.

230. Auxit hanc bonam existimationem quidam concionator, cujus doctrinam vitaeque sanctitatem Veneti magni faciebant. Is ordinis B. Francisci religiosus erat, qui postremam quadragesimae concionem magna ex parte Societati nostrae destinasse visus est. Hic enim cum frequentissimo ac pernobili auditorio multorum religiosorum familias commendasset, cum ad Societatem nostram ventum est, miris eam modis ac titulis evangelicae atque apostolicae vocationis commendavit; et cum multa argumenta ad id comprobandum adduxisset, ac proinde suos auditores adhortatus esset, ut si quo tutissime ac saluberrime vel confessuri vel consulturi vel conciones audituri vellent accedere, ad Societatem Jesu et alumnos P. Ignatii se conferrent, effecit haec commendatio, de qua nostrorum nullus intellexerat, ut multorum erga Collegium devotio augeretur, et in morbis aliisque urgentioribus negotiis ac difficultatibus suis ad preces nostrorum efflagitandas accede-

rent. Quidam etiam ex nobilibus magno affectu res nostrae Societatis complectebantur, sed prae caeteris ipsius fundatoris charitas paterna elucebat, quamvis ejus vires voluntati minime respondere possent.

231. Concionatorem nullum, qui serio hoc pium munus profiteretur, Collegium Venetum hoc anno habuit; aliquae tamen conciones a nostris in quibusdam monasteriis habebantur, nec sine fructu, nam et saeculares auditores etiam aderant, inter quos nobilis quaedam matrona, ad eleemosynae studium inducta, non paucos pauperes a capite ad calcem novis vestimentis induit et de aliis rebus necessariis providit. Monia-les etiam, quod non sine fructu conciones audirent, easdem devote efflagitando, significabant. P. etiam Caesar Helmus lectiones domi nostrae ad populum non fructu vacuas praelegebat. Vix enim ulla peracta est lectio, post quam aliqui ad confessiones et ad consultationem de novo vivendi instituto capiendo ad eumdem [non] venirent.

232. Aliqui in Societatem admitti postulabant; non tamen domus illa ad novitios probandos idonea erat, cum ob paucitatem, tum ob rerum ad victum necessariarum penuriam, tum quia hoc anno aliqui ibi fuerunt, qui parum religiose se gerebant; inter quos quidam sacerdos, cum aliquid, quod merito externis displicebat, quibus innotuerat, admisisset, hospite insalutato recessit; et quamvis Venetiis esset, et domum reduci potuisset, non est visum quibusdam amicis in Societatem eum esse admittendum. Lusitanus ille erat, Joannes nomine, istis in locis in Societatem admissus; et Dei providentia erga Societatem cerni potuit quod, cum is et confessiones audisset, et quibusdam in locis extra domum nostram concionatus esset, et tandem, ut dictum est, tam irreligiose se gessisset, aliqui ex nobilibus amicis, quibus ejus facta innotuerant (ultra septem, omnibus numeratis, ii non esse inveniebantur) [1], non modo erga Societatem de benevolentia sua nihil minuerunt, sed hunc ipsum sacerdotem ne, Venetiis manendo, quidquam male designaret, ex ea civitate, viatico adjutum, Lauretum (quo nondum collegium nostrum fuerat deductum) cum bono socio transmiserunt. Gubernatorem tamen ejus domi, D. Gasparem de

---

[1] Parenthesim hanc manu propria inseruit Polancus.

Doctis, admonuit P. Ignatius quod is de Societate non erat, et ut caute cum eo procederet. Voluit autem ut is timeret ne a nostris caperetur; ne tamen id fieret jussit [1].

233. Et quia libri quidam hebraei, scilicet Talmud, typis excussi Venetiis magnis expensis fuerant, cupiebant amici P. Andream Frusium Venetias redire ut libros illos examinaret, qui multas blasphemias contra Christum continere dicebantur, et, si qui errores in ipsis deprehenderentur, eos observaret, ne lectio illorum christianae religioni noceret; id tamen impetrari non potuit [2].

234. Cum eo missus esset P. Commissarius ut, si tempestas aliqua orta esset ob P. Joannis causam, eam sedaret, nihil ibi negotii res ea exhibuit [3].

235. Veronensis Episcopus [4] de Collegio decem aut duodecim sacerdotum nostrae Societatis instituendo, ut monasteriorum et aliorum piorum operum curam gererent, aliquid egit; sed non posse nostros haec onera subire significatum ei est.

236. De haereditate, quam frater noster Angelus Surianus, nobilis Venetus, Societati reliquerat, actum est etiam et, post multam consultationem doctorum, cum non facile contra nobiles obtineri posse videretur, quod in religiosorum favorem testamento relictum erat, nihil aliud agendum esse P. Ignatio vi-

---

[1] Verba etiam a voce *Gubernatorem* ipse in paginae ora Polancus scripsit, ea desumens ex litteris Caesari Helmi, Veneti Collegii Rectori, datis 5 Augusti. Alter erat eodem tempore in vocatione sua vacillans, de quo ita, *ex com.*, Polancus: "Quanto a Giovanni Ignazio, V. R. li prohibirà parlare con che li fa danno; et se in questa parte o in altre cose li dispiace il suo andare, lo mandi la via di Fiorenza al P. Provinciale che li dirà quello che ha da far.„ 5 Aug.—Quid autem lusitanus hic mali fecerit priusquam a Societate recessit, nescimus; sed 10 Junii Patri Violae, Commissario, injunctum est ut ei timorem incuteret ne in carcerem conjiceretur; quod significare videtur Polancus iis verbis: *ne a nostris caperetur*. Vide infra n. 234 et n. 327.

[2] Scilicet, impetrari non potuit ut Venetias Frusius rediret.—Edi coeptum erat anno 1520 Venetiis, typis Danielis Bamberg, *Talmud babylonicum integrum, ex sapientum scriptis et responsis compositum a Rab. Asche, additis commentariis Rab. Salomonis Jarchi et Rab. Mosis Maiemonidis*, hebraice. 12 vol. in fol.

[3] Quod sub hoc n. 234 continetur, totum manu propria inseruit Polancus.—Non solum P. hic Joannes lusitanus molestiarum occasionem nostris attulit hoc anno Venetiis; sed etiam juvenis quidam neapolitanus, nomine Joannes Antonius, de quo sequentia Polancus, *ex com.*, scripsit Patri Caesari Helmi, 30 Dec.: "Circa Giovanni Antonio Napoletano, V. R. lo potrà mandare a Fiorenza, et se di là non si accommodassi bene, sarà nella via per venir a Roma „ Et infra: "Del modo che nelle occorrentie simili a quella di Giovan Antonio Napoletano si dovessi tenere, non si può dar regola certa; ma Dio, Sapienza eterna, insegnarà il necessario, et potendosi conferire le cose dubie, V. R. lo conferisca.„

[4] Aloysius Lipomanus, Prioris Trinitatis frater.

sum est quam ut sententia doctorum bononiensium fratribus ejusdum Angeli, quorum alter reipublicae legatus apud Ferdinandum, Romanorum Regem, erat, ostenderetur; nec enim litem esse suscipiendam judicavit [1].

237. Suggerebat etiam hoc anno Dominus Prior Trinitatis ut paulatim confessiones foeminarum, praesertim nobilium, quae festis diebus ad sacramenta accedebant, in templo nostro non admitterent. Calumniam etenim aliquam excitari contra Societatem timebat; sed non visum est expedire ad Dei gloriam ut is spiritualis fructus excluderetur: si quod tamen scandalum oriretur, tunc P. Ignatius rem considerandam esse dicebat, sed non propter solum timorem id pietatis opus esse omittendum. Moverat forte Priorem quod tres nobilissimi viri Veneti, omnibus monasteriis praepositi, agere dicebantur de loco nostri Collegii quibusdam monialibus assignando, nostris inde expulsis; quod nonnulli a fratre Prioris Joanne Lipomano, qui nostros inde expelli optabat, ut videbatur, procedere existimabant [2].

238. Hoc anno M. Joannes Gambarus ad sacerdotium promotus et sub autumnum Romam revocatus est, cujus recessus scholas non parum Venetiis debiles reliquit; nec enim succedens ei P. Arnoldus Conchus par talentum ad instituendos discipulos attulit [3].

DE MISSIONE P. ANDREAE GALVANELLI

IN OPPIDUM MORBEGNI

239. Missus fuerat Bononia P. Andreas sub autumnum anni praecedentis in oppidum Vallis Tellinae, nomine Morbegnum.

---

[1] Exstant de hac re litterae a Polanco, *ex com.*, Caesari Helmi datae 5 Aug.—Vide supra, t. II, pag. 210, not. 1.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Caesari Helmi, "che non pare si debba lasciar l' usanza di confessare ogni otto giorni le donne; et quando perciò si causasse qualche scandalo alla città, allora si potrà vedere„; 3 Junii. Eidem, curandum ut confessiones foeminarum, quoad fieri possit, breves sint, et ne confessarii foeminam ullam sibi sub obedientiae promissione aut voto adstringant, 5 Aug.

[3] Non talento solum ad instituendos discipulos pari carebat Arnoldus, sed aliis, ut videre est in litteris, quas Polancus, *ex com.*, Caesari Helmi dedit 24 Dec., ubi haec legimus: "Di Arnoldo dispiacciono assai suoi portamenti. V. R. li dica per parte di Nostro Padre che...„

Cum autem temporales domini sint haeretici (*Grisones* vulgo vocant) impune licebat haereticis per oppida etiam catholicorum vagari. Quidam ergo Vergerius, olim Episcopus Capitis Istriae, sub initium hujus anni Morbegnum veniens, et in hospitio a quibusdam oppidanis salutatus, aliqua contra Missae sacrificium et doctores Ecclesiae impie dixit; quod cum intellexisset P. Andreas, ipso die Circumcisionis Domini populum admonuit, ut lupos in vestimentis ovium venientes caverent, et hunc nominatim. Complures enim ejusdem farinae in hoc oppidum veniebant, quod is, qui gubernationi bonae partis ejusdem vallis praeerat, haereticus, ab haereticis constitutus, ibidem residebat [1].

240. Recessit ergo inde Vergerius ad vicinum oppidum, et ibi in privatis haereticorum domibus, venenum suum docendo effundere coepit, nec sine detrimento religionis catholicae, quae in ea valle, frequentibus pagis ac oppidis habitata, satis imminuebatur. Et locus quidam sub id tempus sacerdotem catholicum expulit et sine sacrificio Missae et sine sacramentis vivere coepit, quia major pars oppidanorum in consilio obtinuerat, ut quisque pro suo arbitratu vivere posset [2]. Nihilominus, in his

---

[1] Qui intelligere cupiat quis hoc tempore fuerit Vallis Tellinae status, legat lib. VII operis *Storia della città e diocesi di Como*, auctore *Caesare Cantù*; et *Le streghe di Valtellina e la Santa Inquisizione, con documenti inediti del secolo XVI, raccolti ed illustrati da* Federico Odorici.—In *Archivio storico italiano, Nuova serie*, t. XIV, p. 2. pag. 129, dum de compendio quodam historiae Vallis Tellinae a Luciano Sissa scripto sermo est, hoc additur: "Ma l' autore doveva scrivere un compendio, e l' editore aveva imposto nel lavoro certi limiti che non doveva oltrepassare. Ciò gl' impediva egualmente di far suo pro dei documenti che intorno alla Valtellina si trovano abbondantemente in altri archivi d' Italia, che potrebbero essere con utilità consultati da chi volesse ritessere la storia di quella provincia, massime nel secento: e per dire del Archivio di Stato in Firenze, oltre ai ragguagli pubblicati dal Cantù nelle sue *Spigolature degli Archivi Toscani*, sarebbe da far capitale d' un' ampia relazione della Valtellina sotto Carlo V, fatta da Niccolò Sano, che è nella filza 323 della Miscellanea Strozziana.„

[2] "Per le montagne bergamasche il Vergerio era fuggito nella Valtellina, soggetta allora ai Grigioni e perciò libera di fede: e si fermò a Poschiavo, dove Giulio da Milano avea raccolto una Chiesa italiana.... Tanto maggior noja recava la sua presenza in Valtellina ai Cattolici, che cercarono anche qualche mezzo straordinario per farlo partire: ai comizi retici si presentarono ventitrè deputati dei Comuni della Valtellina, chiedendo fosse licenziato dal territorio di Sondrio e di tutta la valle il Vergerio, che teneva residenza a Rogoledo, e predicava dottrine repugnanti alla fede dei più, e protestavano contro qualunque scandalo ne potesse seguire. Non ottenero nulla: pur egli dalla Valtellina passò nell' Engadina, valle retica, e capitò a Ponteresina, quando appunto n' era morto il pastore.„ C. Cantù, *Gli eretici d' Italia*, vol. II, discorso XXVII, pag. 127.—Vide infra, n. 245.

festis [1], Morbegni trecenti et septuaginta homines ad sacramenta accesserunt; et quamvis satis ad frequentiam duri, tertia tamen dominica Januarii plusquam viginti communionem repetierunt, nam diligenter ad hanc frequentiam homines P. Andreas hortabatur.

241. Quemdam situm ibidem invenit ubi hostia benedicta, non tamen consecrata, foeminis, quae post partum ad ecclesiam accedebant, edenda praebebatur; cujus tamen rei originem vel rationem nullus ei reddere potuit. Vallis illa Patriarchae Aquilejae in spiritualibus subjacet. Invisebat P. Andreas omnes aegrotantes diu noctuque, et ne quis eum putaret quod hunc laborem esset recusaturus, publice in ecclesia admonuit quod paratus ad hoc pium ministerium semper erat futurus.

242. Admonuerat P. Ignatius ut scholam, in qua pueri bene instituerentur, inducere in id oppidum curaret, quod diligenter P. Andreas fecit; et tam puerorum quam puellarum institutionem curavit; et quidem in eadem domo, in qua ipse divertebat, ludimagister, qui grammaticam docebat, scholam habebat, et eidem P. Andreae confitebatur. Hospes etiam ejusdem et alius quidam sacerdos christianam doctrinam pueros docebant, eodem P. Andrea id curante. Sed et puellas in ecclesiam post prandium adduci [curavit, quae] a quatuor honestis foeminis ibidem in officio continebantur, et discebant quae ad christianae doctrinae institutionem pertinent. Pueri etiam, in aliam ecclesiam ab hac separatam deducti, eamdem addiscebant. Et sub vesperum in eumdem locum pueri et puellae deducti, quamvis seorsum sedentes aut genua flectentes, simul tamen, litanias, symbolum Apostolorum et alias consuetas orationes decantabant, et aliqua ad ipsorum institutionem P. Andreas eis dicebat. Ad quamdam etiam congregationem virorum saecularium, quae extra oppidum quadam in ecclesia fiebat, et B. Virginis [laudes] recitabat, pueros etiam deduci voluit ut eis, quae pietatis essent, cum viris assuescerent. Et ut ipsemet P. Andreas singulis festis diebus eis adesset et, habita concione, studia eorum promovere posset, concionem, quam in parochia post vespertinum officium habere solebat, in tempus matutinum

---

[1] Natalis Domini et Circumcisionis.

transtulit, ut sic utrique loco adesset et utrique auditorio verbum Dei proponere posset.

243. Curabat autem sic se in omnibus gerere, ut nemini causam conquerendi justam praeberet. Rapiebat autem in odium haereticos et ita pene solidum oppidum eos aversabatur. Vigilabat nihilominus super gregem ne peste vicinorum haereticorum inficeretur; et quamvis ipse in theologia admodum versatus non esset, libris tamen quibusdam Catharini et Alfonsi de Castro et aliis quibusdam instructus, quantum satis erat ad pestem illam discernendam et expellendam ex eo loco [intelligere] curabat. Erant ibi aliqui spirituales viri, quorum consilio utebatur, cum in rebus ejus oppidi ac provinciae versati essent; et quamvis ipsi molestum esset quod crebro ad confessiones et communiones non accederent, paulatim numerum frequenter communicantium augere studebat, qui ad quadraginta vel quinquaginta jam fere sub anni finem perveniebat. Cum parochi officio fungeretur et pro more singulas oppidi domos benediceret, praeparaverant aliqui vasa, quibus pecuniam et res oblatas exciperent; sed hoc fieri non permisit P. Andreas. Nec quidquam experiebatur ad aedificationem magis facere, quam temporalium hujusmodi emolumentorum contemptus; quia cum ejus rei fama quod, scilicet, nec pecuniam nec dona admitteret, ad alia multa loca extra Morbegnum pervagata est, sacerdotes alii admirabantur, nec haeretici vicini habebant quid dicerent, nisi quod diu hoc duraturum non erat, quodque ipse contraria postmodum esset facturus. Nec solum in ipso oppido primores viri, qui ipsum ad se mitti impetraverant, sed et monachi cujusdam monasterii hoc ipsum celebrabant, et qui litem cum ipso oppido gerebant de parochiali beneficio, eidem P. Andreae placatos se exhibebant.

244. Tanto magis haec liberalitas, ab omni avaritiae spe immunis, in pretio habebatur, quo magis sacerdotes ejus provinciae temporalibus emolumentis inhiare cernebantur; et affirmabat P. Andreas quod si duo alii de nostra Societate in ea valle versarentur, quamvis concionandi talento praediti non essent, si juxta institutum Societatis viverent, solum exemplum ipsorum tanti momenti fore, ut pene tota vallis religionem catholicam esset amplexura et apostatas expulsura, qui tantum ventri et avaritiae studere cernebantur.

245. Tunc etiam aliquot populi excitati sunt ut Vergerium ex ea valle expellerent; et quamvis multos haberet amicos, timens tamen ne a catholicis occideretur, ab eis locis recessit. Ejus imago ad vivum depicta circumferebatur, et cum valde obessus esset et pinguis, tamen ex ejus ore dictum hoc B. Pauli exire fingebatur: *vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*, quae sententia parum cum ejus vultu admodum conveniebat; adeo ut lepide idem Andreas unum verbum in ea sententia mutandum diceret, ut loco *Christi, diaboli* nomen poneretur, et sic diceret; *vivit in me diabolus*. Radicem tamen pestilentis doctrinae in ea reliquit, quemdam scilicet ludimagistrum, quodammodo ipso Vergerio magis perniciosum.

246. Gubernator oppidi Morbegni, de quo superius mentionem feci, valde commendabat modum procedendi P. Andreae, et quae ab ipso gerebantur diligenter sibi referri volebat; et affirmabat, quod si alii parochi eamdem rationem tenuissent, tanta opinionum varietas inter ipsos non esset futura. Unus erat ex dominis ejus vallis, et quamvis non bene de catholica fide sentiret, cum hospes P. Andreae, pulsum audiens ad vespertinam orationem, *Ave Maria* recitasset, et ipse Gubernator eam recitare voluit, quod tamen haeretici minime facere solent.

247. Molestum erat valde P. Andreae quod mulieres ejus oppidi capite non velato incederent, et sic ad ecclesiam venirent; et, cum approbatione consulum, telam quamdam juxta collum appendi jussit, ut sacerdotes ab earum adspectu excluderentur. Monuit autem eum valde stomachantem contra hujusmodi foeminas P. Ignatius, ut si talis ibi esset consuetudo, suadendo potius quam aliquid aspere loquendo vel designando, ad cultum honestiorem eas traducere niteretur; et ita quibusdam persuasum est ut, operto capite saltem, ad ecclesiam venirent [1].

248. Admonuerat idem P. Ignatius ut ad mortuorum funera ipse non iret, sed alios sacerdotes mitteret; sed cum offendiculo id esse videret et obmurmurandi causam, videbatur sibi male facturus, si saltem parochiae suae funera comitatus non esset. Visum tamen est P. Ignatio ut, quoad ejus fieri posset,

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Andreae Galvanello: "Que no acrimine mucho como pecado el vestir, aunque pueda exhortar, etc.„ 11 Febr. et plura 18 Maji.

abstineret, et interim ut curaret parochum aliquem idoneum inveniri, ut ipse posset esse a functione parochiali liber, et aliis functionibus nostro instituto magis consonis vacare [1].

249. In congregatione illa saecularium, de qua mentio facta est, observavit P. Andreas statutum quoddam esse, ut singulis mensibus confiterentur tam viri quam foeminae, et, hanc accipiens occasionem, ad observationem ejus constitutionis eos adducere nitebatur.

250. Cum autem communitas Morbegni intellixisset a Patre Ignatio scriptum esse, ut alium parochum quaeri studeret P. Andreas, accepta occasione gratias agendi eidem P. Ignatio quod talem ad se pastorem misisset, scriptis litteris rogarunt ut pro Vicario parochum eum esse perpetuum permitteret, magnam ejus provinciae utilitatem, ac praesertim sui oppidi, pollicentes; et si recederet, grave scandalum imminere significantes [2]; et quamvis displiceret P. Ignatio diutius P. Andream ibidem haerere, non tamen potuit toto hoc anno hominem inde avellere; qui, vel quadam pietate ductus, quod fructum spiritualem videret, vel forte aliquid humanum patiens, aut tentationi daemonis cedens, quamvis alioqui vir optimus esset, propensum se tamen esse ad manendum ostendebat, nisi alius de Societate ad eamdem curam subeundam mitteretur; et forte id Dominus permisit ut functionem piam quidem illam, sed instituto nostro non consentaneam, facile Societas nostra non subiret, curam, inquam, parochi vel Vicarii, quae, licet ad tempus breve sustinenda videretur, sine plurimorum offensa non potuit in satis longum tempus non extrahi.

251. Quidam, cum aegrotaret, Morbegnum se deportari jussit; is cum jam totos quinque menses decumberet, et mortem ipsi imminere medici dicerent, tamen ad confessionem adduci non poterat. Invisit eum aliquoties P. Andreas, et tandem persuasit ut, quod totis decem annis non fecerat, de peccatis confiteretur. Sancto etiam sacramento Eucharistiae munitus fuit, et egregie quod christianum hominem decebat peragens, eumdem P. Andream rogavit ne se desereret, et extremae unctionis sacramentum ipsi conferret, et animam suam Domino

---

[1] Haec in litteris 2 Jan. a Polanco, *ex com.*, ad Patrem Andream Galvanellum scriptis.

[2] Ignatii responsum habes in *Cartas de San Ignacio,* vol. III, pag. 181 et 403.

commendaret; et decima hora sibi moriendum dixit, quod ita accidit, non tamen ejus diei, quem ipse praedixerat, sed sequentis; et cum aedificatione adstantium ad Dominum migravit.

252. Illis in locis odia gravissima, usurae et alii id genus avaritiae fructus, radices magnas egerunt; unde minus mirum est si haeresis inter eos locum habuerit.

253. Quidam bonus religiosus, sine superioris sui facultate, bono quidem zelo, ut credendum est, ductus, sed non secundum scientiam, disputare cum haereticorum magistris voluit; quod cum fecisset, post praedicationem, cum tribus apostatis a religione Sti. Augustini et a fide catholica, et quodam alio, nihil boni consecutum est, sed potius inter cives ira et odia exarserunt, et ad mutuam caedem per digladiationem res tendebat; quod ideo accidit quia hujusmodi sectarii veritatem minime quaerunt, sed suam libertatem, et discordias suscitare pergratum ipsis est.

254. Nitebatur P. Andreas cives Morbegni, valde inter se dissidentes, conciliare, et singulis festis diebus pro concione pacem inculcabat; duri tamen satis erant ad concordiam. Id autem et usurarum retia multis impedimento erant ne ad saluti viciniora accederent. Satis propensi erant aliqui ut filios sacerdotes facerent, et eo quidem non Dei cultum aut animarum fructum, sed emolumenta temporalia spectabant, propter quae et emi solebant beneficia ecclesiastica, et ita suas operas vendebant, qui ea possidebant. Cum autem disserentem P. Andream audirent de bonis ecclesiasticis, quod scilicet pauperum essent, aliqui animum immutarunt, nec amplius filios suos ad ecclesiasticos ordines promoveri volebant.

255. Quidam ex auditoribus concionum P. Andreae de quibusdam dogmatibus fidei catholicae non bene sentiebat et aliqua effutire solebat; ipsum tamen alloquens P. Andreas, nihil contra ea, quae in Ecclesia sunt, tenebat [1]; et cum audisset concionem de illo evangelio, in quo Christus leprosos ad sacerdotes remittit, eumdem P. Andream adiit, rogavitque ut, si quid ipsi displiceret in dictis et factis ejus, ipsum moneret;

---

[1] Sensus esse videtur hic: is tamen, postquam P. Andream convenit ab eoque edoctus est, jam nihil contra ea, quae in Ecclesia sunt, tenebat.

serio enim se velle vitam mutare. Hic civis non inter ignobiles ejus oppidi erat, et serio ad religionem catholicam rediit, et quemdam suum nepotem ad scholam, quae in domo illa tenebatur, cui P. Andreas divertebat, misit; et ex puero intellectum est quod ille jejunaret cum vigiliae ab Ecclesia praeceptae occurrebant; et aliis signis de ejus vera conversione bonam spem P. Andreas concepit. Mulierem etiam quamdam, quae quatuordecim annos in concubinatu fuerat cum viro alioqui conjugato, ab ejus consortio sejunxit, quae in separata domo honeste habitare coepit.

256. Ubi mentem P. Ignatii intellexit eam esse ut ea cura relinqueretur, admonuit aliquem Roma mittendum esse parochum, vel saltem qui non esset Morbegnensis; nam, propter dissensiones civium, qui huic factioni gratus, alteri parum gratus erat futurus; coepit et ipse serio de recessu cogitare, et consolationis aliquid accipiebat cum multos a peccatis abstinere, et libenter verbum Dei audire, et non paucos ad communionem accedere singulis diebus festis videret. Expetebatur aliquis ex Societate, qui litteras doceret, et de Collegio instituendo agere nonnulli coeperunt, nam hospes P. Andreae et alius quidam, cum filios non haberent et satis divites essent, de bonis suis ad hoc opus conferendis cogitabant. Non est tamen visum expedire ut Societas ibi, saltem id temporis, de Collegio instituendo tractaret. Est autem intellectum, quod non solum spiritualis fructus Morbegnenses ad retinendum P. Andream incitabat, sed quod ipse, paupertatis studiosus et tenuissimo victu ac vestitu contentus, non solum onerosus non erat, sed aliqua emolumenta, quae parochus capere consueverat, aspernabatur; et ita minabantur, si inde is removeretur, haereticum aliquem se vocaturos; et hujusmodi minae credendum est quod animum boni Patris moverent, ut non libenter Morbegno recedere videretur. Alii de eo ligando agebant ne recederet; alii Romam se venturos dicebant.

257. Cum etiam de Collegio instituendo sermo fieret, et statim tres vel quatuor vellent sustentare, et quamdam eis ecclesiam et domum assignare, magis animus ejus Patris ad ibi manendum excitabatur; et effectum est ut Venetias, quo vocabatur, ne in ultima quidem anni parte se conferre potuerit. Doctrinam christianam interim utiliter docebat. Accessit etiam

quod, cum obedientiam inde recedendi accepit, pestis ea loca infestabat, per quae transeundum erat; sed quod retinuit Patrem Andream id fuit, quod, simul cum obedientia recedendi, secretis litteris fuerat admonitus, ut si, propter aedificationem populi, aliquandiu necessarium esset ibi manere, id facere posset. Spes etiam ei adempta est de aliquo Societatis homine ipsius loco Morbegnum mittendo; et ideo, ne offensum populum illum relinqueret, quod reliquum erat hujus anni ibidem expendit [1].

DE COLLEGIO BONONIENSI

258. Pauci hoc anno Bononiae fuerunt, octo, scilicet, vel novem; et praefuit eis P. Franciscus Palmius; qui autem ad confessiones crebras et communiones accedebant, modestia ac pietate, religiosis similes videbantur. Centum erant aut amplius, qui singulis dominicis diebus his sacramentis reficiebantur; singulis mensibus fere ducenti. In praecipuis autem anni festis tanta erat multitudo poenitentium, ut eis satisfieri minime posset; in festis natalitiis circiter septingenti ad communionem accesserunt. Sed et P. Franciscus, praeter hanc confessionum occupationem, alias etiam suscipiebat, et ad detentos in custodia publica, cum ipsorum consolatione magna et fructu, se conferebat, et a privatis hominibus non exiguae auctoritatis ac aliis aegrotantibus sic interdum distinebatur, ut ad capiendum cibum vix tempus suppeteret. Concionabatur etiam diebus festis, nec sine auditorio satis frequenti et fructu. Cum de discretione ac prudentia vitae spiritualis ageret, illud Apostoli explicando *exhibeatis corpora vestra rationabile obsequium,*

---

[1] Litteras, quibus Andreae Galvanello injungebat ut Morbegno recederet, dedit Ignatius 30 Sept.—Promissus quidem fuerat Caesari Helmi, Collegii Veneti Rectori, P. Andreas Galvanellus; sed 9 Dec. scribebat *ex com.*, Polancus: "Di Don Andrea Galvanello potria essere che indugiasse a venire, perche temiamo che li sia mandato un' altro breve del Papa per fermarsi.„ Eidem autem Andreae Galvanello scribebat idem Polancus, *ex com.*, 16 Dec.: "Per diverse lettere di V. R. et una delli Magnifici Agenti della Communità, alle quali si risponderà altra volta, ha inteso Nostro Padre che la uscita sua di Morbegno non sarebbe al presente senza alcuni inconvenienti, et perciò, intanto che altra cosa non si scrive, V. R. resterà costì.... „

complures spirituales ac devotae personae, domum se conferentes, cilicia exuerunt, et flagella, quibus usque ad sanguinem se caedebant, ad ipsum P. Franciscum detulerunt, quod sine approbatione Patris spiritualis haec facerent se accusantes; inter has aliqua fuit, quae cilicio semper utebatur, multum jejunabat et catena ferrea per tres horas continuas aliquando se caedebat, et ulterius progressa fuisset, si non timuisset vicinos, quod faciebat, esse audituros, et alia non pauca cum magno vitae discrimine parum discrete agebat; et omnibus his consilium confessarii ac directio et moderatio valde opportuna fuit. Monasteriis etiam monialium, quae interdum invisebat, idem Pater spiritualia documenta suggerebat. Scholastici, qui nostris in scholis erudiebantur, pro more singulis mensibus confitebantur, et natu majores communicabant. Erant autem hujus anni initio aliqui ex eis satis modesti et nobiles, et in moribus ac litteris non poenitendos progressus fecerant. Sed in hoc etiam Collegio praeceptorum mutatio non parum scholas enervavit, cum praesertim qui succedebant non meliores essent, nec forte pares, prioribus; et ita non pauci ex illis [1], qui potiores censebantur, alio recesserunt.

259. Res etiam domesticae non sine labore transigebantur, cum aliqui parum probati juvenes negotium facesserent Rectori, et cum tres a Societate recessissent paulo antea; quidam Petrus Gandiensis, unus ex neophytis illius Collegii [2], qui in Societatem admissus fuerat, et, in Italiam missus, sic se gessit, ut remittendus versus Hispaniam, sed extra Societatem, fuerit. Experiebatur tamen P. Franciscus Palmius utile id esse ad juvenes in officio continendos, praeter dominicum diem, semel in hebdomada eorum audire confessiones [3]; et ad devotionem ac spiritualem profectum speciali cura eos juvavit.

260. In temporalibus etiam non deerat illi Collegio patientiae exercendae occasio. Complures enim fratres, ab aliis collegiis commendati, eo transibant, quos viatico juvare oportebat, quod majori cum charitate quam commoditate fiebat. Accidit

---

[1] Scholasticis, qui scholas nostras frequentabant.

[2] Unus ex iis, a Mahumeti secta ad Christi fidem conversorum filiis, quos nutriendos et in christiana doctrina erudiendos Gandiense Collegium susceperat. Vide supra, t. I, an. 1548, n. 271, pag. 312, et t. II, an. 1551, n. 369, pag. 345. De iis plura P. Gabriel Alvarez in *Historia* (ms.) *de la Provincia de Aragon de la Compañia de Jesús.*

[3] Vide tamen infra, n. 333.

aliquando, cum alia ratione non possent, vestem aliquam pignoris loco dare, ut aliquid pecuniae ad hujusmodi fratrum subleVationem haberi posset [1].

261. Sub initium hujus anni P. idem Franciscus coram omnibus fratribus vota sua Domino emisit, quae prius non emiserat, quamvis ejus collegioli curam a P. Ignatio commissam gereret [2].

262. Probavit etiam Dominus nostros, daemoni permittendo ut falsus quidam rumor, famae Societatis magnum detrimentum inferens, excitaretur. Quidam enim sacerdos, qui Ferraria recesserat, ubi curam orphanorum aliquandiu gesserat, a P. Francisco Palmio exceptus, non quidem in Collegium, sed ut in ipsa ecclesia Stae. Luciae ut capellanus inserviret, is cum quodam juvene, qui deperibat piam quamdam foeminam ad S.tae Luciae templum accedentem, ad turpia quaedam pacta venerat; quibus ille juvenis offensus, per totam urbem promulgavit quemdam ex sacerdotibus D. Luciae talia secum tractasse; et eo res progressa erat, ut nostri necessario domi se continerent, donec rumor ille, mendacio innixus, luce veritatis dissiparetur [3].

263. Accessit etiam ut quidam Ferrariensis, ad Collegium Bononiense veniens, quadam occasione ad domum Rectoris D. Luciae duceretur, ubi soror et quaedam aliae virgines, Rectoris neptes, erant. Ille autem, qui domum Rectoris esse existimabat etiam partem illam ecclesiae conjunctam, Ferrariam rediens, nostros Bononiae intra Collegium foeminas habere publicavit. Sed praeterquam quod pater mendacii diabolus, eluscescente veritate, confunderetur, hoc insuper boni ex his calumniis elici potuit [sc. ut intelligeretur] quod permixtio nostrorum et externorum, etiam in eodem templo, licet non in eadem domo, multa hujusmodi incommoda et calumnias parere possit.

---

1 Vide supra, n. 121, pag. 66.

2 Intellige vota Scholasticorum simplicia, quae nunc *biennii* dicuntur; nam professionem nonnisi 1 Jan. 1567 emisit Bononiae in manibus Rmi. Cardinalis Gabrielis Paleotti. Fuit autem professus trium votorum.

3 Similia haec sunt illis, quae anno superiori, t. II, pag. 505, n. 222, narrata sunt: an autem diversa sint, affirmare certo non possumus. Nam Pater Rivadeneira, qui illa etiam narravit in opere *Glorias y triunfos de la Compañia de Jesús conseguidos en sus persecuciones*, verba quaedam suae narrationi inserit, quae indicare videntur de uno eodemque Aloysio utrobique hic fieri sermonem.

264. Ad hos rumores revincendos indicae litterae in italicum sermonem versae, quas bibliopola Bononiam, sicut et ad alia loca, miserat, multum contulerunt; et sedatis, vel potius convictis mendacii, rumoribus, plurimi, et inter eos aliqui pernobiles, P. Francisco confessi sunt, et, quae ad institutum Societatis pertinent, cum aedificatione multa intellexerunt [1].

265. Fuit autem ad sacerdotium promotus P. Joannes Laurentius, qui, cum devote admodum primum sacrificium in templo D. Luciae Domino obtulisset, sua manu plusquam ducentos, absoluto sacro, communicavit ex frequentissimo populo, qui aderat; et aliis sequentibus horis usque ad meridiem a communione cessatum non est. Idem novus sacerdos, a prandio, eodem die, cum spiritu et gratia non vulgari, concionatus est, multumque aedificationis populus tam de ipsa praedicatione quam de praedicatore reportavit. Habita est eodem die oratio de sapientia, erudita, a Magistro Hieronymo Galvanello, qui uni ex classibus ejus Collegii praeerat, quae quibusdam professoribus Universitatis ac multis scholasticis audientibus valde probata est. Idem novus sacerdos, Laurentius, Minister Collegii effectus est et scholarum praefectus, et diebus sabbati christianae doctrinae lectionem scholasticis enarrabat. Diebus etiam festis a prandio monialibus cujusdam collegii concionabatur; Patrem etiam Franciscum in audiendis confessionibus adjuvabat.

266. Inter eos, qui de Societate aliquando male senserant et eam dictis suis proscindebant, tres viri nobiles bene animo dispositi Patri Francisco Palmio confessi sunt, et ab omnibus domesticis Collegii veniam petere volebant, de his praesertim, quae dixerant occasione illius jam dicti capellani. Alius etiam sine confessione tantumdem efficere voluit, et videbatur Deus

---

[1] Duas *Indicarum litterarum* editiones, anno 1552 factas, referunt nostri Bibliographi, quas nos reperire nullibi adhuc valuimus. Prima est: Copia de alcune lettere del P. M. Franc. Xavier et altri Padri della C. de J. del Japon nuovamente scoperto et de Moluco, tradotte in italiano, ricevute l' anno 1552. Venezia, Tramezzino, 1552, 8.° (BACKER, art. *Saint François Xavier).* Secunda: Avisi particolari delle Indie di Portogallo. Ricevuti in questi anni de 1551 e 1552 da li Reverendi Padri della Compagnia di Gesù. Roma, 1552, in-8.° (CARAYON, *Bibliographie historique de la Compagnie de Jésus,* troisième partie, Missions d' Asie et d' Afrique, n. 569).—Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio, promittit litterarum Indicarum exemplum unum, si typis non mandentur; si autem mandentur, plura, 16 Dec. Ubi sermo esse videtur non de iis, quae, si vera sunt quae ex Backer et Carayon attulimus, typis jam edita anno 1552 fuerant; sed de aliis, sub finem hujus anni 1553 aut initio sequentis edenda.

calumniam in aedificationem convertere. Ex his etiam, qui in quadragesima nostris confessi fuerant, aliqui post Pascha redibant, ut et consolationem spiritualem a nostris et rationem vitae melius in posterum instituendae ab eis acciperent. Cum autem P. Franciscus Palmius pluribus in locis expeteretur ut verbum Dei praedicaret, ut eorum piae postulationi satisfacere posset, successorem sibi in concionibus nostrae ecclesiae Patrem Joannem Laurentium reliquit.

267. Cum autem extra Bononiam ad populum quemdam numerosum rogatu Vicarii Bononiensis P. Franciscus se contulisset, die Sti. Marci bis concionatus est valde frequenti auditorio, adeo ut vix illud ecclesia caperet; et post concionem ad eum, ut peccata confiterentur, accedebant; adeo ut necesse habuerit illi populo polliceri ad aliquot dies se rediturum, ut in his, quae ad pietatem pertinebant, aliquid ei subsidium adferret. Parochi autem ejus populi, quamvis admoniti de suis defectibus privatim, aequo animo id accipientes, benevolentiam ei exhibebant; et mirari se dicebant quod tam multi ad ejus conciones extra quadragesimam venissent, cum in ipsa pauci admodum ad verbum Dei audiendum in ecclesiam venirent. Inter quosdam etiam pacem conciliavit, qui capitali odio inter se dissidebant.

268. Calumniarum, de quibus facta est mentio, occasio movit P. Ignatium ut de transferendo collegio nostro in alium locum serio ageret; qua de re P. Benedictus Palmius, qui Bononiae litteris operam dederat, quae ipsi occurrebant, suggessit. Coepit ergo P. Franciscus Palmius diligenter se accingere ad locum alium investigandum; et occurrebant imprimis tria loca: primum, ecclesia B. Virginis, quam *de Galera* nuncupant, quae in medio urbis sita est; alterum Sti. Columbani; tertium proponebat Marcus Antonius Bentivoglio, scilicet, Sti. Bartholomaei; quartum, aliqui idoneum fore putabant Collegium Ancharanum. Sed ubi multum laboris et studii in tractatione hujusmodi locorum posuissent, quamvis ipse Prolegatus Bononiae, Archiepiscopus Genuensis, suam operam saepius obtulisset, nihil est effectum, et eodem in loco nostri, ubi prius pedem fixerant, substiterunt [1].

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio, de locis quatuor, quae Societati Bononiae offeruntur, praesertim de ecclesia Sanctae Luciae, quae in ea sint commoda,

269. Suggestum etiam fuit P. Francisco Palmio ut aliquid subsidii ab ipsa civitate curaret, quod ille et ab ipsa et a privatis ejus civibus diligenter curavit. Et bene sperandi occasionem praebebat, quod, cum in Senatu amicus aliquis obtinuisset quamdam eleemosynam salis, quae aliis domibus religiosorum pauperum dari solebat, multa ibidem in commendationem Societatis nostrae dicta sunt; et tamen, ea de re ne verbum quidem nostri locuti fuerant [1]. Ad aedificationem etiam tam nobilium quam populi multum contulit cujusdam hebraei baptismus, de quo superiori anno egimus [2]; et consequentes obmurmurationes, falsitatis convictae, majorem benevolentiam nostris conciliarunt.

270. Compositae fuerunt paces nonnullae, et quidem difficiles; auditae confessiones eorum, qui in carcere detinebantur, et habitae apud eos exhortationes.

271. Fuit commendatum Bononiensibus ut neminem tanquam hominem de Societate admitterent, qui litteras ab eis de Societate non ferrent, qui ipsos cognoscerent. Cum autem aliqui Romam venirent aliis ex locis, admonuit idem Pater, ut non solum de numero, sed etiam de eorum talento et dotibus, quibus praediti viderentur, Romam scriberent, quod etiam ad Venetos scriptum est, ut, cum Romam pervenirent, non omnino eorum qualitas ignoraretur [3].

272. Commissa fuit Patri Francisco Palmio cujusdam monasterii reformatio, in quo aliquae moniales adductae sunt ad vitam in communi et sine proprio ducendam, et aliae id recusabant; ex quibus tamen praecipuae, cum earum confessiones P. Franciscus audisset, ejus se arbitrio commiserunt [4].

273. Hic autem ne continuis ac ordinariis earum confessionibus distineretur, confessarium ordinarium ac idoneum eis-

---

quae incommoda, 16 Dec.—Scripserat de iis fuse ad Ignatium Palmius 5 et 9 ejusdem mensis.—De Collegio Ancharano actum jam fuerat mense Majo, idque plus caeteris, quae offerebantur, probabat Ignatius.

1 Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio, ut bene inspiciat quod quantumque subsidium quibusque conditionibus a civitatis Bononiae Consilio *(il Reggimento della Città)* exquirere oporteat, 16 Dec.

2 Supra t. II, pag. 509, n. 232.

3 Injunctum hoc fuit per patentes Ignatii litteras et alias a Polanco *ex com.*, subscriptas et diversis temporibus ad varia Italiae loca hoc anno missas.

4 Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio, de modo tenendo in Bononiensium monasteriorum reformatione, 22 Julii.

dem praefecit, et ita effectum est ut plusquam media pars earum ad plenam, juxta suum institutum, reformationem adspiraret; et cum aliquae obstinatae manerent, quae melius sentiebant ab earum consortio separari, licet in eodem monasterio, cupiebant. Utebatur autem plurimum Vicarius, et in his et in aliis, P. Francisci opera; et praeterquam quod brevi plena reformatio totius hujus monasterii sperabatur, dum aliae atque aliae ex his, quae a reformatione abhorrebant, ad alias, reformationis cupidas, accedebant, hac ipsa occasione multi nobiles, cum quibus illae moniales sanguine junctae erant, adjuvari in spiritu potuerunt; et tam monialium ipsarum quam eorum benevolentia augebatur. Ad visitationem etiam episcopatus Vicarium est adhortatus, qui brevi id se executurum promisit.

274. Cum mense Augusto Mutinam idem P. Franciscus ex praescripto P. Ignatii se contulisset, tam collegiales quam Rectorem, et Commissarium, P. Baptistam Violam, aegrotantes invenit, et eis consolationem quam potuit et auxilium impendens, cum jam aliqui eorum meliuscule haberent, Bononiam rediit, ubi multi utriusque sexus homines in dies ad Dei obsequium magis inflammari, et ad Societatem magis affici cernebantur [1].

DE COLLEGIO FERRARIENSI ET MUTINENSI

275. Duo sacerdotes initio hujus anni in Collegio Ferrariensi tantum erant; et quamvis praeceptores plures, aliqui etiam coadjutores essent, omnium numerus duodecim non excessit. Inter sacerdotes erat ipse Rector, P. Joannes Pelletarius; erat

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio gratias agens de officiis erga Mutinenses praestitis, praesertim quod lecticam mittere curaverit ad adsportandum Mutina Commissarium, 9 Dec. Eidem plura de Commissarii cura habenda, 16 et 22 Dec.— Eidem octavo post die scribebat idem Polancus: "Che le cose del divino servitio habbino buon successo et V. R. fra tante occupationi si trovi tanto animoso, ringratiamo Iddio Nostro Signore, a cui divina bontà piacerà sempre conservarci et accrescerci nel suo santo servitio.„—Alias, quas Ignatius eidem Francisco Palmio, et Mutinensi Episcopo et ignotae cuidam matronae de Mutinensi Collegio scripserat 26 Aug., vide in *Cartas de San Ignacio,* vol. III, pag. 283, 285 et 287 et pag. 418 et 420. Alias denique tum Episcopo Mutinensi, tum alla Cavaliera Cortesia (Vide supra, n. 2, not. 3, pag. 6), in eodem t. III, pag. 306, 308, et 430, 431.

et P. Baptista Violaeus, qui tamen, propter officium ipsi injunctum, per alia collegia majorem temporis partem expendebat. Satis grave onus humeris P. Joannis incumbebat, qui, quamvis omnibus non posset, plurimis tamen in ministerio confessionis satisfecit, non sine labore gravi, cum interim praedicationem non omitteret. Ipso Natalis festo, cum quadringentae quinquaginta communiones numeratae fuissent in eorum templo, ipso die Circumcisionis centum et quinquaginta fere exstiterunt; et fructus hic spiritualis bono Patri, inter labores, quibus obruebatur, magnae consolationi erat. Ipso Epiphaniae festo ducentos et quinquaginta communicantes habuerunt, et in concionibus frequens auditorium, quamvis templum ipsum, quo utebantur, cognomine Rosae, magnum non esset; quibusdam tamen amicorum non satisfieri facile poterat, cum unus tantum assiduus esset sacerdos, et tres omnino necessarii viderentur; sed post Pascha P. Philippum Flandrum coadjutorem in ecclesiae laboribus habuit; sed interim non exiguum incommodum patiebantur scholastici, quorum confessiones aliquando intermissae fuerunt (licet ad numerum centum et quinquaginta illi accederent) ut externis vacare P. Pelletarius, qui tunc solus erat, posset. Cum autem P. Baptista Viola Ferrariae versabatur, aliquando ab aurora usque ad vesperam simul cum P. Pelletario confessionibus audiendis vacabat, propter quas et ipse Pater Pelletarius lectiones, quas a prandio solitus erat praelegere, interdum omittere cogebatur, raro tamen; nam; Deo adjuvante, etiam cum solus erat, verbi Dei praedicationem et alia pietatis opera non omittere studebat. Fuit quidem major hominum concursus hac quadragesima [tam ad lectiones] quam ad confessiones et communiones; sed eis tantum satisfieri poterat, quibus operariorum paucitas permittebat, quamvis hi non pauci fuerint, propter eorum sollicitudidem ac laboris patientiam [1]. Non pauci a peccatis, per Dei gratiam, sacramentorum ministerio liberati sunt et spiritualem consolationem acceperunt.

276. Scholastici crescebant in dies et ad ducentos hoc anno pervenerunt, inter quos multi nobiles erant, et in litteris ac bonis moribus proficiebant. Aliqui etiam hoc anno in religionem ingressi sunt. Inter auditores graecae lectionis erant aliqui or-

---

[1] Sensus est: quamvis paucitatem compensabat eorum sollicitudo et labor.

dinum diversorum religiosi; sed non parum negotii nostris exhibebat quod pueros castigare magistri, decreto P. Ignatii, prohibebantur, et parentes aegre ferebant quod ab aliis externis filii caederentur. Quemdam tamen virum maturioris aetatis admisit P. Pelletarius, qui et janitor esset et hoc correctoris officio fungeretur; quia tamen P. Ignatio visum non est, ne eo quidem modo per hominem in Societatem admissum discipulos puniri, tantum ille terrore in officio eos continere, manus eis non admovendo, jussus est [1]. Alius etiam praeter hunc in Societatem Ferrariae fuit admissus; sed docuit experientia probationem in collegiis his exiguis bonam non fieri, et ita prior ille, licet aetate maturus, dimissus fuit. Alii etiam aliis in locis hoc ipsum docuerunt; quamvis aliqui, peculiari Dei gratia adjuti, bene se in Domino gerebant. Satis felix nihilominus rerum successus et domi nostrae et foris cernebatur, adeo ut P. Pelletarius, si fieri posset, nec praeceptorum nec sacerdotum mutationem fieri postulabat; quod tamen ne obtineret, necessitas Mutinensis Collegii effecit.

277. Auctus fuit classium numerus; cum enim ultima classis supra octoginta scholasticos haberet, nec unus sufficeret, in duas divisa est et eis duo magistri praefecti. Hac autem ratione puniendi pueros utebantur, ut per aliquem provectioris aetatis scholastici alii juniores punirentur, et ita eos in timore continebant, quamvis suis incommodis haec ratio correctionis non careret.

278. In festo Assumptionis B. Virginis pulchram et copiosam messem usque ad lassitudinem operariorum habuerunt. Discipuli etiam ad D. Remigii festum, in quo studiorum, more parisiensi, fiebat renovatio, magno ardore superandi praecedentis anni renovationem, se ad orationes et carmina praeparabant, et eodem mense Augusto, ad quorumdam primariorum preces, resumpsit P. Pelletarius omissam lectionem graecam.

279. Quod ad peculiares attinet fructus confessionum, duo vel tria tantum referam; quod quatuor mulieres, quae nimia licentia suo corpore abusae fuerant, ad Conversarum monasterium, magno cum desiderio Deo inserviendi et magno cum spiritu, adductae sunt. Erat quoddam aegrotantium genus Fer

---

[1] Vide infra n. seq.

rariae, qui a daemone possessi credebantur, quod difficile admodum esset ad confessionem eos pertrahere et nolle se nostrorum nugas audire dicebant. Unus ex eis cum difficultate, ut dixi, adductus tamen fuit ad confessionem, qua peracta, rediens ad suum illud insaniae genus, jussit expelli confessarium, perinde ac si ejus praesentiam ferre non posset, et statim obiit; ut videri possit intervallum hoc a Domino ipsi concessum fuisse ut, peccata confitendo, ad aeternam vitam (licet invito daemone) se praepararet.

280. Domina Maria del Jeso, quae, ex mariti nomine [1] *Factora* vulgo dicebatur, Patrem Praepositum [2] sub finem hujus anni admonuit, ut valetudini P. Pelletarii consuleret, si perutilem et amabilem filium nollet laboribus succumbere ac mori. Nec deerat occasio haec scribendi optimae illi ac prudenti matronae. Quamvis enim ille Pater optaverat nullum praeceptorem aut sacerdotem mutari, duo nihilominus primi praeceptores et ejus in confessionibus audiendis socius, P. Philippus, ut curam haberet in Collegio Mutinensi, missi fuerant. Miserat P. Ignatius ad hanc piam matronam hoc ipso anno communicationem bonorum Societatis, quod illa donum ut thesaurum maximum, cum summa gratiarum actione, accepit; et eo gratior haec ipsi communicatio accidit, quod simul cum ea curaturum se scripsit idem P. Ignatius ne Ferraria P. Pelletarius, quem ipsa, ut confessarium, in Domino valde diligebat, sine ipsius voluntate esset removendus [3].

281. Quia tamen molestiis consanguineorum exagitata, et alioqui, ex corporis sui habitudine ad afflictionem animi propensa, quotidie P. Joannem Pelletarium domum accersebat, praescripsit eidem Pelletario Ignatius, ut non plus quam bis in hebdomada, licet vocaretur, accederet, nec sine socio, qui juxta morem Societatis eum semper videret, licet non audiret. Quod attinet ad ipsorum, scilicet, P. Pelletarii et Dominae Mariae purissimam intentionem, nihil P. Ignatius se dubitare affirmabat, sed quia providere bona non tantum coram Deo, sed coram hominibus etiam oportebat, [voluit] ut modum servaret.

---

[1] Potius ex muneris, quod apud Ducem maritus, Lanfrancus del Gesso, olim gesserat, nomine. Vide *Cartas de San Ignacio,* t. IV, pag. 33.

[2] Ignatium.

[3] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 167 et 401.

Et quia non suaviter se cum suis gerebat P. Pelletarius et freno indigere bona ejus voluntas in multis videbatur, collateralem ei dedit primo Magistrum Andream Boninsegna, et, eo misso Mutinam, P. Philippum Flandrum, cui etiam injunxit ut sibi scriberet si quid praeteriiset P. Pelletarius de praescripto invisendi Dominam Mariam et si quid aliud opus esset [1].

282. Tractabat illa negotium Collegii nostri Ferrariensis ut suum; et sponte ea, quae habebat et de quibus libere disponere

---

[1] Totum hoc, a verbis *nec sine socio, qui justa morem* hucusque, additum est in margine a Polanco.

De his, quae sub his nn. 280 et 281 continentur, ita AUGUSTUS VON DRUFFEL in oratione seu dissertatione, quam inscripsit: *Ignatius von Loyola an der Römischen Curie,* pag. 18.: "In einem Falle gab Ignaz einer Dame in Ferrara die Zusicherung, dass ohne ihre Zustimmung ein bestimmter Pater, Pelletier, wenn irgend möglich, nicht von Ferrara abberufen werden solle.„ Et in annotatione 45, quae huic loco respondet: "Brief an Maria Frassona del Gesso, 1553, Jan. 7: escribo á los nuestros que se acomoden al parecer de V. S., sin cuyo consentimiento no se partirá de Ferrara el maestro Juan Peletario ni otro alguno en cuanto yo pudiere fuera de D. Bautista; *Cartas*, III, 168.„ Deinde in textu sequitur: "Ein späterer, in der Madrider Briefsammlung leider fehlender Erlass Loyola's vom 2. Sept. 1553 zeigt, dass dieses Missstände im Gefolge gehabt hatte und Ignaz deshalb strengere Vorschriften geben musste.„ Et in annotatione 46: "Ein Inhaltsverzeichniss Ignaz'scher Briefe, wie deren ja in vielen Jesuitenklöstern angefertigt worden sind, theilt aus einem nach Ferrara gerichteten Briefe Folgendes mit: Circa conversationem domesticam dominae illius N. N., iudicat his P. noster, servis Dei duo maxime observanda esse: conscientiam et opinionem sive existimationem aliorum. Tria R. V.ae observanda sunt: 1) Bis ad summum Dominae illius aedes per hebdomadam adeat. 2) Ut conetur quantum poterit a dicta conversatione se abstrahere, subintroducendo P. Philippum ut ejus confessionem subinde excipiat. 3) Ne unquam quacumque causa vel occasione domum ejus R. V. sola adeat, immo secum semper habeat socium pro more societatis, ut alter alterum semper videre possit.„ Hucusque DRUFFEL.

Verum 1.° Cum vol. III operis *Cartas de San Ignacio* edidimus, nullam notitiam habebamus litterarum 2 Sept. 1553 a Polanco, *ex com.*, Patri Pelletario datarum; quare gratias maximas Domino DRUFFEL rependimus quod primus eam nobis praebuerit notitiam et quod suspicione, quae sub illis verbis *leider fehlender* latere videtur, nostram adeo acuerit diligentiam, ut tandem integras has a Polanco italice conscriptas litteras repererimus. 2.° Nolumus tanto viro, etsi Romanae Ecclesiae inimico, quidquam temere imputare; sed de eo duo nostros lectores monebimus, quae certa sunt: *a)* Eum in tota hac oratione versute admodum Ignatii dicta gestaque in malam partem interpretari aut ita componere, ut animus legentis anceps haereat dubitetque an bene an male se gesserint Ignatius ejusque socii. *b)* Ignatii sententias afferentem, verba quandoque praetermittere ad verum sensum eruendum necessaria, et orthographiam seu interpunctionem pro arbitrio mutare, ut facile videbit qui ejus annot.m 45 cum litteris in *Cartas,* vol. III, pag. 168, editis accurate conferat. Tandem dolendum vere est auctorem, qui diligentissime fere semper fontes aperit et loca designat, e quibus sua depromit, in hac annot. 46 abstinuisse ab aperiendo ubinam illud *Inhaltsverzeichniss Ignaz'scher Briefe* reperiatur. Si enim aperuisset, vidissemus an consulto an casu omissa illa sint, quae, inter verba *existimationem illorum*, et *Tria R. V.ae,* in nostris litteris leguntur, quae hanc Polanci narrationem confirmant, et Pelletarii innocentiam, ab omnibus *Missstände* immunem, in tuto collocant.

Sed haec omnia melius fusiusque in *Nova serie litterarum* SANCTI IGNATII, ubi, praeter litteras Patri Pelletario missas, etiam dabimus litteras de hac re Mtro. Philippo scriptas hac eadem die 2 Sept.

poterat, donatione inter vivos facta, ad ipsius fundationem donare voluit, nam prius testamento ea relinquebat. Visum est tamen expedire, ut usumfructum eorum bonorum ad validitatem contractus reservaret, quamvis omnino in Collegii usum id ipsum et forte amplius expendebat. Nec minus quam a Duce utilitatis Collegium ex ejus charitate accipiebat; nam ex bonis a marito ad vitam ipsius relictis, vivere ipsa decenter poterat.

283. Qui Duci aderant in palatio, verbis quam factis officiosiores erant, ut P. Pelletarius scribebat. Civium etiam Ferrariensium perexiguam gratitudinem idem Pater mirabatur; quod, cum spiritualia beneficia non exigua acciperent, in temporalium communicatione nullum fere signum ejus benevolentiae cernebatur, quam verbis prae se ferebant.

284. Multum diuque de alio loco ad Collegii usum comparando egerunt; sed cum non res succederet ex sententia, id tandem constitutum est ut, ubi tunc tamquam hospites manebant, sedem figerent, et domum conductitiam, quam habitabant, emerent; nam situs satis commodus videbatur et qui, coëmptis vicinis domibus, dilatari satis posset; et ita ad domus illas coëmendas animum adjecerunt, quarum pretium Dna. Maria del Jeso solvere volebat; quae res tamen hoc anno confecta non fuit; et, ut alibi, ita et Ferrariae, daemonis industria, difficilia reddi videbantur ea negotia, quae ad stabiliendum Collegii negotium pertinebant.

285. Erat etiam difficile amplius quam decem collegiales, ut ipsa experientia docuit, Ferrariae commode sustentari; cum, praeter expensas nostrorum, multis, qui illac ultro citroque transibant de Societate, subsidium viatici dandum esset. Dux autem Hercules, praeter ducentos aureos, quos initio ad Collegii principium obtulit, alia subsidia fortassis addidisset, nisi persuasum ipsi fuisset nostros aliunde magna emolumenta vel, ut ipsemet referebat, lucra accipere. Cum enim Cardinalis Augustanus, cui res Societatis ubique cordi erant, per litteras quemdam virum doctum, Hieronymum Faletum [1] nomine, Duci familiarem, hortatus esset ut suo nomine Collegium illud Duci commendaret, occasione accepta, cum eum Dux interrogaret

---

[1] Haud certi sumus an hic in mss. scriptum sit *Faletum*, an *Foletum*, an vero *Toletum*.

quid scriberet Cardinalis Augustanus, subdidit ille; ut tuae, inquit, Exc.ae Collegium Societatis commendem, quam gerit Cardinalis in visceribus. Quomodo se gerunt?, inquit Dux. Egregie, inquit: docent graecas et latinas litteras et fere ducentos habent scholasticos; christianam doctrinam explicant; concionantur; confessiones audiunt, et alia pietatis opera exercent. Satis, inquit Dux, utilitatis ex his capient. Immo, ait Faletus, nihil prorsus. Immo intellexi, ait Dux, quod magna emolumenta percipiant. Suam experientiam Foletus in medium protulit ut ostenderet quod nihil utilitatis ex his ministeriis perciperent; nam ipse aliquot aureos Rectori obtulerat propter operam, quam nepoti suo in scholis impenderant; sed nihil eos percipere intellexit. Tum Dux non sibi displicere ostendit si caperent, cum praesertim intelligeret divitum ac nobilium filios ad scholas accedere. Hoc itaque animo conceperat Dux; et cum vix nostros unquam alloqueretur, minus mirandum si, quae ad institutum nostrae Societatis pertinent, ignoraret.

286. Fuit propositum eidem Duci ac supplicatum nomine Collegii, ut eam facultatem Societati daret, quam aliae religiones in ejus ditione habebant, ut, scilicet, et domum propriam et temporalia bona habere posset. Hanc autem supplicationem, in reditu suo in Germaniam, Cardinalis Augustanus ei obtulerat et commendaverat. Et primo quidem, Episcopo Roseto id curante, concessit Ferrariensi Collegio ut domum propriam habere posset: paulo post, quodam ministro primario Ducis, quem *Factorem* vocant, curam hanc suscipiente, plus quam petebatur, quod ad hanc civilitatem attinet, a Duce concessum est. Sub idem tempus Capitis Istriae Episcopus, quem vulgo *Todeschinum* appellabant [1], vir in praedicandi munere satis in Italia insignis, cum Ferrariam venisset, a P. Pelletario salutatus est, et ad Collegium ipse ut nostros inviseret venit; et vix dici potest quanto affectu res Societatis extolleret, ac divinam providentiam laudabat quod infelicibus illis temporibus hanc Societatem et tot servos suos in ipsa suscitasset; et peculiari affectu Patres Laynez et Salmeron commendabat.

287. Antequam proprium haberent locum et ecclesiam no-

---

[1] Erat is, Petri Vergerii in sede Capitis Istriae seu Iustinopolitana successor, Fr. Thomas Stella, O. P.

stri, jam multa ornamenta, et inter alia pretiosus calix, nostris sunt oblata, ut viderentur conjicere quod brevi propriam ecclesiam nostri essent habituri; et quamvis non tam cito quam forte illi sperabant, tamen illam ipsam, quae ad usum eis data fuerat, postea propriam habuerunt; quamvis in situ vicino, et non in eodem loco, post multos annos nova et major ecclesia aedificata est.

288. Cum Ferraria transiret Cardinalis Bellaius, Parisiensis Episcopus, curavit P. Pelletarius per se et per Dominum Alexandrum Fiaschum ut suis scriberet in commendationem Collegii Parisiensis, quod et se facturum recepit.

289. Sub finem Novembris idem Dominus Alexander Fiaschus, nomine Ducis, Patri Ignatio scripsit, quod in animo habebat Dux Dominum Ludovicum, secundum filium suum, ecclesiae dedicare, et ad Episcopatum Ferrariensem praesentare [1], et ideo sacerdotem aliquem a P. Ignatio expetebat, qui eum instrueret tam moribus quam in aliis, quae episcopalem statum decebant, quem etiam horas canonicas simul cum ipso recitare optabat. Respondit P. Ignatius commendando Ducis animum quod apud filium tales esse ministros cuperet, a quibus bene institui in functionibus sui muneris posset. In Societate tamen, partim ratione instituti, partim ob penuriam sacerdotum, non se videre quem posset ad tale ministerium destinare; sed, quousque se posset nostrum obsequium extendere, a P. Pelletario ipsum esse intellecturum. Scripsit autem et eidem P. Pelletario, quod si expetebatur capellanus aliquis, qui praedictis officiis fungeretur, ut significaret id non posse [ab aliquo e Societate] fieri per instituti nostri rationem; si vero tantum id expeteretur ut aliquis et Missae sacrificium aliquando coram ipso faceret, et horas canonicas recitaret, et familiariter cum ipso Aloysio [2] agendo, jam novo Episcopo, de rebus ad

---

[1] Haud congruunt haec cum iis, quae habent communiter historiographi, sc., "hunc Ludovicum, ob praeclaram indolem et egregias animi dotes in tantam *Paulum III*, Romanum Pontificem, rapuisse admirationem, ut ab eo adhuc adolescens (*decennis* ajunt alii) Ferrariensis Ecclesiae Episcopus electus sit.„ Eggs, *Purpura docta,* l. iv, pag. 684. Nos quidem nihil in *Actis consistorialibus* neque Pauli III neque Julii III reperimus, quod istam communem opinionem confirmet et verbis his Alexandri Fieschi et Polanci contradicat. Gams autem Ludovici electionem in annum rejicit 1550, cum jam Paulus III obierat, sed nec diem nec mensem, quo facta electio est, designat.

[2] Idem Ducis filius, qui superius *Ludovicus* appellatus est.

suum officium pertinentibus commonefaceret, et in nostro Collegio maneret, nec aliter ejus curiam quam confessarii alicujus principis solent, sequeretur, hoc non repugnare nostro instituto; sed tamen penuriam sacerdotum efficere ut difficile esset in ea parte Domino Aloysio inservire, nisi forte ipsemet P. Pelletarius, qui sacerdos, natione gallus, et in subsidium [Ducis Ferrariae] missus fuerat, id praestare posset; vel etiam ad aliquot menses P. Quintinus, qui Germaniae Inferiori promissus fuerat, mitti poterat. Si tamen admitteretur quod de P. Pelletario proponebat, hoc secundum de P. Quintino proponi vetuit. Et sic effectum est ut conditionem illam priorem Dux admitteret; quare [P. Pelletarius], non relictis aliis functionibus, hanc etiam suscepit [1].

290. Consultus fuit a P. Pelletario sub autumnum P. Ignatius, quid facto opus esset si, quod absit, aliquis ex domesticis in lapsum carnis nefandum incideret; et responsum ei fuit, aliqua occasione ex aliis defectibus accepta, infectos hoc peccato, si, quod Deus non permitteret, accidisset post ingressum Religionis, a Societate esse expellendos; et constitutum hoc esse penes P. Ignatium admonitus est, neminem hujusmodi in Societate esse retinendum; nec ipsum scire in tota Societate quemquam esse, qui tali macula esset infectus; et colore aliquo rem esse dissimulandam, vel in peregrinationem mittendo, vel quod ineptus esset ad Societatem alias ob rationes significando. Et quamvis nostri confessarii ad externos absolvendos amplissimam haberent facultatem, erga nostros tamen hunc casum reservandum esse [2].

---

[1] Litterae, de quibus hic est sermo, a Polanco. *ex com.*, ad Patrem Pelletarium scriptae, datae sunt 9 Dec. Eodem die scripsit Ignatius Domino Alexandro Fieschi, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 351 et 450. Idem Polancus in alia ad Pelletarium epistola, ei injungebat ut, si ad serviendum novo Episcopo expeteretur P. Quintinus Charlart, viaticum pro eo a Ducis legato obtineret, *non essendo persona detto Padre Quintino per mandarsi a piede o mendicando, e perche non si gravi questa casa (di Roma) tanto povera.*—Eidem Polancus, *ex com.*, "che per tre mesi, cioè insin' all' Aprile, si potria dare il P. Mtro. Quintino, Rettore di questo Collegio (Romano), persona di molta santità e dottrina. Ma per quel tempo o incirca lui se n' anderà verso Fiandra, dove vuole far un Collegio del suo „. 23 Dec.

[2] Quae sub hoc num. 290 continentur, ad verbum fere desumpta sunt ex litteris, quas Polancus, *ex com.*, dedit P. Pelletario die 5 Augusti. Sed ne quis temere ut certum asserat tale aliquid Ferrariae contigisse, juvat hic ultima litterarum verba exscribere: "E questo si può rispondere all' interrogatione di V. R., quale però viene assai obscura, perche non si può intendere precisamente la specie del peccato, benche io ho

291. Tam diligenter scholasticorum numerum ad se singulis hebdomadis scribendum P. Ignatius praeceperat, ut, si quando id omissum esset, litteras remitteret, et poenitentiam vel injungeret vel minaretur.

292. Conjuncta erat puellarum orphanarum domus id temporis Collegio nostro, et nostri aliquando, cum ecclesia ipsarum uterentur, quam Rosae cognomen tunc habere diximus, aliqua eis spiritualia ministeria praestabant. Sed cum P. Ignatius non probaret, tum propter periculum, tum etiam propter bonum odorem, tum etiam propter instituti rationem, hujusmodi communicationem, hujus anni initio curatum est ut suum sacerdotem saecularem haberent, virum bonum, quem nostri perspectum satis habebant; et tandem, cum primum fieri potuit, temporis successu, effectum est, ut et ipsae puellae in alium locum ipsis commodum migrarent, et tunc ecclesia in solius Collegii usum cessit.

293. Postulavit in Societatem admitti quidam, qui aliquando in Congregatione sacerdotum vixerat, qui votum quidem emittere non solebant, sed in communi vivebant; responsum autem illi est eum admitti non debere, quod inter sacerdotes fuisset, qui statum religiosum seu perfectionis profitebantur [1].

Et haec de Ferrariensi Collegio.

DE COLLEGIO MUTINENSI

294. Collegium Mutinense hoc anno magnam exercendae patientiae occasionem habuit. Initio tamen res mediocriter procedere videbantur; nam quod ad scholas attinet, numerus scholasticorum non poenitendus erat, et ad centum et quinquaginta ascendebat, de assiduis tantum loquendo, aliis omissis, qui, vel adversa valetudine, vel alias ob causas, scholas non frequenta-

---

risposto come se fosse il più grave, nè anche assai s' intende se si parla di persona di fuora, id est, scholari che peccassino in casa, o vero di qualchuno di essa casa.„ His connectenda videntur, quae eidem Polancus scripsit ejusdem mensis Aug. 26.

[1] Litteris ad Patrem Joannem Pelletarium datis 27 Maji.

bant; et in eis hoc admiratione dignum videbatur, quod a pristina vivendi ratione magnopere recesserant. Non juramentum, non maledictum, non verbum turpe vel a modestia alienum, ab eis jam audiebatur; et ex his natu majores et confitebantur peccata, et ad mensam dominicam accedebant; et cum initio quadragesimae P. Caesar [1], Rector, pro concione ad jejunium auditores hortaretur, quidam ex studiosis, quamvis per aetatem minime tenerentur, totum illud tamen quadragesimalis jejunii tempus jejunare decreverunt et constanter praestiterunt. Qui autem tenerioris erant aetatis ter in hebdomada; alii, saltem diebus veneris, id praestabant; hi autem prae caeteris ad confessiones afficiebantur; et consolationis non parum nostris afferebat, tam brevi tempore, a libidinibus juventutem illam vindicatam, in castitate et aliis virtutibus ut teneras plantas adolescere.

295. In litteris etiam omnes proficiebant; et primae classis discipuli etiam in componendis orationibus latinis exercebantur, quas memoria comprehensas, diebus festis, in nostro templo, cum magna audientium voluptate, nec sine aemulatione externorum studiosorum, pronunciabant; et cum bono ingenio complures eorum praediti essent, et in studia diligenter incumberent, non mediocres in eruditione progressus faciebant. In infimis tamen classibus, aliqui praeceptores italicae linguae magis dexteri, expetebantur; nam hispani erant, qui longobardicam linguam non perfecte tenebant; utcumque tamen officio suo satisfaciebant. Hanc etiam difficultatem idiomatis italici P. Adrianus Candidus [2] in christiana doctrina interpretanda patiebatur; nam is, natione belga, quamvis esset valde pius et eruditus multaque praeclara et pertatilia diceret, non ea tamen admodum feliciter italice explicabat. Pauciores enim id temporis ex Italia, quam ex aliis nationibus, qui ad haec munera essent idonei, ad Societatem accedebant.

296. Cum autem Mutina mense Januario P. Baptista Viola

---

1 P. Caesar Aversanus.

2 De hoc, cujus mentionem saepius jam factam reperies tum in hoc *Chronico*, t. II, tum in *Litteris quadrimestribus*, t. I, ita DELPLACE: "ADRIEN DE WITTE (CANDIDUS), né à Anvers vers 1539 (sic; sed error evidens est), admis à Paris en 1550, mort à Louvain en 1557."

Parmam versus transiret, quamvis nondum Commissarius esset declaratus, octo dies tamen Mutinae a P. Caesare, Rectore, retentus, scholas et studia in meliorem ordinem redegit. Frater etiam Guericus Deodatus eo tempore, cum duas orationes latinas publice apud frequentem populum habuisset, alteram de instituto Societatis, quod ad docendam juventutem attinet, alteram in laudem graecae linguae, decima sexta die Januarii ejusdem linguae lectionem est aggressus, quam primae classis auditores soli audiebant; et idem secundam scholam regebat.

297. Illud tamen incommode admodum accidebat, quod scholae omnes in uno atque eodem loco, in sacello scilicet, tenebantur. Quamvis enim alii ab aliis, quoad ejus fieri poterat, sejungerentur, non poterant non sibi invicem obstrepere et mutuis vocibus aliquo modo turbari; et haec molestia non exigua erat, praeter illam, quam cum aliis collegiis habebant communem, de correctore scilicet, qui, cum inveniri non posset, et aliqui pro arbitrio Praeceptorum alios, qui correctione indigebant, caederent, discordiae atque malevolentiae causa id erat scholasticis, et indignationis eorum parentibus, qui iniquo animo ferebant quod ab aliis quam a praeceptoribus caederentur.

298. Quod ad praedicationem attinet, quamvis P. Caesar Aversanensis, vernaculae linguae magna ex parte oblitus [1], admodum eloquens non esset, libenter tamen et cum fructu audiebatur. Quidam juris peritus, senio et auctoritate venerandus, cum ejus quamdam concionem audisset, sic compunctus est et ad pietatem christianae vitae sectandam inflammatus, ut eodem die ad Collegium redierit ac animi sui deliberationem explicaverit, quod scilicet se totum rebus divinis tradere vellet, et obedientiae ipsius P. Caesaris se totum submittebat, eatenus se non intellexisse quid esset divinus cultus ingenue fatendo. Ab eo tempore, octavo quoque die peccata confiteri et sanctissimum Christi corpus sumere coepit, quem et familia secuta est; et ejus uxor, non tantum exemplo sed et verbo, plurimas matronas ad pietatem et sacramentorum frequentiam inducebat; ipse etiam doctor, ejus maritus, studiosissime proximorum saluti inserviebat, et cujuscumque ordinis homines a peccatis arcere, et ad nostros, ut ea expurgarent, adducere solebat;

---

[1] Fuerat is in Hispania aliquot annis.

et tanta charitate Collegium diligere coepit, ut non minorem ipsius quam suorum curam gerere videretur. Ille etiam, inter alia beneficia, auctor praecipuus fuit Duci Ferrariae, ut quinquaginta aureos singulis annis ad ejus Collegii auxilium impenderet.

299. Nostri, suis exhortationibus, plurimos ad frequentiam sacramentorum, ut ad singulare omnium aegritudinum animae medicamentum, alliciebant; nec pauci id sibi persuaderi sinebant. In nostro etiam templo, licet angusto, dominicis diebus christiana doctrina praelegebatur, nec auditorum numerum locus capiebat; fructus autem ex eo cernebatur quod, absoluta concione, multi ad confitenda peccata accedebant; et cum fructum hunc Episcopus animadverteret, non dominicis tantum, sed festis diebus, praelegi volebat, qua absoluta, aliqui pueri instructi declarata puncta doctrinae repetebant, alios aliis interrogantibus et aliis respondentibus; et tanto cum lepore id agebant, ut non quod ipsis praescriptum erat, sed ex se ipsis ea dicere viderentur, quod ad populi aedificationem non modicam cedebat [1].

300. In confessionum et communionum frequentia hominum cujusvis status, fructus etiam copiosus cernebatur, quamvis arduum fuerit quosdam eorum ad hanc insolitam frequentationem adducere; et tantus erat, non solum dominicis et festis, sed omnibus diebus, ad Sancta Sacramenta concursus, ut Patres Caesar et Adrianus, qui soli sacerdotes erant, eis satisfacere non possent; et in quadragesima, licet praeter eos alii fuissent, non facile tam multis confluentibus satisfactum esset. Vix corpus curare cibum sumendo vacabat. Nobiles non pauci, et inter alios Vicarius Episcopi, nostris confessi sunt; plebeji plurimi; multi, quorum conscientiam male actae vitae crimina vexabant, qui per confessionem jam pridem eam exonerare desierant, generali confessione apud nostros confecta cum signis contritionis non vulgaris, cum pace spiritus et gaudio recesserunt. Alii multi, qui complures annos ab omni sacramentorum usu abstinuerant, et in vitiis, ut quatriduanus, sepulti videbantur, hoc sacramento Domino revixerunt. Fuit inter hos unus aetatis provectae, qui semel tantum in tota vita communicaverat. Et hi

---

1 Postremum hoc a verbis *et tanto cum lepore...* inseruit Polancus propria manu.

omnes sic vitam instituere decreverunt, ut anteactae vitae peccata bonis operibus compensarent.

301. Nonnulli haeretici, qui ab improbis christianae religionis hostibus decepti fuerant, et pro nimia simplicitate sua eorum errores fuerant secuti, veritatem fidei catholicae edocti, ac Dei gratia illustrati, per confessionem omne venenum errorum mente conceptum effuderunt et, hujusmodi opiniones detestando, a daemonis laqueis absoluti fuerunt. Meretrices nonnullae et aliae foeminae, quae inhoneste vixerant, elaboratum est ut a coeno suo emergerent. Una earum magnam vitae mutationem in melius fecit, et crebra confessione animae saluti consuluit; alia in consortium Conversarum se dedidit, quarum monasterium pie admodum et religiose Deo inserviebat, ut anno superiori scriptum fuit; alii plurimi, gravissimis morbis animae obnoxii, eadem medicina a Domino curati sunt; et quod in aliis Collegiis accidisse dicimus, hic etiam accidit, ut qui alibi peccata confessi fuissent, cum quietum animum habere non possent, confessiones apud nostros reintegrarunt, et, exacti examinis auxilio, plurima et valde gravia peccata, quae antea confessi non fuerant, deprompserunt, et conscientia pacata domum redierunt [1].

302. Erant Mutinae matronae quaedam divini cultus studiosissimae, quae, nulla habita ratione eorum, quae a mundanis hominibus dici solent, diligenter piscandis utriusque sexus hominibus et ad sacramentum confessionis et communionis adducendis vacabant. Quaedam fuit inter has, quae, cum virum suum verbis ad confessionis medicinam adducere non posset, ad ejus se pedes projecit, et tamdiu magno et pio animo negotium ursit, donec voti compos fieret. Similibus precibus alia virum suum, qui a concionibus abhorrebat, ad eas perduxit; et demum multorum piorum operum hujusmodi piae foeminae fructibus abundabant. Qui in xenodochio et custodiis publicis erant, et exhortationibus privatis emolliti et confessionibus expiati a peccatis per nostros fuerunt. Nec mediocris spiritualis proventus inde rediit; et quamvis difficile sit eos, qui in carcere detinentur, persuadere ut adversariis offensam remittant,

---

[1] De iis haereticorum laboribus, doctrinis, etc., videndus Caesar Cantù, *Gli eretici d' Italia*, discorso xxviii.

divini tamen verbi et sacramentorum virtute id a compluribus impetratum est, qui cum inimicis in gratiam redierunt.

303. Cum iterum Mutinam mense Aprili rediisset P. Baptista Viola Commissarius, multas et ipse confessiones audivit et eas non exigui momenti. Convenit etiam amicos et eis non parum spiritualis utilitatis contulit; et cum P. Adrianus Candidus male haberet, ejus loco christianam doctrinam cum frequentis auditorii magna satisfactione praelegit. Quamvis autem scholarum praeceptores, more parisiensi, tres horas mane et totidem a prandio [legere] jussisset, idque observaretur, minus discipuli, quam par erat, proficiebant, cum correctorem non haberent, et alii ab aliis castigati, non emendabantur, et coeperunt difficile ad sacramenta et christianam doctrinam accedere. Et quamvis Episcopus quosdam esset allocutus et stipendium eis obtulisset, nullus tamen inveniebatur, qui hujusmodi ministerium (quod carnificum censebatur) vellet exercere. Et ut huic incommodo, communi cum aliis collegiis, obviam iretur, suggessit P. Commissarius P. Ignatio ut in singulis collegiis laicus aliquis de ipsa Societate teneretur, qui eo officio fungeretur. Non tamen mutavit ille sententiam, qui non esse ab ullo nostrorum castigandos pueros tenebat [1].

304. Erat autem eo charior sacramentorum fructus, qui in dies augebatur, quod aliqui confessarii Mutinae invenirentur potius ad augenda vulnera poenitentium quam ad medenda idonei. Fuit aliquis, et quidem religiosus, cui, cum mulier quaedam lapsum carnis confiteretur: cur, inquit ille, talia confiteris? oportet, amatorie agere. Illa vero, quae, poenitentia ducta, ut ad medicum, accesserat, ad alium, a quo melius curaretur, se contulit. Erant hujusmodi nonnulli propter haeresim, quae id temporis late patebat, et non paucos, saltem a frequentia con-

---

[1] Hanc etiam postremam periodum, a verbis *Et ut huic incommodo,* manu propria, ad paginae oram et signo addito ut hic insereretur, apposuit P. Polaucus.

Alia erat in his scholis difficultas ex eo quod ab initio in eis legi coepta erat Despauterii grammatica, quam exosam habebant Mutinenses. Vide infra n. 312. Qua de re ita Polancus, *ex com.,* Patri Viola, 9 Sept.: "Del legere Despauterio o no V. R. dia l' ordine che li pare; di qua si è fatta una sintaxe nuova, quale crediamo piacerà più; ma sarà più facile a introdurla quando la Compagnia haverà più authorità nelle scuole; et la prova si farà di qua.„ Syntaxim hanc a Patre Frusio concinnatam ait in suis litteris Polancus, et videtur illa esse, cujus post Alegambe et Backer meminit Sommervogel: "4. Summa latinae syntaxeos luculentis versibus, cum fidelibus exemplis pertractata. Romae. Apud Antonium Bladum, impressorem Camer. Anno 1556, 8.° pp. 80.„—Vide supra, t. II, pag. 214, n. 104.

fessionis, avertere nitebantur. P. Adrianus docte, contra hujusmodi dissuasores, utilitatem frequentis confessionis non commendavit solum, sed et probavit; nam multi sacerdotes, etiam non haeretici, aliter sentiebant et loquebantur: nec defuit qui sic assentiretur talibus, ut esset qui quadraginta annis numquam communicasset; alius fere triginta natus erat et ne confessus quidem unquam fuerat; quos tamen Dominus ad meliorem mentem et consuetudinem reduxit [1]. Et quamvis jubilaeum haeretici contemnerent et irriderent, non solum nostri in concionibus curarunt ut ad illud obtinendum multi accederent, sed ab Episcopo etiam facile impetrarunt ut parochis praeciperet ut suis populis illud promulgarent; qui per singulas domos ad homines ad illud invitandos se contulerunt.

305. P. Baptista Violaeus, cum gratia haud mediocri et consolatione populi, quando Mutinam veniebat, concionatus, populum illum ad optima quaeque promovere studebat. Hac ratione effectum est, ut etiam illi, qui initio irrisores nostri instituti fuerant, et hiberno tempore in nostros transeuntes nivem etiam projiciebant, cum eorum contumelias contemni et in Societatis operibus nostros perseverare vidissent, ab injuriis abstinuerunt. Et aliqui ex eis valde nostro instituto affici coeperunt et omne officium certatim impendebant [2].

306. Praetor urbis ipsa in quadragesima nostros invisit, et, postquam rei divinae interfuit, introduci in gymnasia ac domum voluit; et petenti rationem instituendae juventutis, traditae sunt ei scholasticorum regulae, quas perlegit ac summopere morem et institutionem commendavit; et cum omnia sibi valde placere significasset, suam operam numquam nostris defuturam est pollicitus. Si operarii idonei Mutinensem vineam colerent, facile intellectum est quod non sine magno proventu spiritus elaborarent; licet enim multi ibi essent et opinionum et morum pravitate infecti, non difficile ab erroribus et vitiis ad veritatem virtutemque revocari posse experientia docuit. Id etiam juvare potuit, quod is, qui precipuus fuerat in seminandis lutheranorum zizaniis, kalendis Maji, publice, in summo

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae Viola: "Della siccità di Modena, tanto aversa dell' Instituto nostro, non è da maravigliarsene, essendovi tanti heretici in quella... „ 2 Sept.

[2] De hac Mutinensis populi mutatione, per conciones Patris Viola facta, fuse Polancus, *ex com.*, ipsi Patri Viola, 9 Sept.

templo, ubi solitus fuerat concionari, refellit revocavitque pravissimas, quas tenuerat ac seminaverat, opiniones, se maxime accusando et veniam a populo et ab Episcopo, flexis genibus, precando; et cum antea aliquot mensibus poenitentiam egisset, haec errorum retractatio cum magna populi aedificatione peracta est [1]. Episcopus ipse semper paternum animum nostris exhibuit, qui tamen majori charitate quam viribus ad nostrorum inopiam sublevandam praeditus erat.

307. Res domesticae non sine magnis difficultatibus transactae sunt. Unus vel alter in Societatem admissus fuerat, qui tamen non perseveravit, quod in collegiolis, ubi praesertim tam multae occupationes erant, minime mirandum est. Admonuit P. Ignatius ne quemquam Mutinae admitterent sine Episcopi voluntate, cui satis negotii exhibere poterant, quod ad sustentationem attinet, octo ex nostris, qui Mutinae versabantur. Quamvis enim ipse non omnia necessaria suppeditaret, ne tamen necessaria nostris deessent, ad ipsius curam, qui Collegium petierat, pertinebat.

308. Aliam agitationem non mediocrem Collegium Mutinense passum est. Erat enim quidam Philippus Parisiensis inter nostros, et quidem classi cuidam ex infimis praepositus, qui, cum inquiete agere coepisset, ad Patrem Laynez Florentiam missus est; et, Mutinam remissus, sic se gessit, ut et infimae scholae praeceptori cuidam Gaspari persuaserit, ut simul cum ipso, hospite insalutato, recederet; sed nec vacui recesserunt, et quidquid visum eis fuit ex Collegii paupertate capientes, et a quibusdam etiam ex discipulis aliquid obtinentes, recesserunt. Docere volebat divina bonitas ipso experimento Societatem ne novitios, seu parum probatos, scholis praeficeret. Ea tamen fuit bonitas Dei ut, cum tantam hi occasionem scandali dedissent, et duas scholas simul deseruissent sub initium mensis Martii, nihilominus nec bono odori Societatis nec scholasticis ad scholas venientibus detrimentum inferri passus est. Duo alii scholis successerunt ex his, qui Mutinae versabantur, donec aliunde missum eis fuit auxilium.

---

[1] Clarus hoc tempore Mutinae concionator, sed de haeresi suspectus et accusatus, fuit Frater Bartholomaeus della Pergola, minor conventualis, qui etiam quadraginta et sex propositiones publice, Mutinensis Episcopi jussu, retractavit. Hujus autem retractationis adjuncta, prout hic a Polanco narrantur, iis non congruunt, quae narrat CAESAR CANTÙ, l. supra cit.

309. Aliam etiam difficultatem intra parietes domesticos nostri sunt experti, quod ipsorum Rector P. Caesar, nec sibi nec subditis parcens, cum satis incommodam victus rationem et ipse et reliqui haberent, in laboribus tamen ne debilitatis quidem aut parum bonae valetudinis magnam rationem habebat; et partim ex eo, partim ex incommoda habitatione, partim quod aër Mutinae parum salubris eo anno esset, accidit ut aliqui ex melioribus et qui talento ad commune bonum praestantiori praediti erant in varias aegritudines inciderent, et mense Augusto quotquot erant, usque ad unum, in morbum inciderunt; et cum P. Commissarius eos inviseret aegrotantes, alios ipse secutus est, adeo ut Bononia veniens P. Franciscus Palmius ad eos invisendos, collegiolum Mutinense hospitale factum inveniret [1]. Sed hoc erat magis incommodum quam in hospitalibus fieri soleat, quod aliqui ex aegrotantibus minus graviter aliis inserviebant. Missus fuit coadjutor in eorum subsidium, Sanctus nomine, qui et ipse paulo post in febrim incidit; et externi adhibendi fuerunt, qui aegrotantium necessitatibus inservirent. Missus fuerat ante hoc tempus extra Collegium Guericus Deodatus, qui tamen ex morbo ibi contracto, Patavii, ut superius diximus, hoc anno mortuus est. Missus fuerat et Henricus Sommalius [2], qui morbo herculeo (*caducum* vocant) sic laboravit, ut periculum esset ne aliquando in medio scholasticorum (nam classi cuidam praeerat) corrueret. Qui autem horum duorum loco successerant simul cum reliquis morbo laborarunt, ut superius est dictum, et duo sacerdotes, P. scilicet Caesar et Adrianus, postquam ex morbo utcumque emerserant, reciderunt ut et alii, dum intempestive laborant, recidebant. Missus fuerat Mutinam Magister Andreas Bonainsegna, qui et ipse aegrotavit; et hos secum adducens P. Franciscus Palmius Bononiam, videbatur periculo substraxisse; sed dum amici, habitis Episcopi litteris, eum revocare Mutinam student, aliud [Deo] visum est, qui ab hac vita eum revocavit. Cum enim P. Ignatius, si fieri posset, satisfacere Mutinensibus

---

[1] Polancus, *ex com*, Patri Baptistae Viola, Italiae Commissario, ut bene inspiciat an locus, in quo nostri Mutinae morantur sanus sit necne, et Romam scribat quo possit Ignatius a Mutinensi Episcopo, quod opus sit, expetere, 12 Aug.

[2] "Henri de Sommal (Sommalius), né à Dinant en 1534, admis à Rome en 1554 (rectius, post Alegambe, de Backer, 1551), mort à Valenciennes le 30 mars 1619; il fut recteur à Dinant, à Huy, à Valenciennes et à Douai.„ Delplace, l. c.

decrevisset, et ipse etiam P. Adrianus [1] vitam hanc cum aeterna commutavit.

Ut tamen aliqua, quae, tam in hac re quam in aliis, a Patre Ignatio constituta fuerunt, et bona ex parte per P. Commissarium [effecta, intelligantur], ea paulo exactius percensebo.

310. Jam ab initio hujus anni cum Mutinam venisset Commissarius (quamvis id temporis non acceperat litteras hujus muneris sibi commissi, ut Patrem Laynez in scribendo occupatum sublevaret [2]), admonuit aliquem Mutinae, versatum in Italica lingua, esse necessarium; et paulo post, eo rediens, simpliciorem eum, quamvis virum optimum, judicavit, quam ut Collegio praeeset, et cum externis agere, et in negotiis tractandis versari utiliter posset; sed praescribens ipse rationem studiorum et alia, ut poterat, domi supplens et foris, vel concionando, vel cum Episcopo, vel cum amicis agendo, utcumque primis mensibus progressum bonum Collegii adjuvit [3].

311. Animadvertit tamen quod peculiarem nimis curam monasterii Conversarum nostri haberent; nam singulis diebus alter sacerdotum Missae sacrificium in earum ecclesia celebrabat, aliquando etiam concionabatur; et cum aliqua aegrotabat, in monasterium aliquis nostrorum ingrediebatur ut sacramenta ei ministraret, qui sanis etiam bis aut ter in hebdomada ministrabat, et quodammodo capellani officio fungi videbantur, non quidem sine fructu; nam cum dominicis et festis diebus ibi concionarentur, populus etiam aderat, et hi praesertim, qui ad sacramentorum frequentem usum erant dispositi, quorum etiam confessiones audiebantur et sanctissima Eucharistia eis administrabatur. Locus enim is commodus erat et in quem facile hujusmodi pii viri convenirent. Ea etiam, quae reliquis Con-

---

1 Sic; sed error est et scribendum *Aversanus,* id est, P. CAESAR AVERSANUS; Adrianus enim utcumque convaluit, et in Belgium anno 1554 missus est. Vide infra, n. 315 et 316, et *Cartas de San Ignacio,* t. v, pag. 60.

2 Vide supra, n. 124, pag. 67.

3 Obscurior sensus est a verbis *et paulo post;* sed clarior reddetur, si, notitia tum ex Ignatii litteris, tum ex iis, quae infra a Polanco dicentur, hausta, hoc modo sententia concinnetur: "et paulo post, Mutina Bononiam rediens Commissarius, scripsit judicare se Patrem Caesarem Aversanum, quamvis virum optimum, simpliciorem tamen quam ut Collegio praeesse et cum externis agere et in negotiis tractandis utiliter versari posset. Quare secundo eo reversus, praescribens ipse.... „ Vide infra, n. 316.

versis praeerat, Domina Hieronyma Pezzana, cum Domina Constantia Cortesia et aliis amicis utriusque sexus, qui temporalibus necessitatibus Collegii subveniebant, hoc beneficium monasterio Conversarum impendi summopere cupiebant, quae nostris aegrotantibus paratos etiam cibos subministrabant; nec tam serio alii quiquam res nostras fovebant. Nihilominus P. Ignatius Commissario rem hanc commendavit, ut, scilicet, curaret nostros ab hoc onere liberare; qui tamen, cum res Collegii temporales ab hoc monasterio et ejus fautoribus pendere videbat, non omnino existimavit hujusmodi curam dimitti posse, sed ne Missae sacrificium ibi quotidie offerretur, curavit; et ne tam multa ab eis beneficia acciperent, quibus libertatem ipsis subtrahendi spiritualia ministeria adimerent, injunctum est [1]. At vero, succedente nostrorum fere omnium aegritudine, ne id quidem fieri potuit, ut beneficia consueta erga hujusmodi aegrotantes recusarent; et paulatim admodum dissuere, nullo modo abrumpere, hanc consuetudinem de Conversis bene merendi potuerunt. Sic enim erant multi alii ex Mutinensibus dispositi, ut si nostris habitatio non placeret, aut temporalia subsidia satisfacerent, facile passuri essent nostros ex tota urbe excedere.

312. Cum tamen Mutinae P. Commissarius ageret, qui et concionandi dono et rerum agendarum peritia praeditus erat, benigniores ac liberaliores experiebantur complures ex civibus, qui etiam frequentiores ad templum accedebant [2]. Et ita P. ipse Commissarius, quamvis necessaria corpori alibi commodius esset habiturus, propensus erat ad aliquot menses Mutinae exigendos; et quidem decumbens in lecto satis diu ibidem etiam est versatus, et morbi gratia tandem recedere coactus [3]; et eo res rediit, ut scholae omnino intermitti debuerint, propterea quod omnes praeceptores usque ad unum aegrotarent. Nihil

---

[1] "Ho dimandato a Nostro Padre se ha promesso alla Cavaliera Cortesa che li nostri haverebbero cura delle convertite, al modo che dice V. R. la governatrice loro; et dice di no, in modo che si sarà ingannata colla sua buona volontà quella Signora.„ Ita Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae Viola, 2. Dec.

[2] Polancus, *ex com.*, Patri Baptistae Viola: "Se V. R. havesse tempo o sanità per leggere o predicar, forse la città più si muoverebbe, benche li mali catholici non siano per mancar, come crediamo, a Modena, secondo la fama che c' è....„ 12 Aug.

[3] Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Baptistae Viola, ut Commissarii officium intermittat, donec melius valeat. "Et di gratia la R. V. si sforzi di allegrarsi et attenda a star sano et pigliar le sue commodità; che Dio N. S. provederà, come è il solito della sua divina clementia.„ 9 Dec.

autem videbatur valetudini nostrorum perniciosius quam locus ipse, ut missa faciam scholarum incommoda et angusti sacelli; et de alio loco emendo spes nulla affulgebat, immo nec alia ratione vel ad tempus inhabitando; et cum hi, qui convalescebant, aegrotantibus essent permixti, statim recidebant; ut facile documentum inde capi posset, locum bene inspiciendum, qui Societati offertur, antequam nostri ad illud inhabitandum se conferant. Et minus vacare nostri poterant ad orationem eo tempore, quo fere omnes, propter adversam valetudinem, vel decumbebant vel utcumque convalescebant. Episcopus quidem nostrorum compatiebatur incommodis; sed cum non posset nec domum idoneam facile tribuere, nec alia necessaria subministrare, cumque civitas ipsa non daret illud subsidium, quod Episcopo relatum fuerat daturam esse, centum scilicet aureorum singulis annis, aperte videbatur dolere quod collegium evocasset; et hujus erat sententia, ut scholae ad duos vel tres annos relinquerentur, in quarum subsidium civitas centum illos aureos singulis annis donatura dicebatur; quos ea de causa fortasse non dederat, quod, cum exspectaret professores insignes, fere omnes juvenes acceperat et qui italicam linguam perfecte non tenerent [1]. Sed P. Commissarius non

[1] Mirum non est Cardinalem Moronem, et Mutinensem Episcopum, et qui catholicae religioni in urbe Mutinae favebant, insignes aliquos humaniorum litterarum magistros ab Ignatio expetiise. Erant enim tunc temporis cum Societatis Collegium inchoabatur, et paucis ante annis fuerant, inter eos praescrtim, qui ad germanicas novitates inclinabant, plurimi in his studiis versatissimi vereque insignes viri: "Altri belli ingegni ornavano allora Modena fra' quali menzioneremo Ercole Rangone, che fu Vescovo di Rovigo, poi della patria sua e Cardinale (1530); Pietro Bertani, de' Predicatori, adoprato dal Papa in affari scabrosissimi, fatto Vescovo di Fano, poi Cardinale; Antonio Fiordibello, uom di moltissime lettere, versato in ambascierie e nel Concilio e segretario del Cardinale Polo, che recitò un' orazione *De auctoritate Ecclesiae* davanti a Filippo e Maria Regina quando la religione catholica venne ripristinata in Inghilterra. Panfilo Sassi fu portento di memoria...., talvolta lesse Dante e Petrarca commentandoli, con gran concorso di gente. Potremmo aggiungere il famoso legista Cesare Castaldo, Camillo Coccapani, Fulvio Rangone, il poeta Molza, e quel che vale per cento, lo storico Sigonio.

Fra questi era assiduo Giovanni Grillenzoni, che, scolaro devotissimo del Pomponazio, di questo raccolse le lezioni.... ; chiamato in Modena Francesco da Porto a insegnar pubblicamente lingua greca...., quando questi dovette trasferirsi a Ferrara, ordinò che in casa sua ogni giorno fossero lette a certa hora due lezioni, una latina e l' altra greca per coloro che fossero più sufficienti, e erano stati discepoli del Porto, e a chiunque vi voleva intervenire. E così furono interpretati i più difficili libri della lingua latina, e fra gli altri Plinio dal principio al fine, e i più difficili della lingua greca....

Chi così parla è Lodovico Castelvetro, bello scrittore e critico arguto, nato pure a Modena, dove aveva imparato l' ebraico da David, giudeo modenese, filosofo e teologo da non sprezzare; il provenzale da Giammaria Barbieri....

La presenza o il ricordo di tali personaggi doveva inanimare gli studii in Modena; e

bene consuli nomini Societatis [1] censebat, si scholae omnino relinquerentur; et praeceptores idoneos, scilicet, Magistrum Andream Bonainsegna ac Valerium se adducturum [sperabat]; et Despauterium, cujus lectio displicebat ut inusitata, facile relinqui posse, et consuetos auctores (prout Episcopus censebat faciendum) praelegi posse [existimabat] [2].

313. Cum autem haec P. Viola cum Episcopo egisset, interim dum convalescebat, supervenit P. Franciscus Palmius cum facultate a P. Ignatio missa ad omnes nostros Mutina removendos, si de loco magis idoneo eis non prospiceretur. Partim tamen quod sub finem Augusti fere omnes e lectulis surrexerant et convalescere videbantur (quamvis postea reciderint aliqui), eam mutationem distulit. Non enim libenter eo adducebatur P. Ignatius, sed quodammodo invitus, ut inde collegium removeret; serio tamen injunxerat, ut saltem conductitiam aliam domum caperent, licet in ea quinquaginta aureos, a Duce Ferrariae donatos, expenderent, et pauciores de Societate ibidem alerentur; quamvis alioqui numerum potius augendum quam minuendum putabat, ne pauci operarii, plus satis laborando, oneri succumberent; et interim nolebat plus quam commode possent eos praestare, sed potius ut Deo committerent quod ipsi sine gravi detrimento valetudinis praestare non possent [3].

314. Reliquerat autem arbitrio P. Francisci Palmii ut, vel omnes educeret Mutina, vel ab eis educendis supersederet, prout rebus inspectis expedire judicaret; et ita probavit quod, spe aliqua accepta melius consulendi rebus Collegii, non inde nostros eduxisset, et ut periculum facerent [an] cum his, quae ab Episcopo offerebantur, Collegium posset progredi, alia domo prorsus accepta; alios tamen praeceptores vel plures operarios et insigniores Mutinam non videri mittendos scripsit, do-

---

non una vera accademia, ma una brigata di letterati vi si era costituita, alla quale col Castelvetro appartenevano i già detti Giovanni, Francesco e Bartolomeo Grillenzoni, don Giovanni Beretta, Nicolò Machella, medico, il dottore Philippo Valentini, Camillo Molza, Gabriele Faloppio allora empirico, dappoi famoso anatomista, Pellegrino degli Erri, Francesco Camurana, Lodovico del Monte ed altri. „ Cantù, l. c.

1 Prius scriptum fuit *civitatis*, sed, hoc non deleto, superscriptum *Societatis*.

2 Vide supra, n. 303, pag. 150.

3 "Oltra quelle che Nostro Padre scrive a V. R. (Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 283 et 418), dirò io per sua parte che, *caeteris paribus*, Nostro Padre non vorria che si disfacesse il Collegio di Modena.... „ Ita Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio, 26 Aug., ubi plura addit de iis praesertim, qui ex pluribus Italiae locis Romam in proximum Septembrem ad Collegium Romanum erant evocandi.

nec res temporales ejus Collegii melius essent constitutae. Ut autem domus omnino et statim mutaretur occasionem dedit id, quod initio autumni accidit, ut, scilicet, reciderent nostri in morbum et medici dicerent quod, quamdiu ibi manerent nostri, perpetuis morbis impliciti futuri erant, cum domus ea ferarum spelunca potius quam domus hominibus conveniens esset; quae verba, ut a medico ipsius Episcopi dicta, P. Ignatius ad eum scribendo usurpavit, ut significaret quod cum bona conscientia nostros ibi relinquere non posset [1].

315. Agebat Episcopus de parochia quadam nostris danda, quam tamen non esse admittendam censuit [P. Ignatius], nisi animarum cura cum reditibus ad aliam vicinam parochiam transferretur. Tandem domus quaedam conductitia accepta est, et P. Joannes Laurentius loco P. Caesaris Mutinam missus. De P. vero Adriano, qui alio, valetudinis gratia, missus fuerat, urgebat Pater Ignatius ut, medico consulto, si is probaret ut ad nativum aërem se conferret, nullis parcerent sumptibus quo ejus valetudini consulerent; se refusurum quidquid illi expenderent, quamvis ipsemet P. Adrianus ex patrimonio habere poterat unde refunderet.

316. Non omittam quod, cum P. Caesar Aversanensis Mutinae expeteretur, et in gratiam Episcopi et aliorum eum remittere P. Ignatius decerneret, constituit ne cum auctoritate Rectoris eo rediret, sed alius, ut collateralis ei datus, hanc auctoritatem exerceret, quamvis ipsum titulum P. Caesar retineret ad externorum aedificationem; vel si alter nomen Rectoris haberet, voluit ut eidem Superintendentis nomen daretur eamdem ob causam externorum; ita tamen ut gubernationi Collegii se non immisceret, ad quod talentum non habere compertum erat. Prius etiam quam eo mitteretur, defectus, in quos inciderat, scripto ei transmitti voluit [2]. Ejus tamen mors, ex hac aegritudine consecuta, hanc gubernationis rationem totam praescidit.

317. Missus est Mutinam P. Philippus Flander, qui prius

---

[1] Postremum hoc, a verbis *alios tamen praeceptores....* manu propria inseruit hic ipse Polancus.—Ignatii litteras de hac re ad Aegidium Foscararium, Mutinensem Episcopum habes in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 285 et 306. Quas, *ex* Ignatii *commissione*, Patri Francisco Palmio scripsit Polancus, dabimus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii.*

[2] Vide supra, n. 310, pag. 154.

P. Pelletarii collateralis fuerat, et cum P. Joanne Laurentio sic se gessit, ut brevi quae ad spirituale auxilium illius urbis fiebant, rerum praeteritarum oblivionem induceret; et tanta hominum frequentia ad confessionis et communionis sacramentum accedebat, ut aliquis ex nostris, qui prioribus mensibus hujus anni et his postremis Mutinae fuerat, fructum posteriorum quam priorum majorem esse affirmaret, et non poterant omnino tantae multitudini confluenti satisfacere. Conciones etiam P. Joannis Laurentii et colloquia perutilia ad multorum profectum cernebantur [1].

318. Incalescebat etiam amicorum affectus, qui propter mutationes superius dictas intepuerat, nec ullus ex eis, praeter unum illum doctorem P. Caesari addictissimum, de quo superius nemini [2], ad nostros accedere sacramentorum causa desiit; et illum ipsum cum nostri sacerdotes inviserent, simul cum uxore sua humiliter se ad Societatis obsequia obtulit, et ad sacramentorum etiam frequentationem redire voluit, et submisse precati sunt [ipse et ejus uxor] ut curam ipsorum nostri susciperent.

319. Scholae etiam per Magistrum Andream Bonainsegnam ac Magistrum Joannem Valerium, Ferraria missos, renovatae sunt hoc autumno, et ad festa Natalitia quasdam orationes et carmina per pueros recitari curarunt, ut et ipsos et parentes eorum magis animarent; et paulo amplius quam octoginta scholasticos habebant. Nec mirum si numerus non perinde atque prius excresceret, cum P. Ignatio visum esset ut non amplius illi admitterentur, qui legere nescirent (qui tamen prius admittebantur), quamvis eos, qui jam erant admissi, non expelli voluit.

320. In eisdem autem festis ad conciones P. Joannis Laurentii tanta confluebat multitudo, ut ex porticibus extra eccle-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Magistro Philippo Flandro, mittit patentes litteras facultatum Patribus Societatis a Sede Apostolica concessarum eumque Rectorem constituit *quale è per li nostri di casa*, in quo munere exercendo instructionem sequatur, quantum fieri possit, datam olim Magistro Caesari Aversano, *che sia in gloria*, 16 Dec.—Idem eadem die Magistro Joanni Laurentio commendat ut labores prudentia moderetur.—Eidem Philippo, ejusdem et Joannis Laurentii diligentiam commendans animumque erigens, 30 Dec.

[2] Hic ille est Joannes Andreas Mozzollo, cui litteras dedit Ignatius 11 Novembris, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 334 et 441.—Hujus meminit quidem Polancus supra, n. 309, pag. 153, sub communi voce *amici*; sed non expresse nominavit.

siam plurimi concionantem audirent, cum ea tam esset alioqui plena ut, non sine magno incommodo et oppressionis periculo, auditores ibi versarentur, quibus abunde concionator satisfaciebat. Ipso autem die Natalis, cum a septima hora, id est, circa mediam noctem, primam Missam coepisset, usque ad decimam octavam partim in Missis dicendis, partim in confessionibus audiendis, partim in concionibus, quas illa nocte et in aurora habuit, praeter consuetam illam, quae a prandio fiebat, non exiguo cum labore et fructu occupatus fuit. Sed et Magister Joannes Valerius eisdem festis in hospitali concionatus est, ad quod satis frequentes auditores accedebant, et Mag. Joannes Nepos in carceribus; et ita undecumque et spiritualis odor et fructus augebatur, et Mutinenses ipsi fatebantur frequentiores poenitentes quam unquam alias ad ecclesiam accedere.

321. Cum Episcopus dubitaret an facultates Societatis nostrae validae adhuc essent, responsum est nostris, primo quidem nostras gratias revocari non posse per generalia rescripta, sed opus esse ut de verbo ad verbum facta mentione expressa revocentur; 2.° quod Pontifex, qui tunc erat, in ultimis litteris, anno praecedenti concessis, nostra omnia privilegia revalidaverat; 3.° quamvis integrae et illaesae manerent, et arbitrio episcoporum non subjectae, velle nihilominus P. Ignatium ne Mutinae nostri eis uterentur aliter quam Episcopo placeret, et secundum ipsius arbitrium ac voluntatis ejus mensuram exercerentur [1].

322. Aliquis etiam in Societatem Mutinae admissus est, qui, cum inter scholasticos esset, de Natali Domini orationem egregie pronunciaverat; Bononiam tamen probationis gratia missus est.

323. Erat hoc tempore Mutinae P. Commissarius, qui in gravissimam febrem quartanam duplicem, cum esset Ferrariae, inciderat; et cum meliuscule habens, Mutinam se contulisset, tam graviter recidit, ut non parum de vita periclitaretur; et lectica inde eductus, a P. Francisco Palmio Bononiam delatus est, cui gratias egit P. Ignatius quod ea charitate in Commissarium usus fuisset, et lecticam ad majorem commoditatem itineris eo misisset [2]; et ne sollicitudo, quae valde nocuisse visa erat

---

1 Fuse haec et dilucide exponuntur in litteris a P. Polanco, *ex com.*, ad P. Joannem Baptistam Viola, datis 18 Nov.

2 Vide supra, n. 274, pag. 136.

P. Commissario Baptistae Violae, ei noceret, et a recuperanda valetudine impediret, significavit ei per litteras P. Ignatius ut omnino executionem illius officii intermitteret [1]; et Rectoribus Collegiorum scripsit ne illi per litteras essent molesti, sed Romam ad ipsum P. Ignatium litteras destinarent. Quamvis autem usus auctoritatis sit suspensus, ipsa auctoritas sublata non fuit, immo eidem P. Baptistae fuit significatum quod si ad suam consolationem aliquid agere vellet, quod valetudini non noceret, ut id ageret; et P. Franciscum Palmium admonuit ut, si opus esset valetudinis gratia, Parmam, quae patria illi erat, deducendum ipsum curaret.

324. Fuit autem P. Philippus Rector cum plena facultate constitutus. Erat autem domus illa, ad quam nostri migraverant, satis commoda, et praeter summam illam pecuniae certae (quae circiter centum et triginta scutorum erat), amici, quae necessaria erant, suppeditabant, immo nostros amanter rogabant ne omitterent sibi significare, quibus rebus opus haberent; ita tamen P. Philippus eorum liberalitate sibi utendum esse censuit, ut nimium se ipsis non obligaret et spiritualem libertatem amitteret [2].

325. Experientia hoc etiam anno docuit, eos, qui, propter tentationes aut perturbationes suas, collegii alicujus quietem perturbabant et in aliud mitti cupiebant, facile ad alia collegia non esse mittendos. Nam praeter alia incommoda, qui uno in loco male se gesserat, pejus fortassis in alio se gerebat. Aliqui etiam insalutato hospite recedebant; et qui in vocatione stabiliores erant, Rectoribus parum obedientes se praestabant, dum in alia collegia se mittendos esse sperabant [3].

326. Quod autem officium aliquod, ex majoribus praesertim, non facile hominibus parum notis sit committendum, docuit nostros Ferrariae quidam Joannes Fienot [4], qui magistro

---

[1] Vide supra, n. 312, pag. 155.

[2] Vide supra, n. 317, pag. 158.—Excusavit se Philippus ab onere Rectoris subeundo, sed 30 Dec. ei scripsit, *ex com.*, Polancus, ejus animum erigens, medi a suggerens, quibus juvari possit, et remedia, quibus spiritus coecitati seu ariditati, quam praetendebat, mederi valeret.

[3] Vide infra, n. 340.

[4] Sic; vehementer tamen suspicamur hunc illum esse, de quo saepius in litteris. quas Polancus hoc tempore, *ex com.*, scripsit, mentio fit, ubi Joannes *Ginot* appellatur.

Antonio Marino [1] inserviebat; et cum ille Societatem ingrederetur, et ipse ingressus est; et tantopere Commissario ac Rectori Ferrariensi placuit (nam in Collegio Ferrariensi erat), ut propter ipsius exteriorem modestiam ac solertiam, cum novitius esset, ministrum domus eum constituerent et claves rerum omnium ei concrederent. Ille autem, relictis longis vestibus, et brevibus acceptis, et sublatis his, quae maxime ei placuerunt, hospite insalutato, recessit, cum eodem die in refectorio magno cum fervore esset concionatus; itaque si ejus herus parum fuit stabilis, famulus stabilior non fuit.

327. Hic primus annus fuit, quo Italia Commissarium experta est in Societate nostra; sed cum tanta esset collegiorum tenuitas, nec necessaria suo Commissario ad iter commode faciendum conferre possent, cogebatur Commissarius pedibus ire; et quamvis infirma esset corporis habitudine, ne plus aequo collegia gravaret, defatigari potius eligebat; potius enim collegiis aliquid dare quam ab ipsis accipere lubebat. Fuit autem ejus visitatio non parum utilis quod ad scholas attinet et alia ministeria Societatis; et intra domesticos parietes aliquid etiam nostris contulit. Cum Venetum et Patavinum Collegium inviseret, hoc contulit praeter jam dicta, quod utrobique nostrorum numerus fuit auctus, et, consentiente D. Andrea Lipomano fundatore, duodecimus numerus in utroque Collegio, scholasticis Roma missis, impleri potuit. Necessarium autem esse comperit ut in quovis collegio, ubi lectores essent, aliquis supernumerarius versaretur, qui lectoris aegrotantis, vel quavis ex causa lectiones omittentis, loco substitui posset. Illud non accidit admodum feliciter, quod, cum illum sacerdotem lusitanum, de quo superius facta est mentio, quod externis valde gratus esset, Venetiis tolerandum esse censuisset, nec Romam, ut oportebat, misisset, consecutum est ut ille in pejus proficeret; et tandem, ut diximus, a Societate, quod in ipso fuit, recederet [2].

328. Cum autem idem Commissarius penuriam eruditorum juvenum in Italia experiretur, et memor esset quam multi, dum esset Parisiis, ad Societatem adspirassent et in eamdem admissi

---

[1] Vide supra, t. II, n. 383, pag. 580, et BARTOLI, *Della vita e dell' Instituto di S. Ignatio*, lib. III, n. 20.—Item supra in hoc t. III, n. 29, pag. 20, et infra n. 353.

[2] Vide supra, nn. 232 et 234.

essent; cum alioqui valetudinem suam, cujus curandae gratia in Italiam venerat, paulo melius habere experiretur, P. Ignatio se paratum obtulit ad reditum in Galliam, quod, quamvis hoc anno effici non potuerit, non item multo post effectum est [1].

329. Invisit hac aestate, adhibito sibi socio P. Baptista Nagio, bonos illos sacerdotes provinciae Garfagnanae, P. Sylvestri discipulos, et populum valde propensum erga Societatem nostram invenit, immo summis desideriis nostrorum adventum ad suam et filiorum suorum institutionem exspectantem; et cum videret uberem fructum ex illorum sacerdotum, qui Societatis vota emiserant, opera provenientem, et tantum confitentium et communicantium numerum, non poterat majorem fructum non sperare, si collegium ibidem Societatis institueretur; et ex illis populis singuli apud se habere nostrorum collegium optabant; prae caeteris autem magis placuit Patri Commissario pagus quidam, nomine Villa; quamvis tantum septuaginta domos haberet, quia aër saluberrimus, et valde amoenus situs videbatur, et ex vicinis pagis ad scholas non difficile alii confluere possunt. Illi autem sex vel septem sacerdotes, qui prius testamento bona sua legaverant ad collegii usum, jam per donationem inter vivos bona sua donabant, et, praeter mobilia, quingenta scuta auri in pecunia numerata donabant; quidam alius centum addebat. Necessaria etiam ad victum ad aliquot tempus ipsi sacerdotes secum adferre volebant; nec contemnenda erat pauperum sacerdotum liberalitas, qui, parentibus posthabitis, sua et seipsos Societati donare cupiebant; immo, votis emissis, se Deo et Societati consecraverant; et amanter conquerebantur quod tamdiu inter consanguineos relinquerentur, et si non essent ad aliquod collegium Societatis admittendi, id significari sibi petebant et libertati suae restitui, ne cum conscientiae aliquo scrupulo viverent; et tam de collegii quam de ipsorum admissione responsum avide a P. Ignatio exspectabant.

330. Admonuit interim P. Commissarius, si collegium admitteretur, duos sacerdotes vel unum saltem ad concionandum idoneum et duos praeceptores mittendos esse, cum ex viginti quinque pagis satis multi ad scholas venturi crederentur. Et quidem P. Ignatio visum non est statim collegium hoc admitti

---

[1] Anno scilicet 1556.

posse, sed nec illos sacerdotes a Societate excludendos a spe collegii putavit. Et cum Patrem Laynez admoneret ut Florentia Genuam se conferret, cum prope Garfagnanam esset transeundum, si commode posset, illos sacerdotes inviseret; et si fieri posset, inter ipsos unum caput, qui caeteris praeesset, constitueret; quod si non posset fieri, ut eos saltem consolaretur; ipsis etiam significari voluit, quod si ad nostra collegia se vellent conferre, licitum id foret [1].

---

331. Alia quaedam hoc anno a P. Ignatio constituta utiliter fuerunt, inter quae illud fuit, ut nostri, qui in Collegio Veneto versabantur, a ministris D. Andreae Lipomani fundatoris necessaria ad victum non peterent. Quotidie enim cum magno dispendio temporis et aedificationis id fiebat, et tentationum multarum seminarium nostris erat. Scripsit ergo Priori submisse et amanter ut quae suo nomine P. Commissarius proponeret tamquam patri, audiret; cum tandem quidquid constitueret, aequi et boni consulturus esset; sed eumdem instruxit Commissarium de multis incommodis, quae ex hac ratione sustentandi nostros emanarent et hoc remedium adhiberi posse: ut collegiales ejus familiae se non immiscerent, sed deputaret ipsis quod in Domino placeret; et si non posset ad duodecim sustentandos necessaria suppeditare, ut ad decem vel octo, demum ad quam paucos vellet necessaria suppeditaret, tantum ut cum saecularibus nostri negotium non haberent, sed omnino monuit eum ne molestia Priorem afficeret, nec ab eo dissidens recederet; sed, si animadverteret Priori persuaderi non posse quod volebat, tunc juvenes quosdam bonae indolis inde abducere jussit ut alibi studerent; et insinuari amicis voluit causam hanc esse cur homines majori talento praediti non tenerentur, hanc nimirum, ne incommodis, quae pati eo in Collegio necesse erat, exponerentur; et eam ob causam, cum egregium lectorem loco magistri Arnoldi Conchi missurus esset, se non misisse, ne cum detrimento et corporis et animae ibidem versaretur. Sic ergo effectum est ut nostri ab hac servitute libera-

---

1 Fusius haec in litteris a Polanco, *ex com.*, Patri Laynez datis 30 Sept.

rentur; et quamvis charitas paterna Prioris numquam defuit, eleemosynae tamen aliorum, quod ejus viribus deerat, supplevérunt [1].

332. Cum proponeretur Magister Andreas Bonainsegna ad sacerdotium, et ipse ad illud suscipiendum propensus non esset, sufficientem hanc causam ratus est P. Ignatius ne promoveretur [2].

333. Consultus etiam de confessionibus infra hebdomadam nostrorum, potius id ad necessitatem quam ad devotionem concedendum esse censuit [3].

334. Terentium et Ludovicum Vivem, sicut et opera Erasmi, legi nostris in scholis noluit, et, ubi praelegebantur, paulatim relinqui jussit [4].

335. Cum saepe P. Sylvester eodem die praedicaret, ne id faceret prohibuit; et quia severe admodum suum corpus abstinentia castigabat, injunxit ut, juxta medici consilium, cibo, vestitu et somno uteretur; sed separatis litteris significavit quod non eum obligabat ad medici obedientiam, quamvis litteras illas ostendere aliis posset; tantum ipsi curam suae valetudinis tuendae commendavit. Et quia restrinxerat ei auctoritatem procedendi contra religiosos, postquam intellexit Pontificis et Cardinalium mentem hanc esse, ut non solum informaret, sed ut praecideret, significavit eidem P. Sylvestro ut suo jure, etiam in Vicarios Episcoporum, uteretur in spiritu libertatis, ut expedire in Domino judicaret. Est etiam id curatum ut aliquis, tamquam omnium aliorum Episcoporum Corsicae suffraganeus, in insulam illam mitteretur, qui multa, de quibus idem P. Sylvester Romam scripserat, exequi posset.

336. Cum P. Everardus saecularem quemdam commendasset, ut Romae hospitio reciperetur domi nostrae, cum reprehensiuncula admonitus est ne in posterum id faceret; eidem

---

[1] Vide Ignatii litteras ad Andream Lipomanum, Priorem Trinitatis, 28 Octobris datas, in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 319 et 436.

[2] Vide litteras a Polanco, *ex com.,* ad P. Joannem Baptistam Viola datas 5 et 11 Nov.

[3] Litteris ad P. Franciscum Palmium datis 21 Jan. Vide SCHINOSI, *Istoria della Compagnia di Giesù appartenente al Regno di Napoli,* p. I, lib. I, c. 8.

[4] Ita in litteris ad P. Joannem Baptistam Viola datis 6 Maji, et ad P. Joannem Pelletarium 3 Junii, et aliis pluribus toto hoc anno ad plures domorum Superiores.—Vide etiam supra, t. II, pag. 214, n. 103.

etiam scriptum ut congregationem illam, a Laurentio Davidico institutam, quae ad nostrum Collegium eo recedente se contulit, in his tantum, quae nostro instituto consentanea essent, juvaret; nihil novum aut inusitatum Societati faciendum.

337. Rectorem Florentiae admonuit ut eam rationem petendi eleemosynas teneret, quae Romae P. Pontio commendata erat, ut scilicet, a paucis personis, quoad ejus fieri posset, certas et sine distractione eleemosynas curaret [1].

338. Quamvis Commissario scripserat ut de rebus, quae momentum haberent, Romam scriberet, eumdem admonuit ut in levioribus, vel cum periculum esset in mora, libere procederet.

339. Consultus an aegrotantes fratres in amicorum domibus curari possent, cum domi commoditas non suppeteret, censuit P. Ignatius id non expedire; quod si extra domum nostram essent curandi, hospitale domibus privatorum praeferendum esse [2].

340. Comprobat ne facile scholastici ab uno loco in alium mittantur [3].

341. Si correctores non invenirentur et pueri non emendarentur, ut a scholis ii dimitterentur [4].

342. Ne docerent scribere (quia Societati id usitatum non est) Mutinenses admonuit [5].

343. Opera inhonesta Ovidii et similia legi prohibuit.

344. Cum Prior Stae. Trinitatis facultatem quibusdam piis hominibus dedisset, qui docendae doctrinae christianae curam susceperant, ut eam in scholis nostris docerent, cum nostri ab ea legenda supersederunt; rem minime probavit P. Ignatius, et Venetias scripsit nostris ne externos permitterent (quamvis hi Congregationem quamdam ad pietatis opera confecissent) nostris in scholis docere, et ita nostri eamdem doctrinam enarrandam [denuo] susceperunt [6].

---

1 Sic in litteris ad Patrem Laynez datis 30 Aprilis.

2 Litteris Joanni Baptistae Violae datis 30 Aprilis.

3 Litteris eidem Patri Violae eadem die datis.

4 In virtute obedientiae hoc injunctum est et per patentes Ignatii litteras, 21 Jan. datas, in omnibus et singulis Italiae et Siciliae Collegiis promulgatum. Et litteris ad Patrem Baptistam Viola "che si facesse una essortatione alli scholari dimostrandoli che conviene.... „ 6 Maji.

5 Litteris ad Patrem Caesarem Aversanum datis 3 Junii.

6 Litteris ad Patrem Caesarem Helmi datis, quarum notitia ad P. Baptistam Viola missa est 13 Maji.

345. Accidit ut Venetiis quidam ex nostris scholasticis, senensis, non malitia, sed levitate quadam ductus, ensem eduxerit e vagina cujusdam hospitis, et ludendo, vulnus quoddam infligeret alii de Societate in ipso fronte. Dubitabat autem Rector an dimittendus esset ex Societate, qui rem insolitam perpetrasset; sed P. Ignatio visum est, quia sine malitia, tantum ex levitate, peccaverat, ut non dimitteretur; sed ut Rector, dissimulans se Romam scripsisse, bonam poenitentiam ad aedificationem injungeret, commisit [1].

346. Consultus fuit idem Pater an Bononiae hospitio excipi possent Patres Capuccini, qui, cum Bononiae domum non haberent, a nostris hospitium petebant; et permissum fuit ut exciperentur, quando ibi domum non habebant, si ad Dei gloriam id esse judicarent [2].

347. Cum Ferrariae quidam ex nostris ad domum cujusdam clari viri (*factorem* vocabant) ad filium ejus docendum privatim mitteretur, quod is bene mereri de Societate poterat, et magnae esset auctoritatis apud Ducem, scripsit nihilominus P. Ignatius ut curaret, si bona cum venia ipsius factoris fieri posset, hoc officio se dimittere, et in posterum Societatis consuetudinem retinerent, quae docere in domibus privatis non permittit.

348. Rectori Ferrariensi scripsit ut numquam sine socio in domum alicujus mulieris, quantumvis magnae auctoritatis, iret, a quo videri posset; ad alia loca, si commode posset, etiam socium adduceret [3].

349. Cum, propter graves occupationes scholae, magister Andreas Bonainsegna consuluisset P. Ignatium, an aliquid de praescripto tempore orationis omittere posset, rescriptum est saltem mediam horam mane et mediam vesperi omittendam non esse [4].

350. Quamvis prohibitum erat ne Romam quis mitteretur, nisi consulto P. Ignatio et responso exspectato; si quid urgeret, permissum est ut statim Romam mitti possit. Ad Societatem autem neminem mitti Romam voluit, nec in Italia admitti ullo in

---

[1] Vide infra n. 405.
[2] Ita in litteris Patri Joanni Baptistae Violae missis 13 Maji.
[3] Vide supra, n. 281, pag. 139.
[4] Haec in litteris ad PP. Pelletarium et Bonainsegna datis 27 Maji.

Collegio, nisi prius de qualitatibus ejus Romam scripsissent, juxta quamdam formulam ipsis praescriptam, et responsum exspectarent. De Sicilia idem intelligi voluit; si quis tamen admodum idoneus cerneretur, permissum est ut hospitem admitti posse, ei tamen declarando quod admissus non sit in Societatem, sed hospitio receptus, donec responsum Roma acciperent; et ratio hujus injunctionis fuit, quod aliquos parum idoneos admitti, vel Romam admittendos destinari, experientia docebat [1].

351. Cum significasset P. Sylvestro ut etiam in religiosos et vicarios Episcoporum potestatem a Sede Apostolica acceptam exerceret, duo addidit: prius quidem ne personas ipsas puniret, quamvis praedicationem, si expedire videretur, prohiberet, nec admitteret eorum auctoritatem contra Apostolicum Breve; quod ad apostatas attinet, executionem etiam de mente Pontificis permisit. Secundo admonuit ut ita in hujusmodi procederet, ut rationem sui, etiam in judicio, reddere posset in forma probante.

352. Cum paulo remissius quam par esset agere cum quibusdam Rectoribus P. Commissarius videretur, litteras ei P. Ignatius scripsit, quas eisdem Rectoribus ostenderet, quibus eum animabat ad ea strenue exequenda, quae ad Dei servitium pertinere judicaret; declarabat autem eam se auctoritatem ei dedisse, quam Provincialis habere poterat; et addidit quod etiam ab officio Rectoris eos removere poterat, qui Collegium regebant, et eorum loco alios substituere, qui magis idonei ipsi viderentur, majori ratione universalis boni quam particularis habita. Secretis tamen litteris eodem tempore missis, hanc auctoritatem removendi Rectores restrinxit, et ne ea uteretur, se inconsulto, injunxit. Hortatus est etiam eumdem ut angelos imitaretur, qui ad juvandos homines sibi commissos diligentiam convenientem adhibent; si tamen ipsi juvari nolunt, non propterea affliguntur, nec propter hominum peccata perturbantur [2].

353. Cum magister Antonius Marinus, poenitentia ductus, in Societatem rediisset, et paulo post parum quieto esset animo, jussit P. Ignatius suis votis eum absolvi et in peregrinationem

---

1 Injunctum est hoc litteris 10 Junii datis. Vide infra, n. 421.

2 Vide Ignatii litteras in *Cartas de San Ignacio,* vol. III, pag. 246 et 408.

mitti, ita ut non rediret ad nostros, vel omnino bene dispositus, ut par erat, rediret [1].

354. Patribus Sylvestro et Emmanueli laborum moderationem P. Ignatius commendavit, et ad labores partiendos ut visitationem simul obirent; et quamvis solutae manus a Cardinalibus, quibus reformationis negotium commissum erat, ipsis fuissent, easdem tamen a discretione et majoris boni affectu denuo ligari posse admonuit, si auctoritate sibi a Sede Apostolica data utendum esse non judicarent [2].

DE COLLEGIO NEAPOLITANO

355. Neapolitanum Collegium hoc anno tam in spiritualibus quam etiam in temporalibus progressum non poenitendum fecit. Sex bonae spei adolescentes, hujus anni primis mensibus Societati se addixerunt, inter quos unus, Octavianus nomine, aliis, qui de Societate nostra in Siciliam proficiscebantur, se adjunxit; alii postea sex istos sunt consecuti, qui hoc ipso anno, partim Romam missi, partim in Collegio Neapolitano retenti sunt [3]. Et satis feliciter rem domesticam P. Salmeron admini-

---

[1] Vide supra, n. 29, pag 20, et n. 326, pag. 161.

[2] Haec et alia hujusmodi saepius commendata sunt litteris toto hoc anno scriptis, praesertim mense Majo post Sebastiani Romaei in Urbem reditum.

[3] "Alla medesima hora ricolse Iddio altre primizie in Napoli, cio è i primi che vi si rendettero della Compagnia; i quali, salvo un solo, che potè quì rimanersi nel troppo angusto Collegio, furon tosto inviati al Noviziato, parte in Roma, parte in Messina. A Roma andovvi Giannicolò de Notariis, di antica e nobil famiglia Nolana, e con lui, come conghietturiamo, Giulio Fazio, nato di onesta gente in Napoli: giovani, che confortarono allora, e non delusero dipoi le nostre speranze: cio che più tardi osserverassi. Per Sicilia partì al medesimo tempo Ottavio Caesare, di cui si parlerà più sotto, insieme con non so quali altri due, non nominati nelle antiche memorie, che furon frutto degli Esercizi spirituali del Santo Fundatore, comunicati loro dal novello Sacerdote (Joannes Franciscus Araldus) poc' anzi riferito.„

"Quegli che si rimase in Napoli, chiamavasi Giannicolò Petrella, suddiacono, da Itri, vicino a Gaeta, giovane fin da quell' ora di purgato giudizio, e di vita assai intera. Per riceverlo fra noi, e poscia per quì ritenerlo, concorsero varii motivi, e di ossequio, e di gratitudine, e di providenza. Di ossequio, verso il Duca di Montelione; peroche così confermavasi da' nostri Padri la buona opinione che quel Signore portava del Petrella, di cui si avvaleva nella distribuzione delle segrete limosine, e nella sopranten-

strabat. Duo ad sacerdotium promoti sunt; Patres, scilicet, Joannes Franciscus Heraldus [1] et Nicolaus Paredensis [2], qui, antequam primitias Domino offerrent (quas suis concionibus P. Salmeron ornavit), scholasticorum confessiones audire coeperunt.

356. Erat etenim major messis poenitentium quam ut nostri sacerdotes eis possent satisfacere, in quadragesima praesertim, in qua plurimi totius vitae generalem confessionem fecerunt. In carceribus etiam, pro more, multorum confessiones P. Andreas de Oviedo excepit, sicut et infirmorum; nec defuit qui haereticos etiam errores reliquerit; et ab aliis peccatis plurimi recesserunt. Ex scholasticis etiam multi non satis habebant singulis quibusque mensibus confiteri, sed crebrius id praestabant, et inter eos aliqui totius vitae progressum explicabant.

357. Proposita etiam multis fuere a P. Joanne Francisco spiritualia exercitia, ex quibus, praeter sex jam dictos, duo juvenes magnae spei in Societate nostra se Deo consecrarunt; reliqui, vel certe complures ex aliis, eo contendebant summo studio, nec nisi voti compotes desistere se velle ab incoepto significabant. Dissidia etiam quaedam, quae componere alii religiosi viri frustra tentaverant, composita fuerunt.

358. Doctrina christiana, quam ante ferias paschales P. Andreas explicabat, ab eodem P. Joanne Francisco explicari coepit. Aliis etiam in locis verbum Dei praedicabatur; sed in templo (quod *Annunciata* vocant) id praestitit P. Alphonsus Salmeron. Recusabant quidem initio qui ejus ecclesiae curam gerebant; sed non defuit ex amicis aliquis, qui Domino Ludo-

---

denza di varie Opere pie. Di gratitudine verso il Petrella medesimo; per le immense fatiche sostenute, fin da' primi tempi della tassa, in servigio del nuovo Collegio, di cui l' havean' innanzi la nostra venuta, deputato Procuratore. E finalmente di providenza verso noi stessi; percioche, per indi a molti anni, seguitò eccellentemente nell' esercizio di ribatter de continuo gl' insurgenti bisogni. Nel che l' huom' al pari operoso e manieroso, in sì fatta maniera soddisfece, che più tardi ne sostenne del nostro Collegio, per sua industria ampliato, onoratamente il Rettorato, fin a tanto che più onoratamente non lo cedette ad un gran succesore, qual fu Claudio Acquaviva.„ SCHINOSI, *Storia della Compagnia di Giesù, appartenente al Regno di Napoli,* lib. I, c. VIII. De iis, qui Neapoli in Societatem admitti postulabant, scripsit, *ex com.*, Polancus Patri Andreae de Oviedo, ne quos admitterent, antequam de iis experimentum sumeret P. Salmeron, et Romam scriberet et Patris Ignatii responsum acciperet.

[1] Alias saepius *Araldus.*

[2] Sic; saepius tamen *Paradensis.*

vico de Toledo, locum Pro-regis, patris sui, tenenti, significavit ea de re agi, et misit ad administratores ejus ecclesiae, qui statim priorem sententiam mutarunt et suggestum Patri Salmeroni obtulerunt [1]. Legerat dominicis et festis diebus in cathedrali ecclesia sacrae Scripturae lectionem idem Pater; sed cum jam quadragesimae concionator Neapolim pervenisset, ipsa dominica sexagesimae, lectionibus finem posuit, magnum sui desiderium auditoribus, qui frequentes erant, relinquens. Annunciatae templum in medio urbis situm est, et ex tribus primis suggestibus unus censetur [2]; magnus hominum concursus ad eum audiendum eo in templo factus est, et bona ex parte ex nobilibus auditorium constabat, et ad stuporem usque homines doctrinam ipsius admirabantur. Nec Neapoli solum, sed extra urbem, per regnum illud, fama ipsius late patere coeperat.

359. Partem aliquam singularum concionum contra haereticos, qui eo tempore non pauci ex Valdesii [3] schola reliqui

---

[1] "La partenza del Vicerè (Petrus de Toledo) fu risolutamente voluta dall' Imperadore, o per rassettare (qual ne fu il titolo) i tumulti di Siena, che si era dichiarata per le parti Francesi, o per interrompere (qual se ne credeva la realtà) il troppo lungo, e perciò troppo rincrescevole governo di D. Pietro. Di questo secondo se n' hebbe l' intento, quando egl' imbarcossi a sei di Gennaio dell' anno corrente (1553). Del primo ne cadde indarno il disegno, quanto al Toledo; perche prima di giugnere a Siena, terminò i suoi giorni tra le braccia di sua figliuola, Elionora, Duchessa di Toscana, a ventidue di Febbraio, in Firenze. Lasciò suo luogotenente in Napoli D. Luigi, suo figliuolo, amico delle lettere e de' letterati; il quale dispensò quegli onori, e quei favori, al P. Salmerone, che uno scrittore di quei tempi con isbaglio trasmise all' anno seguente cinquantesimo quarto, quando D. Luigi di Toledo non vi era in Napoli nè in ufficio, nè in persona.„ Schinosi, *Storia della Compagnia di Giesù appartenente al Regno di Napoli,* l. I, c. IX.—Patri Schinosi, cum pluribus Neapolitanae historiae scriptoribus asserenti Petrum de Toledo ab Imperatore ad bellum Senense fuisse Neapoli avocatum *per interrompere (qual se ne credeva la realtà) il troppo lungo e perciò troppo rincrescevole governo di Don Pietro,* contradicit Scipio Miccio his verbis: Il giorno avanti che morisse (D. Pietro), arrivò lettera dall' Imperatore a Fiorenza; che non sapendo ancora che si fosse mosso da Napoli, gli scriveva che per nessun modo andasse in persona a quell' impresa (di Siena), avendo inteso che stava infermo, ma che vi mandasse Don Garzia suo figliuolo. Questa lettera si conserva in potere del segretario Insausti; a confusione di coloro che giudicavano che l' Imperatore l' aveva mandato a quell' impresa con intenzione di levarlo dal governo del Regno, sotto questo colore; e che questo aveva deliberato dal tempo delli rumori di Napoli. *Vita di Don Pietro di Toledo,* c. 43.

[2] Primarii in urbe Neapoli eo tempore suggestus censebantur cathedralis ecclesiae, Beatae Mariae Virginis Annunciatae et Sancti Joannis. Vide infra, n. 369.

[3] Notus is est iis, qui ecclesiasticam saeculi XVI historiam noverunt. Plura de eo ejusque gestis, scriptis, discipulis, etc., congessere Caesar Cantù et Marcellinus Menendez et Pelayo, ille in opere *Gli eretici d' Italia,* t. I, *discorso* XIX, hic in *Historia de los heterodoxos españoles,* lib. IV, c. IV. Juvat tamen hic ea exscribere, quae narrat Schinosi; habet enim quaedam, quorum alios scriptores meminisse non videmus: "Dappoiche il P. Bobadiglia hebbe migliorata ne' costumi la famiglia di D. Giovanna (de Aragon, Ascanii Colonnae uxor), con l' altra della Marchessa del Vasto di lei sorella, ed instruita al bene operare la gente del paese; perche riusciva inferiore all' huomo

erant, impendebat; et dabat Dominus ad eos convincendos gratiam; et cum multi eorum, qui suspecti habebantur, initio eum audire nollent, immo anathemate in sanguine Jesuchristi percuterent eos, qui P. Salmeronem audirent, simul cum ipso concionatore, jam tacebant; et ex eis permulti in eo audiendo perseverabant, et nisi obstinati esse vellent ac protervi, magnam

---

assai fervido l' isola di picciol giro (Ischia insula prope Neapolim), ne scappò fuori su i primi mesi del 1539, a coltivare i luoghi convicini:.... sì per questo incarico di fatiche, come anco per li disagi che glie ne vennero dal limosinare il vitto, e dall' assai male alloggiare, glie ne incolse una febbre, che nè brieve, nè lieve, seguitò poi a cuocerlo nello spedale della Nunciata di Napoli. Ove finalmente, come volle Iddio, si fu quì alquanto riscosso dal male, e potè muoversi per la città, si avvide di un' altro male che vi havea seco d' oltre i monti portato il Dottor Giovanni Valdes.

„Questi sbandito dalla patria per sospezion di alcuna disseminata eresia, si era qua rifuggito, con isperanza d' incontrar miglior fama al suo nome e miglior sorte al suo veleno. Era Lutterano di Setta, ma scaltro sopra ogni altro suo pari a non iscuoprirsi di Setta alcuna. Non gli mancava qualche ornamento dallo studio della Sagra Scrittura: quanto gli era necessario ne' privati, o publici ragionamenti, per adulterarla. Di professione legista, ed insieme orator' eloquente ed avvenente; a cui le belle lettere delle quali era vago, e la varia erudizione della quale era fornito, davano e pregio di fiorito dicitore, ed agio d' intrecciar tra quei fiori i suoi nappelli. Il P. Bobadiglia, uso a confutar gli eretici, ne intese subitamente il linguaggio; e volendo credere che il Dottore per avventura non tanto ingannasse, quanto s' ingannasse, risolvette di renderlo amichevolmente avveduto. Ma quegli abbisognava di fiaccole per ardere, non per vedere; e come se già quelle delle Furie l' agitassero, più cose disse contra la di lui fama, ed una ne tentò contra la di lui vita. Imperciochè il Valdes, a fine di riparare alla propria stimazione, con isvergognare il Bobadiglia che a suo parere glie l' havea danneggiata quando l' havea ammonito, mandò invitarlo ad un publico abboccamento dinanzi a gente numerosa, erudita, e buona parte patrizi, dov' egli havrebbe sostenuto cio che havea detto, e dette altre cose che havrebbe sostenute.

„Nè mancò nel dì, e nell' ora appostata il Dottor con iscelta comitiva, di venire; nè il prete dello spedale (come quegli per ischerno chiamava il Bobadiglia) di prevenire. Cominciò il primo, e proseguì con enfasi fastosa, e disse quanto gli venne in talento a difesa di sentenze pellegrine, finattanto che, mancatagli la lena, diè luogo all' altro di mostrare a quel gran cerchio, con ragioni chiare, convincenti, e disarmate d' ogni pungolo, e perciò gradite da circostanti, quanto quegli andava lungi da' sensi della Chiesa, quanto uniforme ed una cosa stessa con Lutero, Calvino ed altra mala razza di eretici, circa il valor delle Indulgenze, l' autorità de' Pontefici, la grazia de' Sagramenti, la necessità del bene operare, ed altro. Quì il Valdes, colto in una grande strettezza o di ridirsi, o di scoprirsi, perche gli mancava onde ribattere quelle ragioni, caldo di vergogna e di collera, pose mano ad un coltello che teneva segreto al fianco, per isciogliere con tal sorte di argomento al povero Bobadiglia l' anima dal corpo. Fu presto a tal punto Ettore Pignatelli, Duca di Montelione, o pure altri, come altro riferisce, del medesimo casato, a rattenerlo e raccordargli l' onta che con cio faceva a quel considerabile numero di personaggi; con che egli rimise lo stiletto nel fodero, la vendetta nel cuore, e di colà dileguossi.

„Ma nè per quell' ora ei potè vendicarsi del Bobadiglia, perche questi fu sollecitamente chiamato in Roma, come tosto diremo, nè per li tempi appresso, percioche l' huomo perverso infra manco di due anni lasciò di vivere e di nuocere.... Anzi di quest' arte in nascondersi se ne valse il Dottor Valdes sino alla sepoltura, la quale, come a creduto cattolico se gli diè quì stesso con onorato mortorio nella chiesa di San Severino.„ *Istoria della Compagnia di Giesù appartenente al Regno di Napoli,* lib. 1, c. 1.

veritatis cognoscendae occasionem habebant, cum dilucide admodum perversa eorum dogmata confutarentur.

360. Rem commiseratione dignam affirmabat esse P. Hieronymus Domenech (qui Neapoli in Siciliam transiens haec scripsit), quod in itineribus Neapolim versus, in diversoriis impudenter omnino carnes in quadragesima omnibus proponebantur, quas fere omnes comedebant usque adeo ut, cum essent in comitatu illo quinquaginta fere, cum P. Domenech iter faciebat, tantum quatuor vel quinque a carnibus abstinebant, et in horum usum fere nihil parabatur; et, nisi remedium adhiberetur, timendum fore scripsit ne prorsus illis in locis quadragesimae memoria aboleretur; sed Dominus ne id fieret sequentibus annis providit, et, ipsa Neapolitana civitate purgata, ignobiliora etiam loca ab his errorum tenebris vindicari facilius potuerunt.

361. Praeter P. Salmeronem quatuor aut quinque ex Collegio Neapolitano egrediebantur, qui dominicis ac festis diebus concionarentur in variis coenobiis atque aliis locis. P. ipse Andreas, Rector, saepe carcere inclusis, saepe incurabilibus, saepissime autem monasterio Conversarum, concionatus est; et P. Hieronymus Otellus, quem in Siciliam P. Domenech inter alios adducebat, ter aut quater Neapoli ecclesiastes egregii officio functus est. Domi etiam nostrae diebus dominicis et festis P. Joannes Franciscus concionabatur; et postquam christianam doctrinam idem juventuti explicasset, singulis diebus, horis praefinitis, a singulis scholasticis rationem ejus reposcebat, et id unice multi suspiciebant, quod tantillos pueros sacramentorum ac praeceptorum Dei tam exactam cognitionem habere viderent [1].

362. Resumpsit P. Salmeron post quadragesimam lectiones [2], ut plurimorum exspectationi satisfaceret, et ejus auditorium numero et auctoritate in dies crescebat. Postquam autem Cardinalis Paciechus ad ejus Regni gubernationem missus est [3], apud eum insignes aliquas conciones idem Pater hubuit.

363. Quod ad scholas attinet, idem ordo tenebatur, de quo

---

[1] Vide infra, n. 364.

[2] In cathedrali ecclesia. Vide infra, n. 369.

[3] "... D. Luigi di Toledo, il cui governo cessò sul principio di questo Giugno (1553), pur venne in mano di un buon succesore qual si fu il Cardinal Pietro Pacecco, affezionato non ordinariamente al Salmerone, fin dalla prima volta, quando, sotto Paolo Terzo, convennero entrambi al Concilio di Trento.„ Schinosi, lib. I, c. IX.

superiori anno scriptum est [1]; sed numquam antea modestia, pietas, numerus et profectus auditorum par fuerat. Addidit P. Andreas de Oviedo casuum conscientiae lectionem; institerat quidem Episcopus Motulae, Cardinalis Archiepiscopi Vicarius [2], ut in cathedrali templo ea lectio fieret; sed rationibus ei propositis, quibus convenire magis probabatur ut domi nostrae legeretur, facile acquievit. Hanc lectionem plurimi sacerdotes, laici etiam non pauci, frequentabant ter in hebdomada; toties enim domi nostrae praelegebatur, et non vulgaris fructus ex eo labore proveniebat; lectionem autem eo usque prosecutus est, donec, propter aestus caniculae satis graves, eam ad tempus intermisit.

364. Libellus quidam christianae doctrinae, Romae concinnatus, Neapolim missus fuerat, ut etiam ad alia loca Societatis; quia tamen paulo longior videbatur, et in quibusdam locis obscurior quam ut pueri eam possent percipere ac retinere, agebat P. Andreas de summa quadam brevissima ex illo educenda. Pater autem Salmeron eidem, ut eam faceret, permisit, sed concinnavit eamdem P. Salmeron quibusdam in locis et quamdam declaratiunculam praeceptis addidit, cujusdam amici hortatu, quibus et aliqua loca contra haereses inseruit; et quia in ea civitate Vicario, ad quem delata est, visa fuit perutilis, et eam approbavit et imprimi jussit; et quia nostri suum nomen addere recusabant, suo nomine Vicarius imprimi voluit, et in virtute sanctae obedientiae praeceptum addidit, ut omnes ludimagistri, qui Neapoli docerent, ea uterentur, et suis scholasticis addiscendam traderent; ad quod maxime ea ratione motus est, quod contra haereses quaedam opportune inserta ibi essent [3].

365. Quidam P. Florentius, de quo superius mentio facta

---

[1] Supra, t. II, an. 1552, n. 253, pag. 518.

[2] Scipio Rebiba, postea Cardinalis et Archiepiscopus Pisanus.

[3] Habent in iis ubi suam industriam exerceant bibliographi, in quorum usum cuncta, quae de hoc catechismo nota sunt, colligemus.

Et 1.° quidem libelli, qui primus Neapolim, sicut in alia Societatis loca, missus hoc tempore fuit, auctorem haud temere Polancum ipsum dixeris. Eritne hic libellus, cujus meminit Sotwell, dum ait: "(Scripsit Polancus) *Doctrinam Christianam*, Italice, Venetiis, per Franciscum Pampazzettum, 1570, in 16.°„; et, post Backer, Sommervogel: "Dottrina cristiana. Venetia. Francesco Pampezzetto, 1570. 16.°„?

2.° De summa quadam ex hoc libello educenda agebat Andreas (de Oviedo) et huic

est, quod sub obedientia Societatis erat, quamvis propter impedimentum quoddam in Societatis corpus non admitteretur, P. Ignatio id concedente, domus orphanorum Neapoli curam gessit; sed quamvis alioqui vir bonus haberetur, quod parum prudentia valere judicaretur, et alioqui facile in ratione gubernationis ab administratoribus dissentiret, ex illo hospitali dimissus fuit, bono tamen cum testimonio. Dicebatur is quibusdam, ad Societatem ingressum [parantibus], frigidam suffudisse; et cum ipse Romam veniret, cupiens in Societatem admitti, non est visum Patri Ignatio id expedire [1].

366. P. Andreas abstinere a vino omnino volebat; sed P. Ignatius jussit ut ad ejus usum rediret, vinum tamen probe diluendo [2].

367. Dominus Garzia de Toledo, Pro-regis Neapolis filius, ex suis stipendiis ac reditibus duo millia ducatorum in pauperum eleemosynas distribuere singulis annis solebat. Has autem, cum per aliquem de Societate distribuere cuperet, quodam alio adjuncto, non improbavit P. Ignatius quod eam curam Pater Salmeron susciperet, cum praesertim pecunia nulla in manus eorum, qui distribuebant, veniret, sed quam ipsi per litteras applicabant, trapezita numerabat. Injunxit autem P. Ignatius

---

ut eam summam educeret permisit Salmeron, qui tamen eamdem quibusdam in locis concinnavit et quamdam declaratiunculam praeceptis addidit, etc.

Sed 3.°, de iis agens Schinosi *(Istoria della Compagnia di Giesù, appartenente al Regno di Napoli,* l. I, c. VIII), quae hoc anno a nostris Neapoli gesta sunt, ait: "..... nell' academia della Dottrina Cristiana, dove i figlioletti, con vicendevoli e prime composte dimande, sotto sembianza di voler imparar l' uno dell' altro, tutti insegnavano a tutti, quanti per curiosità vi accorrevano, i misterii della Fede. Nella quale congiuntura, per opera di Girolamo Vignes, si fè la prima volta passare per le stampe, il *Ristretto della Dottrina Cristiana;* compositione de Gianfrancesco Araldo, riveduta ed accresciuta dal P. Salmerone„: De qua Araldi summa seu *Ristretto,* hoc tantum, post Alegambe et Backer, habet Sommervogel: "(Scripsit jam olim J. Fr. Araldus) *Compendium Doctrinae Christianae.* Neapoli„.

4.° tandem, hanc summam libelli a Polanco scripti, cui concinnandae adlaboraverant Araldus et Salmeron, et, ni forte error hic sit in voce *Andreas* pro *Araldus,* etiam Andreas de Oviedo, suo nomine imprimi voluit Vicarius, qui tunc erat Scipio Rebiba, Motulensis Episcopus.

[1] Vide supra, t. II, an 1551, n. 17, pag. 172, et an. 1552, n. 239. pag. 525.—Polancus, *ex com.*, 21 Jan. hujus anni 1553, Patri Salmeron: "De Don Florentio non accettato et che procurassino testimonio del Governatore delli orfani.„—"Questi era un Sacerdote francese, di santa vita, che havea apreso da quei primi nostri Padri iti in Sicilia, un vivere ed un' operare giusta la forma della Compagnia, di cui solo gliene mancava la vesta da lui fervidamente desiderata, ma per l' ostacolo delle nostre leggi non conseguita, perche havea prima vestito altro abito di altra Regola.„ Schinosi, *op. cit.*, lib. I, c. IV.

[2] Vide litteras a Polanco, *ex com.*, Andreae de Oviedo datas 21 Jan.

ut ex ea distributione nihil in Societatis nostrae utilitatem cederet [1].

368. Ad consolationem aegrotantium et auxilium migrantium ex hac vita fratres nostri ex Collegio interdum mittebantur, tam ad incurabilium xenodochium quam ad alia loca. Ipse autem Vicarius aliqua ex his operibus pietatis fieri postulabat, praedicationem praesertim in monasteriis variis habendam. Et quamvis exiguum erat templum, vel potius sacellum, quo nostri tunc utebantur, frequentia tamen poenitentium illustrius in dies reddebatur; et scholae etiam nobilium filiis numerosiores esse coeperunt, nam supra centum et nonaginta scholastici in eis numerabantur.

369. Sed ut bonus fructus inde proveniens consolationis multum afferebat, et ad Collegium nostrum frequentandum invitabat; ita aliquot parentes et ludimagistri expresse prohibebant suis juvenibus, studiosis praesertim ac modestis, ne ad nostros accederent; timebant enim ne, plus quam cuperent in spiritu proficiendo, consilia Christi sequi et mundo valedicere vellent. Sed in universum, post quadragesimae conciones, simul cum profectu ac moribus bonis crevit etiam bonus Societatis et Collegii illius odor, cum non solum nobiles multi, sed etiam eruditi, ad conciones P. Salmeronis concurrissent, qui conceptam existimationem et animi consolationem ex audito verbo Dei, aliis multis communicabant; et statim post Pascha coeperunt eumdem Patrem sollicitare iidem administratores Annunciatae, ut sequenti quadragesima apud se concionaretur. Tantumdem administratores templi D. Joannis, quod inter tria primaria ad concionandi commoditatem etiam numerabatur [2], curabant; sed ipse P. Salmeron, ad obedientiae praescriptum omnia rejiciens, ab utrisque se expediebat. Quaedam civitatis pars [3], quae nostris affici non poterat, post hujus quadragesimae conciones, longe aliter quam prius de Societate sentiens, affici Collegio valde coepit, et multi nobiles filios suos ad Collegium mittere coeperunt. Dubitabat autem P. Salmeron ubinam lectiones sacrae Scripturae intermissas enarrare oporteret, an in eodem

---

[1] De iis Polancus, *ex com.*, Patri Salmeron 21 Jan.

[2] Vide supra, n. 358, pag. 170.

[3] Subobscure haec dicta sunt, nec nos quidquam certo affirmare possumus circa hanc neapolitanae *civitatis partem,* quam indigitat Polancus.

templo Annunciatae, an in cathedrali ecclesia; utraque enim id videbatur expetere; sed tandem in cathedrali ecclesia visum est expedire ut praedictas lectiones resumeret, ibidem ante quadragesimam aliquot menses explicari coeptas. Quamvis autem lectio casuum conscientiae, ut superius dictum est, in cathedrali ecclesia non fieret, Vicarius tamen valvis ecclesiarum parochialium libellos affigi jussit suo nomine subscriptos, quibus sacerdotes hortabatur ut ad illam lectionem accederent.

370. Suggesserat P. Laynez aliquid de evocando P. Salmerone Florentiam ad praedicationem quadragesimae futurae; sed non est visum P. Ignatio expedire ut eo tempore, cum Neapoli bonus odor augeri et benevolentia civitatis incalescere coeperat, ab eodem P. Salmerone [ea urbs] relinqueretur; nam quotidie manifestioribus signis favorem suum et animi propensionem erga Societatem eadem civitas ostendebat; et quamvis P. Ignatius de removendo P. Salmerone cogitaverat, et ei ut Cardinalem Paciechum de recessu alloqueretur injunxerat, sententiam mutavit, nec Neapoli removendum illum censuit; nam, ut bonus amicus Societatis·D. Hieronymus Vignes scribebat, Collegii fundatio ex praesentia P. Salmeronis bona ex parte pendebat, qui magnopere ejus urbis animos sibi conciliaverat. Dux etiam Montis-Leonis idem suis litteris diligenter persuadebat [1].

371. Facessere negotium intra parietes privatos nostris coepit P. Nicolaus Paredensis, qui in dubium vertebat an teneretur ea facere, quae a superioribus praeciperentur, cum ipsius vota a Superiore admissa non essent; et cum insolesceret benignitate, asperius eum tractare et poenitentias injungere coepit P. Salmeron, et sic humilius agere et quietius coepit; et experientia ostendit cum hujusmodi ingeniis plus profici justitiam servando et non magni faciendo talium operam, quam submisse et benigne tales accipiendo. Sed quod non semper curantur hac ratione interiores morbi, res ipsa docuit; nam hic sacerdos in Societate non perseveravit [2].

372. Cum, rogatu Cardinalis Paciechi, ipso die Sti. Joannis,

---

[1] Vide Polanci, *ex com.*, litteras ad Patrem Laynez 2 Sept. datas.—Item Ignatii ad Ducem Montis Leonis 16 Sept. in *Cartas de San Ignacio,* vol. III, pag. 296 et 425, et ejusdem alias ad cives *del Seggio di Porto*, pag. 297 et 426.

[2] Facessebat etiam negotium Neapoli hoc tempore Joannes Antonius Bononiensis, ut patet ex litteris a Polanco, *ex com.*, ipsi Joanni Antonio datis 12 Aug.

coram ipso et primariis neapolitanae curiae hominibus, concionatus esset [P. Salmeron], (erant, praeter alios regni primores, tredecim Episcopi), gratissima fuit concio Cardinali; quamvis non defuit cui displiceret tam illustre auditorium, quod Episcopos potius in suis ecclesiis quam Neapoli versari vellet.

373. Aliquot paces confectae et odia ex animis hominum expulsa, quae radices altas egerant; et aucta est multitudo frequenter ad sacramenta accedentium et ad pietatis opera incumbentium.

374. Admissus fuerat in Societatem juvenis quidam, cognomine Alvaradus, Neapoli, et, quod inquietus esset, Romam evocatus et ad P. Laynez Florentiam missus. Hic, cum sibi dimissionem imminere suspicaretur, in cubiculum Patris Laynez ingressus, aliquas ad eum missas litteras sustulit, in quibus P. Salmeron aliqua familiariter et libere de quibusdam magnatibus scribebat, qui erga Societatem nostram parum esse affecti videbantur; alias etiam litterulas, quibus secreta scribi solent, eodem modo furatus est, quia, ut Provincialis, tales litteras nonnullas [P. Laynez] habebat. Juvenis ergo ille, his armatus litteris, Neapolim rediens, minari et molestus esse coepit, et litteras illas se velle ostendere eis, qui perstringebantur, significabat, ut nocumentum P. Salmeroni inferret, et Episcopis se velle easdem litteras ostendere jactabat. Curavit quidem Pater Salmeron huic insolentiae obviam ire; et, quamvis facile potuisset in carcerem juvenem detrudere, maluit tamen quemdam mittere de nostris, qui rationibus ei persuasit ut litteras illas combureret, quamvis dubitabatur an omnes combussisset. Quod ideo retuli, ut videatur caute scribendum, et cautius etiam litteras secretas esse servandas, ne in eas similis aliquis involet [1].

375. Quamvis nostri rerum necessariarum penuria initio hujus anni premerentur, illi, qui conciones P. Salmeronis audierant, eleemosynas, pro more aliorum concionatorum, emendicare in ejus usum voluerunt; sed tantum abfuit ut permitteret P. Salmeron, ut etiam clam delatas domum, quia propter con-

---

[1] Polancus, *ex com.*, Patri Laynez: "Del tener serrate le cose, non è di maravigliar se V. R. impari, massime a sue espesse, quello che prima non gli accadeva imparare, essendo persona particolare et non conversando senon con li buoni; et almeno di questa cautela saremo debitori all' industria d' Alvarado.„ 5 Aug.—Nec solum a Patre Laynez, sed etiam a Patre Bobadilla litteras surripuisse jactabat Alvaradus, ut videre est in iis, quas Polancus hac eadem die 5 Aug. dedit Patri Salmeron.

ciones mitti videbantur, referri ad donatores jussit; quae res non parum favorem concionibus partum auxit.

376. Ex consessu portus (Seggium neapolitani vocant [1]) litterae ad P. Ignatium missae fuerunt, quibus eum obnixe rogabant ut in templo D. Joannis, de quo superius mentio facta est, P. Salmeron sequenti quadragesima concionaretur. Cum autem id P. Salmeroni committendum videretur, ita tamen ut Pro-regis ratio haberetur, si ad unam potius quam ad aliam ecclesiam ejus animus inclinaretur, et is se ad hoc ipsum propensum ostenderat, satisfactum est illi nobilium congregationi, et, ut suam operam eis P. Salmeron addiceret, injunctum est [2].

377. Erat quidem alius concionator designatus ut in illo suggestu Sti. Joannis concionaretur; sed illi nobiles a Vicario, qui suggestum illum promiserat, impetrarunt ut cederet, quod libenter ille fecit; et haec promissio huic nobilium congregationi facta, excusatio fuit apud administratores Annunciatae, qui litteris ab eodem P. Ignatio hoc ipsum postulabant [3].

---

[1] "La più oscura materia, e curiosa che della Città di Napoli si può discorrere, è il trattar dei Seggi.„ Ita Summonte, *Historia della Città e Regno di Napoli,* lib. I, c. VIII, ubi *De i Seggi di Napoli, loro origine, regimento e prerogative.* Quare, ne in errorem inducantur ii, quibus veteres hujusmodi Neapolitanae civitatis usus ignoti sunt, aliqua ex ipso Summonte exscribere hic lubet. Ait autem: "Ne erano per ogni strada uno e più: quindi Notar Roggiero Pappansogna, nella Cronica del Seggio di Montagna, da lui fatta a 2 di Maggio 1423, cavata da' Registri del Tribunal della Città in S. Lorenzo, dà notizia di molti Portici di quella regione, da lui chiamati *Seggii,* ciascun' de quali contenea 6, 7 ed 8 famiglie registrate ne' libri della Città....; in detto Seggio, come in detta Cronica si vede, s' univano ne i parlamenti e occorrenze le infrascritte famiglie Nobili habitanti in detta piazza (Somma Piazza), cioè Boccatorta, Cappa Santa, Manta Marogana, Paladina, Pizzone Rocchi, e Rossi del Leone....

„Il Seggio di Porto fu edificato ove si vede, nè mutò altro luogo, del che è testimonio il Leone sù 'l campo de' Gigli che si scorge di sopra, impresa del medesimo Carlo I, nel tempo del quale fu eretto, benche nella nostra età riformato ed abellito; prende nome dal porto che ivi fu anticamente per sicurtà de' vascelli, come il Villani nella Cronica, lib. I, cap XIII, del che fa testimonianza l' antica consuetudine fin' a' nostri tempi osservata dalla Communità de' Marinari della Città di presentare ogni anno a questo seggio nella Vigilia di Natale una barca navigabile, ed ivi nella prima hora della notte si bruggia, in memoria che quivi fu l' antico Porto.....„

"Hanno anco il regimento di molte chiese e luoghi pii, la maggior parte insieme con quei del Popolo.„ Hinc ad eos attinebat, concionatores pro ecclesiis sibi subjectis advocare.

Ex iis autem, quae ibi fuse disserit Summonte, facile colliges alium sibi olim scopum in hac *Seggiorum* institutione Neapolitanos nobiles proposuisse praeter eum, quem in vol. III, *Cartas de San Ignacio,* pag. 297, not. 2, auctoritate innixi Christophori Suarez de Figueroa diximus, sc., "á fin de pasar el tiempo con honrosos ejercicios„.

[2] Ignatii litteras habes in vol. III, *Cartas de San Ignacio,* pag. 297 et 426, ubi pro *Porta* scribendum *Porto* videtur.

[3] Ignatii responsum administratoribus seu protectoribus Annunciatae vide in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 317 et 435. Exstant et aliae de hac re ad Patrem Salmeron datae 21 Oct.

378. Praefectus Academiae vel Universitatis Neapolitanae, Episcopus Castelli-Maris [1], agebat de duabus cathedris theologiae instituendis, in quarum altera Magistrum sententiarum, in altera Scriptura praelegeretur. Has autem, cum centum aureis annuis pro singulis earum, Societati nostrae commendare cupiebat; sed quia nostrae constitutiones non ferunt obligationes hujusmodi, nec etiam stipendium pro lectionibus theologicis accipere, quod offerebat non est admissum.

379. Spiritualia exercitia multis proposita fuerunt; et ut illi homines egregio ingenio praediti erant, et ad meditationem atque orationem idonei, ita in illis mirum in modum profi-ciebant.

380. Numerus Collegialium [2], sub autumnum, duodecimum non excedebat; quamvis enim aliquos admisissent ac retinuissent, alios tamen Romam miserant; et res est consideratione digna, quod tam pauci tam variis multisque functionibus satisfacerent.

381. Virgines complures, ex his, quae nostris confitebantur, virginitatem voto Domino consecrarunt, et in jejuniis et variis corporis castigationibus ac magna humilitate in bono proposito perseverabant. Septem ex una familia, inter alias, se in hostiam vivam et Deo placentem Domino sic obtulerunt [3].

382. Novembri mense ineunte, studia Neapoli renovata fuerunt, tribus orationibus pronunciatis et aliis carminibus, cum frequenti ac nobili auditorio. Aderant enim multi ex principibus Regni, Duces aut Comites, consiliarii Regii et alii viri docti, quibus abunde satisfactum est, et cum aedificatione ac laeti ex Collegio recesserunt. Inter alios lectores erat magister Theodorus Peltanus, cujus eruditio ab omnibus facile cognosci poterat; sed, quia ejus pronunciatio satis peregrina videbatur, libentius alium praeceptorem minus eruditum, sed suavius pronunciantem quam illum, habuissent.

383. Confraternitas quaedam erat insignis Neapoli, quam

---

1 Castelli-maris, seu potius Castri maris aut Stabiae (Castellamare) Episcopus erat Joannes Fonseca, "huom dottissimo, che come Reggio Cappellano Maggiore governava detti studii, e che gli anni addietro, a tempo del Concilio di Trento, havea conosciuta ed amata la Compagnia„. SCHINOSI, l. c.

2 Patrum, sc., ac fratrum Societatis.

3 Ultimam hanc periodum a verbo *Septem* manu propria Polancus inseruit.

Alborum vocant, in qua multi nobiles erant et iis animandis et juvandis vacabant, qui extremo supplicio afficiendi erant [1]. Cupiebant autem aliqui ex amicis Societatis aliquem ex nostris huic Congregationi interesse, qui eodem indutus habitu albo, hoc officio pietatis tamquam unus ex ea confraternitate fungeretur. Quamvis autem magno esset in pretio haec confraternitas, et valde pium opus exerceret, non judicavit P. Ignatius expedire ut nostri sese vel huic vel alii confraternitati adjungerentur; quamvis sine illo habitu et juxta institutum ipsum Societatis parati essent nostri ad suam operam morituris impendendam [2].

384. Non omittam quod accidit Patri Salmeroni apud Proregem [3]. Cum enim aliis de rebus egissent, Cardinalis jussit aprum quemdam et capram in Collegium nostrum ad esum Collegialium deferri. Illi autem Cardinalis famuli, qui donum hoc ferebant, quia Romae nostros Theatinos vocari audierant (hic enim error, postquam inolevit apud vulgus, perdifficile admodum erat eum exstirpare), de Collegio Theatinorum petebant ubi esset. Homines autem deduxerunt eos ad monasterium clericorum regularium, qui hoc nomine Theatinorum verius vocari poterant propter Cardinalem Theatinum; et ita aprum et capram ipsis donarunt; nostri enim Neapoli sub nomine Societatis Jesu cogniti erant et vocabantur. Hanc occasionem nactus P. Sal-

---

[1] "La illustrissima Congregazione de' Bianchi, fondata nel secolo anteceduto dal B. Giacomo della Marca; e, su i primi tempi del succeduto, da virtuosissimi personaggi ristorata: la quale fra le altre opere di carità cristiana, particolarmente s' industria di confortar quei miserabili che dalla Giustizia vengon destinati al carnefice. Era il Duca (di Montelione) membro di essa Congregazione, che per quella stagione, in buona parte si componeva di laici.... Usò dunque gratitudine al Duca il Vignes, arrollandosi a quella Congregazione, e servandole quell' affetto che v' impiegò vivendo e le dimostrò morendo.... Egli (il Duca di Montelione) adoperò che anche la Congregazione de' Bianchi suddetta impiegasse la sua opera su la venuta della Compagnia in Napoli, con quanto a noi di reputazione, per le tanto riguardevoli persone onde fin da quell' ora si formava quella Comunità, con altretanto di ajuto per le continuate limosine, ond' essa, che ci havea quì voluti, ci volle ne' tempi appresso proveduti. SCHINOSI, *Storia della Compagnia di Giesù appartenente al regno di Napoli,* parte prima, lib. I, cap. IV, "la quale, mediante tre o quattro coppie de' suoi qualificati Congregati usò di limosinar per Napoli ogni sabbato ad alquanti anni, in beneficio del nostro Collegio, allora quanto affaccendato ne' suoi ministerii, tanto travagliato da strignenti bisogni.„ *Ibid.,* lib. V, cap. VI.

[2] Ex his, quae in praecedenti annotatione collegimus, facile patet quantum huic *Alborum* Congregationi Neapolitanum Collegium deberet. Movit igitur id Ignatium ut suos hortaretur ad juvandam quantum possent illam Congregationem; minime vero ut quidquam contra Societatis institutum admitteret. Vide litteras ad P. Salmeron datas 3 Dec.

[3] Cardinalem Pacheco.

meron, Cardinalem allocutus est, et rogavit ut familiae suae injungeret, ut nostro nomine et non alieno, scilicet, Theatinorum, nos vocarent, quod ille fecit; et ita cum aliquid aliud nostris mittebat, expresse suos admonebat, ut non de Theatinorum domo sed de Collegio Societatis Jesu peterent. Patres illi Theatini utilem operam civitati Neapolitanae navabant in confessionibus audiendis, et jam tunc significabant gratum sibi fore in eamdem convenire cum nostris congregationem, et se nostris communicaturos esse dicebant pulchrum illud templum, quod Neapoli in optimu situ habent. Sperabat nihilominus jam tunc P. Salmeron suae minimae Societati Dominum prospecturum esse, nec Patri Ignatio ad Dei gloriam fore hujusmodi unio videbatur [1].

385. Cum quadam ex dominicis adventus coram Cardinale Pro-rege P. Salmeron concionatus esset, et deinde eum fuisset allocutus de alio pietatis opere, addidit recessisse Neapoli Ducem Montis-Leonis, qui Collegii illius singularis protector erat [2]. Subjecit Cardinalis se velle Collegii protectorem esse, quod et operibus verum esse ostendit.

386. Jam inde ab anno praeterito congregatio quaedam ad captivos redimendos cupiebat opus illud conjungi cum Collegio nostro, vel saltem in illo cubiculum aliquod habere, ubi suas congregationes facerent; neutrum tamen expedire visum est Patri Ignatio, sicut nec Patri Salmeroni videbatur, et ita verbis honestis se excusarunt. Postea, adhibitis Pro-regis Siciliae et aliorum litteris, P. nostrum Dominicum Rivam postularunt ut hoc munere fungeretur; et ne id quidem concedi debere visum est, licet Pro-regis arbitrio id P. Ignatius reliquisset; tam multas enim rationes, ut judicari posset id non convenire, illi propositae fuerunt, ut non mittendum esse Dominicum nec alium ipse censeret; quamvis aliqua occasio tunc acciderat, quae non parum ad id concedendum [movere] poterat [3].

---

1 Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Salmeron: "1.° Che non ci scrive la risposta che li fece il Cardinale sopra il levarci il nome che non è nostro. 2.° Che non conviene che li Padri Teatini siano uniti alla nostra Compagnia....„ 23 Dec.

2 Recesserat is cum praecedentis Pro-regis filio, Garcia de Toledo, ad bellum Senense.

3 Ignatii litteras ad Siciliae Pro-regem, Joannem de Vega, habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 357; et ibidem, pag. 355 et 452 ejusdem Ignatii litteras ad Administratores Confraternitatis pro redemptione captivorum. Harum litterarum apographa die

387. Cum enim ex Hispania tres nostri sacerdotes, Patres, scilicet, Joannes Couviglionius, Joannes Guttanus et Petrus Canalis, ut Romam navigarent, Barcinonae sex menses exspectassent, tandem in quadam oneraria navi, postquam turcica classis recesserat, in Siciliam trajecerunt; et cum essent Panormi, ut ne in piratarum manus inciderent, laborioso itinere terrestri Messanam se contulerunt. Inde naviculam conscendentes ac semper litus legentes, cum totam noctem navigassent, Chirellam pervenerunt die decima Decembris. Habet pagus ille, qui est in excelso colle, ex adverso insulam, exiguam quidem, sed quae piratarum navigia celare possit. Cum ergo circa illam insulam remigarent, nam ventus defuerat, quidam ex christianis conspicatus est Turcarum biremem, quae etiam tota nocte navigaverat, et tunc, scilicet summo mane, eo pervenerat. Nostrorum navigium statim insequi coepit, qui in remos etiam incumbentes, prius ad terram pervenerunt quam turcae eos consequi possent; nam et ipsi defatigati lentius quam solent navigabant.

388. Egressi christiani in terram fugae se dedunt, et inter dumeta vicina litori se abscondunt. Cecidit in itinere P. Joannes Guttanus, et ideo minus 'opportuno loco quam alii se locavit. Egressi pauci turcae ex piratis, qui fugientes insequebantur, hunc Patrem inventum capiunt et, manibus post tergum vinctis, ad mare mittunt. Interim tamen, dum e latebris alios quaerunt ac venantur, illius oppidi Chirellae militum praefectus cum armatis militibus properabat, opem christianis allaturus; et hi in causa fuerunt ne reliqui ex nostris caperentur, nam turcae, militum adventu intellecto, ad mare se recepe-runt, et statim vexillum pro more ad redemptionem erexerunt, et pro Patre illo quinquaginta aureos petebant. Nostri autem mutuo summam illam conflare studebant; sed postea, ducti poenitentia, quod parum postulassent, piratae, trecentos aut quadringentos aureos postularunt; itaque, cum non inveniretur pretium illo in oppidulo a nostris, parum cognitis, turcae bo-

---

17 Dec. missa sunt Neapolim Patri Joanni Francisco Araldo, ut in agendo cum Administratoribus Confraternitatis supradictae nihil contra Ignatii mentem pollicerentur. Ignatii autem mentem aperuerat Polancus binis litteris ad Patrem Salmeron datis 16 Sept.

num Patrem secum adducunt et cum alia praeda in Africam deducunt.

389. Pater ille, natione gallus, philosophiae ac theologiae in Hispania operam dederat, et, ut ingenio egregio erat praeditus, sic profecerat, ut in eruditum philosophum ac theologum evaderet, et in magna operariorum paucitate, pernecessaria ejus et similium opera Societati videbatur; sed judicia Domini abyssus multa. Curavit quidem P. Ignatius diligenter per nostros, qui Neapoli et in Sicilia versabantur, eum redimere; et tandem Joannes de Vega, Pro-rex, dedit captivum quemdam, qui in pretio apud Saracenos habebatur, ut cum P. Joanne Gottano permutaretur. Sed ea fuit piratarum impietas in homine alioqui studioso et sedentario, nec laboribus corporis assueto, affligendo, partim laboribus, partim verberibus, ut, antequam redimi posset, ex hac vita ad Dominum migraverit. Sed haec posterius acta sunt [1].

390. Interim haec occasio movere poterat, ut superius dixeram, ad nostrum alium, qui petebatur, concedendum, ut semel saltem ad redimendos captivos se conferret. Sed cum aliam viam tenere vellet ad ejus redemptionem P. Ignatius, ne hoc quidem Congregationi Redemptionis concedendum duxit. Volebant enim ut in Africa resideret, et eum periculo non exponendum judicavit, nec ostium aperiendum ut illius Congregationis negotiis nostri se immiscerent [2].

391. Hoc anno agere Dominus Hieronymus de Fonseca de Collegio Hierosolymis instituendo coepit; sed eodem hoc anno morte praeventus, versus Hierusalem coelestem ipse migravit. Inter alia tamen pietatis opera, Collegii nostri in suo testamento memor fuit [3]; et quodvis auxilium erat opportunum, praesertim

---

1 Polancus, *ex com.*, Patri Laynez ei injungens ut Siciliae Pro-regi, Joanni de Vega, scribat de redemptione Patris Joannis Gottani, 30 Dec. Idem eadem die Patri Salmeroni ut strenue adlaboret in redimendo Joanne Gottano. Vide infra, n. 505.

2 Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 355 et 356.

3 Fuerat is, de quo jam saepius facta mentio est in hoc *Chronico*, t. II, Regens Vicariae Neapoli, *Reggente della Vicaria;* Vide *Vita di Don Pietro di Toledo*, scritta da SCIPIONE MICCIO, c. 35. *Reggente della gran Corte della Vicaria*, V. *Sommario per ordine di anni, delle Prammatiche più notevoli, pubblicate nel Regno, a tempi della vicereggenza di* D. PIETRO DI TOLEDO, *secondo si leggono nel Corpo delle Prammatiche del Regno.*

Nec dubium esse potest quin is idem ille sit, cujus meminit ROCCHUS MENCHACA his verbis: "*Quoniam Orlandinus inter praecipuos Collegii Neapolitani auctores, qui litteras ad Ignatium dederunt, Hieronymum etiam Fonsecam dinumerat, gerendum hic morem censeo viro erudito, qui ex Hieronymi opere de Praedestinatione, in 8.°,*

sub initium hujus anni; tanta enim premebatur penuria, ut P. Ignatius facultatem mendicandi ad eos miserit, et tamen P. Salmeron coeperat hoc mendicandi munus apud aliquos copiosos viros exercere. Postquam autem concionatus est in quadragesima hujus anni, et postquam advenit novus Pro-rex Cardinalis, subsidia copiosiora Collegium habuit; et ita cogitari coeptum est de publica aliqua eleemosyna, favente Prorege, curanda, ut domus propria emeretur; nam poterant tria vel quatuor millia ducatorum hac ratione obtineri, quamvis illi amici, qui initio multa polliciti fuerant privatim, minus multa opere praestitissent. Simul atque ergo Cardinalis accessit, ex poenis subsidia quaedam nostris applicari jussit. Publice etiam civitas non mediocrem farinae copiam dedit, et de aliis subsidiis aliquid sperandi occasionem non exiguam praebebat; et inter caetera, de quibusdam reditibus octoginta fere ducatorum, qui lectori grammaticae dari solebant, spem dederant; sed alia ratione ad sustentationem nostrorum viam Dominus aperuit.

392. Significavit P. Salmeron Cardinali qua ratione Colle-

---

sine loci nec anni annctatione, sed, ni fallor, edito Neapoli hoc anno 1551, haec ad me humanissime in eruditorum gratiam transmisit: Dominici *(sic)* Hieronymi Fontis sicci, equitis Galletii, Arcis Consentinae Caes. Praefecti, Brevis et optime dilucidatus de Praedestinatione Tractatus. Opus dicatum Petro Toleto, Marchioni de Villafranca, Pro-regi Neapolitano.—*Sed ante hanc dicationem exstat alia ejusdem auctoris:* Ad Reverendum Dominum et virtutibus ornatissimum, ac sacrae paginae Magistrum Ignatium de Loyola, Generalem ac totius principalem Fundatorem insignis Ordinis Jesu, Hieronymus de Fonseca.

Ignati, fulgens Hispanae gloria gentis,
Qui regis Unigenae sacra chorumque Dei,
Scripta licet magno sint haec addicta Toleto,
Cujus in Hesperia nomen utraque viget;
Ut tua, quaeso, tamen relegas, partemque cohortis
Exiguam vestrae me precor esse putes.
Et merito cum sis illi pietate secundus,
Est tibi versandum religionis opus.„

Epistolae Sancti Ignatii Loyolae, lib. III, n. 104.

Eruditus autem vir, cui morem, haec scribens, Menchaca gerebat, erat P. Diosdado Caballero, qui in *Bibliothecae Scriptorum Societatis Jesu Supplemento primo* haec ait: "En integram Fonsecae dicationem, quam cum Ignatio Guerra communicavi, ut illam mitteret ad eruditissimum Rocchum Menchacam, de nova editione Epistolarum D. Ignatii tunc cogitantem.„ Prius dixerat tractatum Fonsecae esse *in 12°*, et addit: "neque loco, neque anno editionis designatis, qui fortasse fuit annus 1551, quo subscripta est epistola Antonii Ferrarii Lupiensis ad Fonsecam, quae exstat in laudati tractatus fine.„

gium nostrum Neapolim venisset, et quod nec domum habebat propriam, nec unde sustentaretur. Ille autem, amanter respondens, rem jussit cum Duce Montis-Leonis et Regente Francisco Antonio Villanova conferri, qui convenire inter se coeperunt ut rationem inirent ad utrumque praestandum. Accenderat animum Cardinalis, satis alioqui propensum, commendatio Proregis Siciliae Joannis de Vega; et ita cum illa referrentur Cardinali, quae duo illi primarii viri tractaverant, non difficilem se ad omnia commoda Collegii praebuit. Verum incommode illud accidebat quod Regens Villanova ex illis erat, qui opus redemptionis Collegio nostro conjungi cupiebant; sed praevenit Cardinalem Pater Salmeron et multis rationibus id non convenire ostendit, nec P. Ignatium id unquam probatu-
rum. Rogavit itaque Pro-regem ut Regenti Villanova supersedendum ab hujus unionis tractatione diceret.

393. Approbante ergo Cardinale ut proponeretur populo a Duce Montis-Leonis et regente Villanova, ut efficacius, quod volebant, obtinerent, quemdam huic operi adversarium, qui auctoritate pollebat, imprimis conciliarunt, et a populo duo millia ducatorum, ex quadam alia summa deducendorum, obtinuerunt ipso die Sti. Matthaei; et tam is, quem *Electum populi* vocant [1], quam consultores, ea conditione dederunt, ut nostri docendi munus, quod coeperant, non omitterent. Quia tamen exactio vix intra unum annum fieri poterat, aliquam rationem ineundam esse putarunt ut, dum major illa summa exigeretur,

---

[1] Electus populi, *l' Eletto del popolo,* Neapoli dicebatur is, qui ad gerenda, simul cum Nobilibus a suis *Seggiis* electis, civitatis negotia et ad aerarium civitatis custodiendum, a populo eligebatur. "Tutto cio si conferma da quel che si legge in un registro del Regimento del Popolo dalli 13 di Gennaro 1496 fin' all' ultimo di Giugno del medesimo, il quale si conserva per Martio Fontana Secretario di quello, nel quale si vede che il Popolo havea l' intiero governo della Città, e con prudenzia e sagacità degli honorati Cittadini reggeva il publico, e che l' Eletto co' suoi deputati (hos Polancus vocat hic *consultores)* e capitani delle piazze soli, e non altri tenevano carico di mandar in Sicilia ed in altri luoghi a comprare e far provisione di grani, per servigio e grassa della Città, de' proprii denari della Communità; e quando non bastavano, essi del governo con altri Cittadini prestavano diverse summe di danari, e quando occorreva far partiti di grani con mercanti per grassa della Città, l' Eletto con i suoi n' haveva il carico.... Consegnavasi al detto Eletto l' hasta del Palio nella Processione del Santissimo Sacramento....„ SUMMONTE, l. c., cap. VI, *Dell' antica e moderna Politia della Città di Napoli,* ubi etiam Seriem apponit Electorum Populi ab anno 1496 ad 1592, ex qua haec nomina ad rem nostram deducimus:

"Geronimo Certa, Maestro attuario criminale, creato a 17 di Xbre. 1552.
Giulio Canciano, creato a 24 di Giugno 1553.
Geronimo Certa, il procuratore, eletto la 2. volta a 27 di Xbre. del medesimo.„

haec duo millia ducatorum ad emendae domus usum applicarentur. Consessus (quos *Seggios* appellari diximus) de aliis duobus millibus ducatorum applicandis, ex situ quodam vacuo prope muros urbis, egerunt, et suum ad id jus donarunt; quia tamen litigabat cum Imperatore civitas, quia dubium erat num ad ipsum an ad civitatem pertineret, suscepit Cardinalis negotium eidem Imperatori scribendi, ut ad Collegii fundationem aliquot millia ducatorum super eodem situ applicaret. Privatus etiam quidam vir ad emptionem domus mille ducatos mutuo dare, centum autem omnino donare promiserat; et ita agi coeptum est de domo coëmenda [1]. Quia tamen victus magis urgere videbatur, proposita est Cardinali ratio quaedam Collegium nostrum sublevandi; et haec erat, quae subdetur.

394. Societas illa Alborum, de qua superius egimus, ex eleemosynis, quas petere solebat, fere sexcentos aureos singulis annis in pauperum subsidium exigebat; sed petitionem praedictae eleemosynae D. Petrus de Toledo Pro-rex prohibuerat. Suggesserunt ergo amici ut a Cardinale permitteretur ad morem pristinum redire, et eam eleemosynam Collegio applicari posse. Restituit Cardinalis facultatem eam petendi; sed quia aliqui proponebant ut media pars illius in Collegii usum cederet, alia autem media hospitali incurabilium applicaretur, hoc tandem probavit Cardinalis, ut inter haec duo pia opera ex aequo eleemosyna divideretur, et inde ad aliquot annos fere trecentos aureos annuos Collegium habuit [2].

395. Locum quemdam Societati assignare nonnulli volebant, qui ecclesiam pulchram satis, licet non amplam, habebat; sed domus arcta et situs parum salubris erat, et quibusdam obligationibus erat obnoxius; et ideo, quamvis reditus haberet centum octoginta scutatorum, significavit P. Salmeron Collegio nostro minime convenire. Mutata ergo sententia, amici palatium quoddam emere, quod in medio urbis erat et saluberrimo aëre fruebatur, et quinque millibus aureorum ejus dominus libenter nostris vendebat. Susceperat autem Cardinalis negotium aliquid ab Imperatore impetrandi, tum ad domus emptionem, tum

---

1 Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Salmeron gratulatur de Pro-regis, et civium neapolitanorum benevolentia deque iis, quae in favorem Collegii ibi tractantur, 10 Dec.

2 Vide supra, n. 383, pag. 180.

ad reditus; et ita civitas ipsa et Cardinalis, mense Decembri, Imperatori scripserunt satis officiose, et quatuor millia ducatorum ad domus emptionem, et quadringentos aureos vel quingentos annui reditus ab eo postularunt; hoc enim deputati a consessibus, simul cum Duce Montis-Leonis, faciendum esse constituerant. Ipsa etiam civitas ad centum et quinquaginta aureos annui reditus facile dare posse cum consensu Cardinalis videbatur ex quibusdam locis. Quidam etiam pius amicus quingentos aureos Collegio donavit ad hoc ut reditus aliqui ex illis emerentur, et idem majora facturus sperabatur [1].

---

396. Petebatur ex parte cujusdam Antonii, Neapolitani, quem in Societatem admitti non debere judicatum fuerat, ut eum saltem sub obedientia sua Societas admitteret; sed P. Ignatius ne hoc quidem censuit faciendum, sed ei significandum quod Societas praestare in hujusmodi solet, ut scilicet, consilio eos juvet in rebus spiritualibus, qui nostris sacerdotibus confitentur.

397. Quidam Petrus Sanctinus, qui aliquando in Societate fuerat, non tamen professus, ob domesticorum necessitates, quibus ejus opera necessaria videbatur, dimitti se a Societate postulaverat, vir alioqui bonus ac pius [2]. Cum postea de eo rursus admittendo P. Laynez ageret, scripsit ei P. Ignatius ut, si eum judicaret aptum ad laborandum in Societate ad Dei hono-

---

[1] "Due affezionatissimi e di lui (Rectoris, Andreae de Oviedo), e della Compagnia, il Regente Villanova, e Pietro Antonio Castigliar, Barone di Vervicaro, da cui, come dicesi, dependono i presenti Marchesi di Grumo, gli offersero la casa di Giantomaso Carafa, presso Seggio di Nido, luogo il più a proposito di ogni altro. Si approvò l'abitazione col sito, e si convenne nel prezzo di tremila ottocento ducati; i quali il Carafa, usando rigore, voleva tutti presentemente, diffidandosi di poscia riscuoterli da' Padri, gente povera, e a cui sino il vitto era incerto. Laonde, si sarebbe senza fallo dissoluto il trattato, se il solo Barone Castigliar (perche il Villanova, come padre di tutti i poveri era povero di sustanze) non havese riparato col proprio danaro, per rimborsarselo dappoi, come avvenne. La qual sorte di beneficio praticò il Castigliar nuovamente, indi a qualche tempo, quando con prezzo maggiore si comperò la casa de' Commiati, contigua al giardino del Carafa, concedendo al Collegio il commodo di sei anni per la restituzione.„ SCHNOSI, l. c.

[2] Die 25 Aug. hujus anni scripsit Polancus, *de ordine di Nostro Padre*, Petro Santini, eum exhortans ut Montem-regalem in Sicilia se conferret ad quemdam suum conterraneum, Vincentium de Nobili, qui illius loci Gubernator erat.

rem, eum admittere posset, et non aliter quam de ipsa recesserat.

398. Cum quatuordecim simul in Siciliam primo vere hujus anni mitterentur, et Neapoli subsistendum illis esset aliquandiu, praemonendum duxit P. Ignatius P. Salmeronem ut aliquod hospitale, in quo exciperentur, paratum haberet; facile enim credebat quod in ipso Collegio nostro tam multi, non sine sua et aliorum incommoditate, teneri possent.

399. Inter eos, qui admissi sunt in Collegio Neapolitano hoc anno, fuit P. Joannes Nicolaus, Calaber, qui statim Romam missus est, ubi suum tirocinium deposuit [1].

400. Hoc ipso anno Neapolim et ad alia loca scriptum est, ut omnes confessarii Societatis, et hi praesertim, qui juvenum et foeminarum confessiones audirent, semper ad latus suum poenitentes constituerent, et aurem ipsis praeberent, manu apposita ut adspectus excluderetur; nec umquam coram se hujusmodi poenitentes haberent. Romae hoc idem instituerat [P. Ignatius], et ad id sindicum sacristam ipsum [constituerat], qui poenitentiam confessariis injungere posset, qui hoc non observassent, quantumvis simpliciter et incogitanter contra hanc regulam fecissent [2]. Multum etiam commendatum est

---

[1] Joannes Nicolaus de Notariis. Vida supra, n. 355, not. 1, pag. 169, et Patrignani, *Menologio,* t. II, 12 Maji, et Gianstefano Remondini, *Della Nolana ecclesiastica storia,* t. III, lib. II, cap. V.

[2] Ut hoc recte intelligatur quod injunctum fuit ab Ignatio quodque in regula Sacerdotum Societatis 15.ª sancitum est, probe animadvertere oportet confessionalia ante Tridentini Concilii tempora non eam habuisse formam, quam nunc habent, sed ubique fere scamna seu sedilia fuisse, aut mobilia, aut muro, in choro vel ad altaris tergum, affixa, ut ex veteribus monumentis aperte evincitur. "Beichtstühle von besonderer Einrichtung, ait Heinrich Otte, licet heterodoxus, in iis describendis rebus vere accuratus, wie sie anscheinend erst seit dem Tridentiner Concil in katholischen Kirchen gebräuchlich geworden sind (mit hohen Aufbau, Mittelwand, Sprechgitter und Vorhang) sind im M. A. nicht nachgewiesen; der Confessionar sass, wie bildliche Darstellungen des Bussacraments erweisen, auf einem gewöhnlichen Lehnstuhle (hinter dem Altare, wo, z. B. in Kleineren Kirchen Altbayerns, dergleichen Stühle noch jetzt befindlich sind; und der vor ihm knieende Confitent empfing durch Handauflegung die Absolution)„. Et infra, nota 5: Vgl. Kirchenschmuck 1862. S. 10.–Den daselbst angeführten Beispielen von bildlichen Darstellungen der Beichte kann noch der Altar in der Stadtkirche zu Wittenberg (Schadow, J. G., Wittenbergs Denkm. No. 15) hinzugefügt werden. Der Beichtstuhl hat hier eine hohe, oben verzierte Lehne: die männlichen Confitenten stehen rechts, die weiblichen links hinter dem Beichtvater, vor welchem zwei Männer knieen, ein Bussfertiger rechts, ein Verstockter links.„ *Handbuch der Kirchlichen Kunts-Archäologie des Deutschen Mittelalters* von Heinrich Otte, I, B. c), 47, pag. 203.

In Congregatione Societatis septima, an 1615-1616 habita, Decr. LXXX, § 12, cum jam cratium usus ubique praevaluerat, ex *Instructione III pro Confessariis,* § 2, additum

eisdem confessariis, ut ab eis foeminis piis, quae crebro confitebantur, quam brevissime se expedirent.

401. Superius diximus admissum fuisse in Societatem Octavium quemdam [1], Secretarii Ducis Montis-Leonis filium, et in Siciliam transmissum. Ejus parentes per eumdem Ducem agere coeperunt de filio Neapolim reducendo; et illi quidem ad domum suam, sed ipse Dux ad Collegium nostrum remittendum intelligebat; sed tam impotenti *(sic)* affectu mater hunc filium diligebat, ut existimarent nostri perinde esse Neapolim adduci juvenem, et a sua vocatione averti. Cum ergo scriberet Dux P. Ignatio, rogaretque ut Neapolim mitti juberet hunc adolescentem, ut possent parentes ejus vocationem cognoscere, et ita in eo conquiescere, respondit P. Ignatius optare se quidem, salva conscientia, ipsi et parentibus Octavii satisfacere; sed, juxta Doctorum sententiam, peccatum esse quemquam a religione revocare; se tamen in Siciliam scribere ut, si juvenis voluerit Neapolim venire, veniat; cogi autem ipsum minime oportere. Tamen ad P. Paulum [2], Collegii Panormitani Rectorem, scripsit [3] hanc esse Patris mentem, ut non mitteretur Neapolim. Recusabat vehementer P. Salmeron adventum hujus juvenis, quia noxium admodum fore suo Collegio et perturbationis plenum censebat; ipse autem juvenis etiam timebat sibi, et ideo patrem orabat, ne se Neapolim venire juberet; et hoc responso patri ejus satisfacere conatus est [4].

402. Interim mater ejus duos famulos misit in Siciliam cum epistola Ducissae de Monte-Leone et litteris extortis P. Salme-

---

est Regulae Sacerdotum 15.ae: *Mulierum confessiones non audiantur nisi ad crates, etiamsi sint puellulae.*

1 Hunc *Octavianum* appellavit supra, n. 355, Polancus, nunc autem et alibi saepius *Octavium;* et *Ottavio* eum dicit Schinosi. Verum adolescens ipse *Octavianum* scipsum manu propria subsignabat.

2 d' Achillis.

3 Ita in mss.; videtur tamen scribendum *scripsi*.

4 "Circa Ottavio Nostro Padre ha ricevuto diverse lettere et anche una del medesimo, dove fa grande istanza acciò non lo lasci Nostro Padre venir a Napoli per il gran pericolo, che teme meritamente. V. R. ha fatto buon officio con il Signor Duca et Minturno, et non so io come potriano con buona conscientia aggiutar tanti disordinati affetti della sua madre per non dir del padre.„ Polancus, *ex com.*, Patri Salmeron, 6 Augusti. Octavo post die, sc. 13 Augusti, scripsit Ignatius epistolam Nicolao Petro Cesari, Octavii seu Octaviani patri, et aliam die 27, quas dabimus, Deo volente, in *Nova serie litterarum Sancti Ignatii.* Alias ejusdem ad eumdem habes in *Cartas*, t. III, pag. 338 et 443.

ronis ut reducerent adolescentem Neapolim. P. Provincialis Domenechus rem ad Pro-regem rejecit. Interrogatus Octavius coram Pro-rege de sua voluntate, dixit constanter nec saluti suae nec Dei servitio convenire ut Neapolim rediret, et velle se manere in Sicilia ut securius in sua vocatione perseverare posset; et ita, Pro-rege judicante non debere juvenem contra suam voluntatem Neapolim reduci, duo illi, cum aedificatione quidem, sed re infecta, rediere; 2.°, misit unum alium, qui a Societate eum averteret, et cum nihil obtinuisset, 3.°, instigante uxore, pater juvenis Panormum venit, qui affirmabat se nolle avertere filium a Societate, sed ejus cognoscere mentem; sed juvenis jam Messanam missus fuerat, quo, cum pater eum esset secutus, tandem coram magistratu summo, Stratigum [1] vocant, eum [2] est allocutus, qui tamen multis rationibus patrem suum convicit, et vocationem Domini esse illam suam ostendit, ut ipse pater se victum a filio fateretur, et benedictionem suam ei impenderet. Nihilominus, cum uxorem placare non posset, litteras apostolicas curare dicebatur ut juvenis sibi restitueretur; sed Pro-rex Joannes de Vega Cardinali Carpensi scripsit rogans ne eas impetrari falso aliquo colore permitteret.

403. Tunc ergo ad Ducem se convertentes parentes, ut denuo scriberet, impulerunt; cui ut satisfaceret, rescripsit P. Ignatius, si Romam venturus esset Octavius, se jussurum ut Neapoli transiret; nihilominus ad nostros scripsit ne Romam eum mitterent. Demum idem Dux scripsit per proprium nuncium, ad hoc ipsum Romam missum, affirmans se promisisse parentibus Octavii quod sine ulla excusatione juvenis esset ad se venturus, qua promissione, matris afflictionem se temperare voluisse; ac proinde petebat ut ad se sine ulla conditione mitteretur. Sed P. per eumdem nuncium respondit, amanter quidem affirmans,

---

[1] Sic, ut supra, t. I, n. 337, pag. 365, ubi mendose scriptum est *Stiatigos,* sed recta hujus nominis scribendi ratio, aut saltem apud veteres auctores usitatior, est *Straticotus.* Vide *Pragmaticarum Regni Siciliae novissima Collectio,* praesertim vol. I, tit. XXV, ubi *de Officio Straticoti Nobilis Civitatis Messanae.* Ab aliis scribitur latine *Strategus,* italice *Stratego, Stratigo* et *Straticoto.*

[2] Totum hoc, a verbis *Interim mater ejus,* manu propria inseruit Polancus, ut magis explicaret quae primo brevius scripserat hoc modo: "Non tamen ejus parentes conquiescebant, mater praecipue. Rursus itaque Dux, cui multum debebat Societas, mense Novembri scripsit ut, cum Romam veniret evocatus ille juvenis, saltem Neapoli transiret; et jam eo tempore, instigante uxore, juvenis pater in Siciliam venit et filium suum.„

quod posset polliceri de se Dux Montis-Leonis quidquid ipse P. Ignatius praestare posset ad gloriam Dei, sed non se credere quod ea pro ipso promitteret, quae bona cum conscientia fieri non possent et sine offensa Dei, et aliis modis posse Dominum afflictioni matris providere, non exponendo adolescentem illum periculo excidendi a vocatione sua; et ita hoc anno res hujus juvenis transacta est; quid autem sequenti acciderit, suo loco dicetur [1].

404. Commendavit P. Salmeroni idem P. Ignatius ut temporalia quaedam negotia D. Thomae Gomez apud Regem promoveret; quamvis enim abhorreret ab hujusmodi negotiorum tractatione, tam gratus erat de acceptis beneficiis, ut, quia Doctor medicus Ignatius Lopez initio Societatis amicum et benefactorem ei se praebuisset, ejus nepoti hoc officium non denegandum censeret, ne videretur gratitudinis aliquid in Societate desiderari [2].

405. Quidam Hieronymus, Siculus, Neapoli in Societatem admissus fuerat, et legebat in prima classe grammatices ac bonum se religiosum exhibebat. Accidit autem ut, cum quidam fratres, ex Sicilia venientes, Neapoli transirent eumque cognoscerent, Superiori retulerint, et forte non uni solum, quod in caede cujusdam hominis Hieronymus interfuisset. Ille autem, cum olfecisset hoc ejus impedimentum, quod initio non expresserat, evulgatum fuisse, hospite insalutato, tacitus discessit. Tunc P. Ignatius admonitus scribi P. Salmeroni jussit fieri facile posse quod ex incautis verbis alicujus eorum, qui ex Sicilia veniebant, hic ejus discessus provenisset; et quia cum bona aedificatione in Collegio fuerat, aegre tulisse casum ejus visus est; et admonuit quod, si ipsemet non occidisset hominem illum, quamvis alius ex ejus sociis id perpetrasset, ipso praesente, non id existimaretur ex impedimentis excludentibus a Societate; et adjecit quod, si quis raris dotibus praeditus esset, via ad dispensationem in Societate nostra juxta constitutiones relicta

---

[1] Ignatii ad Ducem Montis Leonis litteras dedimus in *Cartas de San Ignacio*, vol. III, pag. 353 et 451. Caetera, quae hic narrantur, ad verbum fere desumpta sunt ex litteris hoc tempore Neapolim missis, iis praesertim, quas Polancus, *ex com.*, dedit Patri Andreae de Oviedo, 17 Dec.

[2] Ignatii litterae ad Patrem Salmeron in commendationem Thomae Gomez datae sunt 10 Sept.

est, cum existimatur plusquam mediocriter aliquem ad Dei servitium idoneum fore [1].

Et haec de Neapolitano Collegio.

DE COLLEGIO MESSANENSI

406. Sub initium hujus anni P. Antonius Vinck, Messanensis Collegii Rector erat. Domestici in collegium et domum probationis distincti erant, et in hac quidem constantia et confirmatio animi in nostro instituto gratissima erat; et tam in illa quam in collegio, quod ad studia attinet, externis admirationi erant et ad aemulationem etiam excitabant. De scholarum ratione hoc anno nihil est immutatum. Profectus autem in spiritu et pietatis operibus, in externis discipulis natu majoribus ac nobilioribus, non exiguus cernebatur.

407. Sed quod ad conciones attinet, cum P. Benedictus Palmius, qui gratissimus illi civitati fuerat, undecima Februarii Panormum recessisset ut inde Romam simul cum aliis veniret, non parum afflictionis initio spiritualibus amicis intulit. Obmurmurabant etiam quod, constitutis reditibus, paulatim optimi quique ex nostris inde recederent, et cum lacrymis a P. Antonio impetrarunt ut, donec accederet promissus P. Hieronymus Otellus, aliquid ad suum profectum ipsis praelegeret, quod ipse cum consultorum approbatione facere inchoavit [2]; et singulis diebus quadragesimae, praeter evangelia quotidiana, psalmos poenitentiales interpretandos suscepit; et ultra quod sperare audebant, tam ipse in lectionibus quam P. Joannes Philippus [3] in concionibus, festis ac dominicis diebus, satisfecisse compertum est.

408. Successit deinde P. Hieronymus Otellus, qui die Passionis dominicae primam in ea civitate concionem habuit apud

---

[1] Desumpta sunt haec ex litteris a Polanco, *ex com.*, Patri Salmeron datis 8 Oct.

[2] Non illorum tantum, qui ei domi a consiliis erant, sententiam et approbationem exquisivit Vinck, antequam concionandi officium assumeret, sed etiam Ignatii, ut videre est in litteris, quas, *ex* hujus *com.*, illi scripsit Polancus 18 Martii.

[3] P. Joannes Philippus Casinus.

auditores non minus multos quam diligenter attentos. Perstitit deinceps, magno populi concursu, diebus dominicis et festis in eodem ministerio. Nec tantum concionando, sed legendo quoque, fama ejus in dies magis ac magis increbuit et aucta est; et fructum, si unquam alias, uberem nostri sperare coeperunt; plurimi siquidem, et ex his tum canonici aliquot tum nobiles plurimi et primarii, et si qui erant alii eruditi, ad epistolae D. Pauli ad Ephesios enarrationem, quam postridie Resurrectionis Domini est auspicatus, sedulo conveniebant. Breviter, omnibus placebat, et a doctis pariter atque indoctis propter ejus ferventem zelum attentissime, et propter copiosam eruditionem libentissime audiebatur. Diebus autem veneris locos, qui superfuerant ex septem psalmis poenitentialibus, prosequutus est [1].

409. Cessavit itaque rumor ille, qui propter discessum P. Benedicti [2] ortus fuerat et eousque progressus, ut etiam Jurati agerent de prohibitione thesaurario facienda, ne reditus Collegio applicatos solveret, eo quod Societas in Collegio Messanensi eos operarios non haberet, quos dotationis quantitas exigebat. Nihil tamen tentarunt, forte timentes Pro-regis indignationem; sed, si ille recessisset, timeri nonnihil poterat; donec, cognito P. Otello, occasio perturbationis ablata fuit. Audiebat hunc Patrem aliquando Archiepiscopus Rhegiensis [3], in cujus vicino Archiepiscopatu P. Bobadilla mense Aprili et Majo concionabatur; qui [4], fretum illud trajiciens, nostros Messanenses invisit, et in oppido Stae. Agathae moram facturus erat aliquamdiu, nam ea regio id temporis valde infecta erat haeresum erroribus, unde non defuturum erat ei quid ageret.

410. Concionum autem et confessionum, quae plurimae hoc anno exstiterunt, etiam generales, fructus varii fuerunt, quales ex hujusmodi ministeriis provenire solent; paces plurimae compositae, odia pacata, quae et gravia et maxime diuturna fue-

---

1 Progressus hos et in concionando excellentiam Patris Hieronymi Otelli mirabitur jure qui meminerit quam parum Patri Laynez placebat, dum, juvenis adhuc nec sacerdos, concionari magno animo aggressus est Florentiae, Prati, etc., annis 1547 et 1548. Vide *Quadrimestres litteras,* t. I, passim et litteras Patris Jacobi Laynez.

2 Patris Benedicti Palmii.

3 Augustinus Gonzaga, Archiepiscopus Rhegii Julii in Calabria.

4 Intellige Patrem Bobadilla. ".... recossi (Bobadilla) a Reggio di Calabria,.... Di là tragittò a Messina, per consolarsi alcun poco conversando coi Padri di quel collegio, e ivi pure, richiestone, predicò nella festa di San Marco evangelista.„ BOERO, *Vita del servo di Dio P. Nicolò Bobadiglia,* lib. I, n. X.

rant, quae qui deposuerunt magna ex parte veniam ab inimicis ipsis lacessitis rogarunt. Cujusdam mulieris pater fuerat occisus, quae nulla ratione adduci poterat ut facinoris auctoribus ignosceret. Audita vero quadam P. Hieronymi [1] concione, unum e nostris sacerdotibus adiens valde compuncta, inter confitendum ei dixit: "scito, inquit, si pretio istud conficiendum fuisset, ne arcam quidem auro plenam sufficere potuisse; amore autem Domini Nostri Jesu Christi, quidquid in me est commissum, lubentissime remitto„; et eo clarius verbi Dei energia hac in re cerni potuit, quod, ut hoc sopiretur odium, totius urbis primates convenerant, nec tamen quicquam profecerant.

411. Nonnulli conjugio copulati, cum domesticis dissidiis flagrarent, invicem sunt reconciliati; ex quibus aliqui multis jam annis sejuncti vixerant; quaedam etiam ex eis mulieribus omnia extrema ad maritum de medio tollendum tentaverat. Sed ut horum conjunctio optanda erat, ita et disjunctio quorumdam, quos turpis amor et concubinatus crimen conjunxerat. Fuere hujusmodi permulti, qui, ab ea vivendi ratione penitus discedentes, partim ad connubia redierunt, a quibus se separaverant, partim legitimo conjugio eis copulati sunt, quibus contra Dei legem perperam usi fuerant. Erant inter hos qui totos decem et qui viginti annos pessimum hoc vitae genus egerant.

412. Superstitiones quaedam diabolicae sublatae fuerunt; et quod saepe aliis in locis accidit, multi perditae vitae homines, qui annis plurimis (aliqui inter hos triginta et alii quadraginta) hoc sacramento [confessionis] caruerant, ad meliorem vitae rationem conversi sunt; et in his non pauci nominis [2] integraeque familiae restitutae; nam plerique viri, uxorum patientia victi, illarum institutum, quae confessionis gratia ad nostros accedebant, sunt secuti. Apparebat autem quanta sit vis humilitatis cum uxores, multa inique a viris perpessae, veniam tamen ipsae ab illis rogarent. Fiebat enim hac ratione ut ipsorum, quantumvis feros erga se et immites, animos emollirent, et ad sui imitationem sensim, nonnumquam etiam repente, commotos confusosque attraherent.

413. Praeter concionum et sacramentorum vim, multum ad

---

[1] Patris Hieronymi Otelli.
[2] Sic.

hujusmodi pietatis opera juvabat quorumdam piorum hominum charitas et diligentia, qui, nostris jam dudum familiares et in spiritualibus exercitiis prae caeteris provecti, diligentius in hoc operam impendebant, ut quam plurimos ad Dei cognitionem et vitae emendationem praecipueque ad frequentem sacramentorum usum adducerent. Nec id verbis tantum monendo et hortando, sed re multo magis et exemplo praestabant, dum et visitandis infirmis, et pauperibus sublevandis, diligenter ac lubenter occupabantur. Si quos etiam odia novissent exercere, illos libere adibant, ac, secum delata interdum Christi crucifixi imagine, monebant, hortabantur, rogabant, et nihil non faciebant ut illorum animos inflecterent, quo pacem, fugatis odiis, admitterent. Multum haec res aedificationis civitati afferebat, nec minus fortassis nobilium quarumdam matronarum ad pietatem conversarum, quae non minus ad Dei obsequium et laudem, abjectis vanitatibus, reliquas mulieres exemplo ac verbo sollicitabant. Quae antea muliebri curiositate superfluoque ornamentorum cultu ad aemulationem superbae vanitatis incitabant, omnes hae, ut uno verbo dicam, ad eumdem scopum res suas referebant, ut scilicet alias secum ad confitendum nostris et vitam ad Dei gloriam mutandam traderent.

414. Non ab animis tantum sed etiam a corporibus aliqui daemones expulsi fuerunt. Tres enim, ab eis obsessi, liberati sunt. Juvenes aliquot praeterea vel nostram vel capuccinorum religionem ingredi proposuerunt, ex quibus aliqui Romam venerunt ut ibi in Societatem admitterentur. Virgines etiam nonnullae monachalem habitum induerunt, et magna ex parte capuccinorum, ea de causa, ut ipsae referebant, quod quae ordinis ejus erant, liberius ad nostrum templum, sacramentorum percipiendorum et verbi Dei gratia, venire poterant [1].

415. Extra ecclesiam nostri saepe, tum in hospitali, tum in carceribus, tum aliis in locis, ad quae accersebantur, quod aegritudinibus impediti homines ad nostros venire non possent, [Societati consueta ministeria exercebant].

416. Vir quidam non exiguae auctoritatis, cum decima die Maji concionem audisset nostrorum, undecima, cum aegrotas-

---

1 Sermo videtur esse de tertio, quem vocant, Sancti Francisci ordine, cui qui adscribuntur, nec vere religiosi sunt nec congregati sub uno eodemque tecto vivunt, sed domi quisque suae; unde integrum eis est confessarium, quem maluerint, sibi eligere.

set, confessus est, et per testamentum de rebus suis diligenter disposuit; duodecima communicavit; decimatertia extremam unctionem accepit; et statim die sequenti, ante meridiem, spiritum Domino reddidit cum aedificatione aliorum et exemplo, ac sua consolatione, quod integrum annum cuidam ex nostris confessus fuisset, et communicasset decimoquinto quoque die, postquam cum inimicis pacem fecisset. Quae mors alios, ut sese colligerent, satis invitavit.

417. Ex pia aemulatione et nostrorum exemplo ad alia etiam templa magnus hominum concursus fiebat ad praedicationem verbi Dei in eis factam; et in cathedrali ecclesia, ut alias omittam, tam frequens erat auditorium singulis dominicis diebus, ut ferebatur, quam in hebdomada sancta olim esse solebat; qua de re populus Deo gratias agebat et Societati nostrae, quae ad bonum hoc universale, post suum adventum Messanam, homines incitaverat.

418. In scholis, quae ad humaniores litteras, ut superius intellectum est [1], erant redactae juxta fundationis pactum, ducenti et septuaginta fere scholastici exercebantur, praeter nostros domesticos, qui numerum hunc augebant; nam praeter collegiales, etiam illi, qui in domo probationis versabantur (et hoc tempore viginti numero praeter praefectos erant), lectiones audire solebant. Frequentior longe numerus computatus fuisset, si, qui audiebant P. Otelli lectiones ex D. Paulo aut christianam doctrinam die veneris, numerarentur. Aliis autem lectionibus hujusmodi addidit P. Hieronymus Domenech casuum conscientiae lectionem, quam diebus martis et jovis ipse interpretabatur, quamvis tum in aliis operibus pietatis multis occupatus esset, tum in gubernatione collegiorum Siciliae, quibus praeerat.

419. Cum mense Julio jubilaeum Messanae fuisset publicatum, per duas hebdomadas valde in confessionibus nostri occupati sunt, et fere sexcenti apud eosdem communicarunt.

420. Fuit circa idem tempus a P. Hieronymo Otello commendata populo oratio, quae quadraginta horis continuis fieret, cum immineret Turcicae classis adventus. Et cum populus magna cum devotione id fuisset amplexus, tanta inde apud po-

---

[1] Vide supra, t. II, ann. 1552, n. 311, pag. 543.

pulum universum redundavit utilitas, tantusque fervor et orantium concursus, etiam inter primarios viros, ut Vicarius ejus urbis, non parum commotus, in cathedrali templo similem orationem fieri voluerit. Populus item nostro in templo eamdem iterari cupiebat [1].

421. Jam hoc anno, ne admitterentur in Societatem homines parum idonei, cum injunctum fuisset ut inconsulto P. Ignatio neminem admitterent, de qualitatibus illis admoniti sunt, de quibus referre ad eumdem Patrem debuerant. Prima erat exterior modestia et species; 2.ª ingenium, judicium, indoles et aptitudo ad ministeria Societatis; 3.ª aetas, sanitas et statura corporis; 4.ª progressus in studiis, et exercitia quibus vacaverat, et si quod aliud talentum haberet; 5.ª conditio erat parentum, si eos habebat, etc., et an illi contenti essent de tali filii deliberatione; quamvis, si scholastici non erant nostrorum collegiorum, non existimabatur consensus parentum necessarius [2].

422. Sub initium Augusti, plusquam duodecim peccatrices commotae jam erant, ut a peccati turpidine recederent; et ad id

---

[1] Juvat haec, quae sub hoc n. 420 continentur, verbis explicare Patris Aguilera: aliquid enim is innuit, in quod ut historiographi probe animadvertant oportet. Ait ille: "Aestate appetente Domenechius cum Pro-rege Messanam venit, quod Barbarorum classis adventare diceretur, quam Messanenses conspicati, Domenechio suadente, ad preces nostrum in templum convolarunt, sed ad eam diem inusitato supplicandi ritu, quem Codretus ita exponit: *Adversus Barbarorum* classem novo genere orationis pugnatum est. Conveniebant frequenter in templum nostrum, viri noctu, interdiu mulieres, continuis XL horis, alii aliis in singulas horas succedentes. Ea res, quia Deo et hominibus nonnisi grata etiam censebatur, pluries postea, Patre (Domenechio) non invito, concessa est. Ex eo Codreti luculento testimonio nonnullis opinari subit hanc supplicandis *(sic)* consuetudinem, quae nostra aetate per Orbem terrarum diffusa et pervulgata atque inter praecipuas religiones magno apparatu ac celebritate relata, *Oratio Quadraginta horarum* vulgo appellatur, Messanae primum nostrorum opera ortam fuisse, et inde in christianorum mores, ut fit, auctam amplificatamque abiisse. Nos rem parum compertam, et in medio relictam, aliorum disceptationi libenter permittimus." Hucusque AGUILERA, *Prov. Sic. Soc. Jes. Ortus et res gestae*, part. I, cap. IV, n. XIII, qui tamen ad oram paginae rem totam ita conclusit: *Quadraginta Horarum religio Messanae primum oritur.*—At certum est hanc supplicandi formam, *Quarantore* seu *Quadraginta Horarum* dictam, pluribus in locis, Italiae praesertim, antequam in ea Societas pervenisset, praevaluisse. "L' orazione continua per quaranta ore innanzi al Santissimo Sacramento, in memoria delle ore 40 che il Sacro corpo di Gesù stette nel Sepolcro, ebbe principio in Milano circa il 1534. Si propagò in altre città d' Italia, e si introdusse quì in Roma in ogni prima domenica del mese dall' Arciconfraternità della Santissima Trinità de' Pellegrini (instituita da San Filippo Neri nel 1548), ed in ogni terza domenica del mese dall' Arciconfraternità di S. Maria dell' Orazione e Morte fin dall' anno 1551. Tale orazione per 40 ore, venne poi da Clemente VIII perpetuamente stabilita...." *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze.* Vide etiam *Litterae Quadrimestres*, t. I, et supra, n. 77, pag. 43.

[2] Vide supra, n. 350, pag. 167.

non solum conciones, sed opera etiam illorum piorum hominum, de quibus superius est actum, perutilis erat. Eas enim illi sollicitabant, etiam in propriis domibus, et ad conciones Sti. Nicolai, hoc erat nostri templi nomen, adducebant. De domo autem ad harum foeminarum auxilium, inferius agetur.

423. Missus est P. Cornelius, domus probationis praefectus, Panormum, ante quam Romam proficisceretur, ut domum probationis Panormitanam inviseret, et, si opus esset, ad meliorem institutionem novitiorum aliquid consilii daret [1].

424. Spiritualia exercitia quibusdam pro more, et non sine fructu, proponebantur.

425. In autumno, Septembri mense, cum rediisset Messanam idem P. Cornelius, simul etiam cum eo P. Bernardus Oliverius venit, qui primo vere cum aliis in Siciliam venerat, a P. Ignatio missus, ut alicui collegio praeesset; sed valetudine adversa coactus fuit, cum medicorum consilio, ex ea insula Romam versus recedere; quartana enim laborabat. Optabant quidem vehementer nostri P. Cornelium retinere; sed ejus opera ad Germanicum Collegium juvandum magnopere necessaria Patri Ignatio visa est, et ita Romam venire debuit [2].

426. Decima octava ergo Septembris undecim ex nostris Messana Romam versus profecti sunt, inter quos quinque juvenes Messanenses, fere omnes nobiles et in latinis et graecis litteris exercitati, discipuli P. Annibalis, mittebantur [3]. Adierunt

---

1 "Visavaeo (Patre Cornelio Vishaven) absente, tironum institutio (Messanae) Patri Pantaleoni Rodino obvenit.„ AGUILERA, l. c.

2 Hujus, quam hic innuit Polancus, Patris Vishaven in Collegio Germanico commorationis haud meminit ORLANDINUS, *Hist. Soc. Jesu,* nec NIEREMBERG, *Varones ilustres de la C.ª de Jesús*, sed nec CORDARA, *Collegii Germanici et Hungarici historia*, nec CARDINALIS STEINHUBER, *Geschichte des Collegium Germanicum Hungaricum in Rom.* Narrationem tamen Polanci confirmant sequentia verba ex *Vita* mss. Patris Cornelii Vishaven deprompta: "Cum Collegium Romanum esset inchoatum, facta est a Patre Natali mentio etiam Collegii Germanici Romae exstruendi; quo audito, cum magna exsultatione dixit Pater noster (Vishaven): *Ibi debeo esse; animus meus eo volat. Itane,* inquit Pater Natalis, *ut etiam ibi possis furari animas?* Cui pater noster: *Ego ibi debeo habere partem meam.* Quae quam vera erant futura, postea exitus declaravit, uti dicetur suo loco.„ Promissa tamen hujus *Vitae* scriptor non implevit, quoniam opus imperfectum reliquit.

3 Hi undecim erant: P. Cornelius Vishaven et Mag. Raphaël Riera; deinde ex Collegio Panormitano quatuor: Joannes Hieronymus, Joannes Rogerius Gallus, Benedictus Pereira Valentinus et Petrus Regius Panormitanus; et ex Messanensi Collegio quinque: Joannes Antonius Viperanus, Gilbertus Pullicinus (Angeli frater), Carolus Pharaonius, Franciscus Alexander et Angelus de Joanne, Messanenses omnes. AGUILERA, *Provinciae Siculae, Soc. Jesu, Ortus et res gestae,* part. I, cap. IV, n. XV.

omnes simul Pro-regem Joannem de Vega ut in hoc recessu eum salutarent, qui magnam consolationem ex eorum adspectu accepit, et singulos amplectens, cum lacrymis prae gaudio, dixit: hae sunt plantae, quae in alium locum translatae, fructum uberiorem reddent. Pridie hujus diei interfuerat idem Pro-rex quibusdam orationibus latinis, quas Messanenses scholastici in ecclesia nostra habuerant; aliqua etiam graeca et hebraica pronunciata fuerant; quae omnia Pro-rex, Collegium tenere diligens, cum magna voluptate et approbatione audierat [1].

427. Inter hos erat Carolus Pharao, juvenis [2], et Joannes Antonius Viperanus [3], qui, cum paulo antea lectiones aliquas in tertia schola ut substitutus praelegisset, aliqui ex amicis, et praesertim quidam Dominus Christophorus de la Rocha, qui inter Juratos erat, eum retinere ad consolationem aliorum scholasticorum, qui libenter eum audiebant, nitebatur. Scripserunt autem Jurati litteras ad P. Ignatium ut ad aliquot menses ibi eum manere permitteret; sed antequam responsum fieri posset, P. Hieronymus Domenech eum cum reliquis Romam misit; nam parentes illorum juvenum id probabant, tum ut superioribus facultatibus Romae darent operam, tum ut Italiae loca et mores viderent. Et cum in illa schola Franciscus Stephanus Valentinus successisset, et scholasticis multum satisfecisset, statim Viperani desiderium ademit. Sic numerus nostrorum, qui Messanae ad quadraginta duos pervenerat, imminutus est. Inter alios autem, qui inde profecti sunt, fuit magister Raphaël Riera. Panormo etiam Magister Joannes Rogerius evocatus illis se adjunxerat, et simul omnes Romam pervenerunt.

428. Cum P. Hieronymus optaret sese et Collegia Siciliae ad instituti nostri normam omnino accomodare et conformare, postulavit scholarum Romani Collegii, tam in lectionibus quam in oratione, formulam; rationem etiam eos examinandi, qui in Societatem admitti petunt; nam, consulto P. Ignatio, aliquos

---

1 Postquam ii Romam e Sicilia missi sunt, mitti etiam debuit ad Ignatium plena de iis, qui in Sicilia residui erant, informatio juxta ea, quae Patri Hieronymo Domenech, Provinciali, scribebat, *ex com.*, Polancus 27 Sept.: "Nostro Padre mi ha detto scrivesse alla R. V. ci mandassi a Roma una lista di tutti quelli che sono in Sicilia della Compagnia, dove si dica il nome, patria, quello che sa, s' è sacerdote et che fa. V. R. con la prima opportunità mandi detta lista, acciò sia Nostro Padre essattamente informato del tutto.„

2 Vide AGUILERA, part I, cap. I, n. XLV, et cap. XII, n. XXXIII.

3 Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 304, et supra, n. 48, pag. 28,

in Sicilia admittebat ex multis, qui ad illam adspirabant, inter quos fuit unus adolescens, qui tam constanter ac ferventer id petebat, ut ex Collegio recedere minime vellet, donec, nocte adveniente et suo patre eum evocante, promisit ei P. Hieronymus Domenech quod eum esset admissurus, si facultatem a P. Ignatio ad id obtineret. Quibusdam autem parentes facultatem ingrediendi negabant; et qui ad scholas nostras accederent, sine parentum consensu non admittebantur; et quid in hujusmodi casu agendum erat, nostri solliciti erant; et alioqui, praeter P. Ignatii praescriptum, quod probabiliter timerent scholas esse perturbandas, invitis parentibus neminem admittebant, ne scilicet nobiles et alii cives suos filios a scholis revocarent [1].

429. Juvenis quidam, Joannes Clemens nomine [2], ex domo probationis ad collegium coeleste a Domino evocatus est. Mater ejus, quae Messanae agebat, impetraverat a P. Hieronymo, ut quandoquidem in ethica febri confirmatus, juxta medicinae canones vivere vix posset, sibi daretur, ut domi suae diligenter curaretur. Et visum est nostris id negandum non esse, ne, defectu curationis diligentis, aliquid juveni defuisse humani auxilii videretur. Sed ille magnis progressibus in domo materna ad migrationem in meliorem vitam accedebat; nostri tamen illum saepe invisebant, et orationibus commendabant, et, duobus ex nostris praesentibus, post omnia sacramenta accepta, decima-octava Octobris spiritum suo Creatori reddidit tanta cum suavitate et animi laetitia ut, postquam ex corpore anima recessisset, admirandam hilaritatem in vultu et decorem quemdam eximium ostenderet. Eodem die nostri collegiales omnes eum invi-serant, et coram omnibus viaticum, et paulo post extremam unctionem, acceperat; die vero sequenti omnes nostri ad ejus cadaver ex materna domo educendum iverunt, et, prout ipsemet postulaverat, et aequum erat, in nostra ecclesia sepelierunt.

430. Conquesti fuerant coram Domino Joanne Osorio [3] Jurati civitatis (cum tamen prius suam omnem operam ad beneficium Collegii amanter obtulissent) quod non praestaret Societas

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 34.

[2] Frater hic *Giovanni di San Clemente* appellatur a Polanco in litteris, quas Hieronymo Domenech, *ex com.*, scripsit 27 Nov.

[3] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 94, not. 2.

quod promiserat de idoneis praeceptoribus, cum optimos quosque Messana abduxisset. Commoverant aliquantulum Dominum Joannem Osorium et res ad aures Pro-regis pervenerat, qui tamen minime credidit, et ipsi etiam Jurati, cum duos lectores Panormo venturos intellexissent, et P. Annibalem [1] classi rhetoricae praeesse, et Franciscum Stephanum venisse, conticuerunt, et se non habere quod conquererentur intellexerunt.

431. Hoc mense Octobri studia renovata fuerunt ante festum D. Lucae cum satis frequenti scholasticorum numero; et infima classis centum et viginti cum haberet, multo plures erat habitura, si illi fuissent admissi qui legere non noverant; non tamen admittebantur nisi qui a rudimentis grammatices incipiebant. Penultima quinquaginta duos, tertia quadraginta, humaniorum litterarum ac rhetoricae classes plusquam quinquaginta auditores habebant, ex quibus complures, praeter rhetoricam, lectionem aliam etiam humanitatis [audiebant]. Graecae lectionis fere viginti auditores; quatuor tantum hebraicae inveniebantur. Duo illi, qui Panormo venerant, Valentini erant, et satis eruditi, Franciscus et Vincentius.

432. Coepit etiam hoc ipso mense P. Hieronymus Otellus librum Job enarrare in templo nostro cum frequentissimo auditorio; nec in concionibus aliis et sacris lectionibus major unquam frequentia fuerat.

433. Optaverat Pro-rex Joannes de Vega ut in magnum quemdam populum (*Itala* ei nomen erat), Abbatiae cuidam subditum, quae ipsius fratri collata ab Imperatore fuerat, aliqui ex nostris [se conferrent ibique aliquandiu] versarentur et benemereri de illo populo pro more Societatis studerent. Missus ad illum P. Elpidius, et consecutus est eum ipse P. Hieronymus Domenech, ut in his, quae ad reformationem illius abbatiae pertinerent, eum [2] instrueret et P. Elpidium adjuvaret [3].

---

1 Annibalem de Coudreto, nondum sacerdotem.

2 Pro-regem, aut forte Pro-regis fratrem.

3 Sermo est de Abbatia Sancti Petri et Pauli de Itala, Ordinis Sancti Basilii. "Circa quello che dimanda il Visorè per l' Itala, V. R. veda se sarà buono uno di quelli che notava il P. Natal, et non stia troppo fondato in speranza del soccorso che si mandarà di qua, perche di quello poco potria partecipar l' Italla, come io penso.„ Ita Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 11 Septembris.—*Itala* perspicue est in *Chron.* ms., sicut et *Itala* et *Italla* in *Litterarum Regesto*. Est autem Itala oppidum prope Scaletta, non longe Messana distans, in ora Siciliae orientali, quod in veteribus chartis scriptum quandoque reperimus *Atala*. Vide BLAEV, *Theatrum Orbis terrarum,* Cluve-

434. Venit ad lectionem rhetorices audiendam Dominus Ferdinandus de Vega, Pro-regis filius, simul cum fratre Domino Assuero [1], et disputavit cum aliis scholasticis; et saepius se accedere velle ad lectionem audiendam dicebat. Imitabantur filii parentum suorum pietatem et benevolentiam erga Societatem nostram.

435. Paulo post initium Octobris empta tandem domus est, in qua nostri novitii Messanae instituebantur, quae satis pulchra et magna erat, nec alia commodior, ratione vicinitatis, expeti poterat, cum Collegio nostro esset conjuncta. Sed alia domus etiam conjuncta eisdem diebus empta est, quae propter fenestras satis molesta erat domui probationis et toti Collegio, in quod aspectus liber patebat [2]. Et cum P. Natalis alias significasset, si civitas daret nongentas uncias, quae conficiunt duo millia ducentos et quinquaginta aureos, Collegium additurum esse quod amplius necessarium esset; et ita, cum civitas summam illam nongentarum unciarum dedisset, trecentas addidit Collegium; et cum pecuniam numeratam non haberet, censum

---

rium, Schottum et alios. Rocchus Pirrus, *Sicilia Sacra,* nunc scribit *Itala,* nunc *Gitala* nunc etiam *Hitala:* quod "ab *Italo Atalaa* fundatore adhuc nomen habet„— De iis, qui saeculo XVI hanc Abbatiam obtinuere, haec ad rem nostram ipse Pirrus:

"15. *Ludovicus Sanchez, Panormitanus,* Regni Protonotarius, *Ludovici Sanchez,* patria *Caesaraugustani,* et *Siculi* Regii Thesaurarii filius.... Fuit Canonicus nostrae Regiae Capellae S. *Petri* de *Palatio,* inde Metropolitanae *Panormi.* Abbas simul S. *Eliae Troynensis* atque S. *Mariae Roccadiae.* Mortalitatem exuit 10 Octobr. 1549. (Hic ille est, de quo in hoc *Chron.* t. I, pag. 386, n. 385, ubi vide quam his conveniant adjuncta, quae illic narrat Polancus).

16. *Joannes Osorius de Sylva,* Dioecesis *Toletanae,* de ordine S. *Jacobi* de *Spata,* ac simul Abbas *Sancti Philippi Grandis,* quam quidem Abbatiam ac simul Archipresbyteratum S. *Beltrani, Malaz.* Dioecesis, ob resignationem Gulielmi Funda Gebennensis Dioecesis, a PP. Julio III anno 1553 obtinuit. Sed Rex electioni *Osorii* assensum non praestitit, elegitque

17. *Antonium* de *Vegha, Hispanum Palentinae* Dioecesis, *Joannis* de *Vegha, Siciliae* Pro-regis, germanum fratrem per litt. dat. Bruxellis 10 Febr., 11 Ind., an. 1553, una cum Sedis vacantis proventibus a die obitus praedecessoris *Sanchez;* et Bullas Romae Kal. Oct. an. 5. pont. *Julii III,* sal. 1554, onere solvendi annuam pensionem 200 aureorum Episcopo Monopolitano. Mortuo anno 1558 *Antonio* successit

18. *Petrus de Aragon et Tagliavia....„* Rocchus Pirrus, *de Ordinis S. Basilii Magni Abbatiis,* lib. IV, pars prima, Notitia XIV.

[1] Vide *Cartas de San Ignacio,* passim, praesertim t. IV, pag. 390.

[2] "Annibal Codretus Collegii Messanensis rem familiarem, quam sedulo administrabat, industria sua, Domenechii studio, Pro-regis auctoritate, liberalitate Senatus, non mediocriter auxit. Eo enim magistratum gerente, VI Cal. Novembris aedes Blasii Vincentii de Rocca, quae Tironum conclavi proximae erant, coëmptae sunt mille aureis: item Bernardi Faraonii *(is erat Caroli nostri pater)* domus, quam Natalis initio ne conduci quidem posse speraverat, numerato ad nos pervenit. ....quae omnia publicis complexus est tabulis Matthaeus Angelica *(Notarius).„* Aguilera, l. c., cap. IV, n. XV.

quemdam viginti et unius unciarum pro hac summa super ipsa domo vendidit. Sperabat tamen P. Hieronymus Domenech brevi civitatem, quod reliquum erat hujus pretii, trium millium scilicet aureorum, soluturam, et ita ab onere census Collegium nostrum liberum fore.

Et haec de Messanensi Collegio.

DE COLLEGIO PANORMITANO

436. Doctor Balthasar Torres, medicus, de quo superius mentio facta est, primis mensibus hujus anni exercitia spiritualia Panormi, sub P. Hieronymo Domenech, suscipiens, Societatem ingredi constituerat; cujus ingressus multis admirationi fuit; nam, praeter ejus doctrinam non exiguam, apud Pro-regem auctoritatem habebat, et cum ei esset valde charus, prosperum rerum suarum successum juxta suam professionem exspectare merito poterat. Versatus autem cum aliqua aedificatione inter nostros, Romam missus est, et hoc ipso anno sub autumno Collegio utilem operam praestitit [1].

437. Domus probationis etiam Panormi erat instituta, ubi ex nostris quindecim erant; in Collegio autem ipso Panormitano viginti duo; quamvis hic numerus, propter eos qui, vel Romam mittebantur, vel ibidem admittebantur, vel ad alia loca transferebantur, non semel variatus fuerit [2].

438. Antequam P. Natalis e Sicilia recederet, domum quamdam, in quam se reciperent foeminae peccatrices (qualis Romae domus S.tae Marthae instituta fuerat) constitui curaverat, in quam coeperunt aliquae hujusmodi foeminae confugere et in bono spiritu concepto foveri, donec viris nubere aut monaste-

---

[1] Prius autem quam hanc operam (Vide supra, n. 6, pag. 8) Collegio Romano navare inciperet, sacerdos factus est 28.a Augusti. "Già il Dottor Torres è diacono, et domani, piacendo a Iddio, sarà sacerdote, et con li ordini sacri già si trova assai agiutato et si spera ogni bene di lui.„ Ita Polancus, *ex com.,* Patri Hieronymo Domenech, 27 Augusti.

[2] Praeerat Panormi novitiis P. Petrus Venustus jam inde ab anno 1551. Vide supra, t. II, pag. 245 et infra, n. 459.

rium ingredi deliberarent et ad id exsequendum facultatem haberent. Ad utrumque autem nostri suam operam eis praestabant.

439. Ex his mulieribus primo hoc vere conversio quaedam prae aliis insignis facta est; cum enim P. Benedictus Palmius Messana Panormum esset evocatus, ut inde Romam cum P. Natali, mense Martio, navigaret, quamdam apud meretrices congregatas concionem habuit, tanto cum fervore, ut fere omnes commoverit; sed duodecim ex illis ad Dominum conversae et valde compunctae in media concione vocem cum planctu et lacrymis levaverunt, et misericordiam a Domino implorabant; nec diu in illa domo tales retentae fuerunt, sed ex illis aliquae in matrimonio collocatae, aliae religioni se consecrarunt.

440. Ante etiam suum recessum P. Natalis curavit ut domus orphanorum ejus civitatis Panormitanae cum alia commodiore, cui et ecclesia conjuncta erat, commutaretur; et ut reditus augerentur, quibus plures ex illis pauperibus pueris ali et ibidem institui possent.

441. Quibusdam etiam familiis ac domibus, quibus ille sustentationem ex eleemosynis procurare solebat, etiam post ejus recessum nostrorum opera non defuit.

442. In ecclesia nova S.tae Mariae de la Grotta (vulgo nomine S.ti Philippi vocatur [1]) quo nostri migraverant ut ad pro-

---

[1] "Quamvis.... in publicis.... tabulis a Sancto Philippo nuncupetur id templum, quod nos a Sancta Maria de Crypta nuncupavimus, nolim quis in ea me appellatione nonnihil dormitasse suspicetur. Jam dudum enim superioribus saeculis S. Philippi Argyriensis religio ea in aede inoleverat, in qua ejus digitus asservaretur, prodigiorum atque ostentorum gloria celeberrimus: nam aqua, in quam is digitus mergeretur, certis quibusdam sacrata obsecrationibus, si eam infirmi lymphative homines potassent, morbos eximere et cacodaemones exigere putabatur. Eo factum est ut Sancti Philippi nomen, confluentis vulgi consuetudine, in illud templum irrepserit, et Rectorum indiligentia pervulgatum diu maneret. Error deinde vulgi S. Philippum Argyriensem cum Philippo Apostolo conjunxit, quod Calendis Maji Argyriensis dies magno populi concursu eximioque cultu inibi celebrari consuesset. Caeterum Sanctae Mariae de Crypta, neque Religio neque nomen obsoleverat, ex quo praesertim P. Dominicus Mustatius Deiparae cultum amplificare.... multos jam annos laboraverat. Nos vero non vulgi errorem sed legitimum Sacerdotii templique titulum sequuti sumus et deinceps sequemur.„ Aguilera, *Provinciae Siculae Soc. Jesu Ortus et res gestae,* lib. I, c. IV, § 18.—Quamvis ministeria jam exercerent Patres in hac Abbatia, nondum tamen bullam, qua Collegio uniretur, ediderat Pontifex, ut constat ex litteris a Polanco, *ex com.,* Hieronymo Domenech 10 Octobris; ad quam bullam obtinendam "sarebbe necessaria un' altra copia del consenso di Sua Maestà, perche l' unione è de suo consensu„. Hunc autem consensum ut obtineret, sequentem Panormitana Civitas supplicationem miserat Carolo V Imperatori:

"=In la Città di Palermo, et in tutto il detto Regno, vi è molta necessità di persone che ammaestrino et insegnino alla gioventù buone lettere et costumi; del che non poco

priam, in solitis Societatis nostrae exercitationibus, tam concionum, quam lectionum sacrae Scripturae et confessionum, nostri assidue occupabantur. Magister Michaël Botellus dominicis diebus et festis concionari coeperat post Pascha, nam prius apud S. Antonium, cum frequenti nobilium et populi auditorio, hoc officio functus fuerat; et satis frequentes ad templum Stae. Mariae, licet aliquanto magis separatum, accedebant.

443. Concionabatur idem in aliis monasteriis et congregationibus, sed praecipuam operam cuidam monasterio, quod sub Archiepiscopo erat, et in cujus reformationem ille incumbebat, impendit, eodem Archiepiscopo id postulante, qui et adesse aliquando concioni voluit; et cum videret commotionem monialium et lacrymas in audienda concione, cum aedificatione non mediocri inde recessit, et, evocato ad se magistro Michaële, saepius eum rogavit ut monasterium illud suis interdum concionibus consolaretur et adjuvaret. Praebebat autem se benevolum

---

danno ne resulta alla Republica; come del contrario ne risulteria molto profitto: dove havendo applicati alcuni Sacerdoti della Compagnia di Gesù, li quali in diverse part- con gran frutto et edificatione fanno questo essercitio per carità et non per altro interesi se: per il che ha parso molto conveniente et necessario che questi Padri fundassero un Collegio della sua congregatione in detta Città, per esser situata in parte, dove commodamente da tutti li luochi del Regno vi possono concorrere, nel quale vi siano lettori di Humanità, Logica, Philosophia et Theologia, et ammaestrino li Regnicoli, etiam predicando et confessando et occupandosi in altre opere pie: et per lo mantenimento di esso Collegio et alcuni studenti di loro congregatione, li quali possano col tempo essercitarsi nel medesimo publico beneficio; trovandosi la detta Città di Palermo senza patrimonio, et il Regno exhausto, humilmente supplica vostra Majestà, il detto Regno, che per lo servitio di Dio et publico beneficio di esso Regno, del che anchora ne risultarà molto servitio a vostra Majestà, sia servita unire al detto Collegio alcuna Abbatia del suo Patronato Reale: delli proventi della quale si possano sustentare, et consequitare ad attendere a così necessario, pio et utile essercitio=

Placet Caesareae et Catholicae Majestati quod beneficium, in dicto Regno primo vacaturum, hujusmodi pio operi commodum, et de Regio jure patronatus existens, de quo suo tempore curam habebit, supprimatur, dictoque Collegio perpetuo incorporetur et annectetur.

Quo sane effectum est ut Sacerdotium Sanctae Mariae de Crypta ad Collegium Panormitanum Societatis Jesu perveniret.„

CAPITULA REGNI SICILIAE, *quae ad hodiernum diem lata sunt, edita cura ejusdem Regni Deputatorum,* t. II, cap. CCXLIII, pag. 206.

AGUILERA, *Provinciae Siculae Societatis Jesu ortus et res gestae,* ad ann. 1553 haec ait n. XVI: "Apud Romanam Curiam strenue interim agebat Ignatius ut Sacerdotium Sanctae Mariae de Crypta nostri juris esset et Pontificis Maximi auctoritate atque gratia Caesaris beneficium Collegio Panormitano obveniret. Oblatus est Julio III supplex libellus, quo id petebatur. Rescripsit Pontifex: *Fiat ut petitur. Apud S. Petrum XI Cal. Maji Anno 1553, sui Pontificatus anno quarto.*„ Hoc autem ideo huc transcribimus, quia deest hujus Pontificii rescripti mentio in opere *Synopsis Actorum Sanctae Sedis in causa Societatis Jesu.*

admodum idem Archiepiscopus, qui hoc signo inter alia ostendebat, quod, cum supplicationes fierent pro communi pace, cum clero primo loco ad nostram ecclesiam venire supplicationem voluit.

444. Lectionem etiam doctrinae christianae diebus veneris non intermittebat P. Paulus [1], nisi urgentibus negotiis impediretur; et post recessum P. Natalis, ipsi in hebraea lectione idem successit et in ea quotidie perseverabat.

445. Ipso die Sti. Philippi et Jacobi, cujus solemnitas in templo nostro celebrari solebat [2], Pro-rex, qui Panormi id temporis erat, cum civitatis magistratibus et regia curia et aliis nobilibus adfuit; et cum concionem P. Michaëlis audivissent, cum spirituali consolatione et aedificatione recesserunt. Nec solum applausus ex hujusmodi concionibus, sed fructus etiam non poenitendus colligebatur; multi enim, diabolicis irretiti laqueis et gravissimorum criminum servituti obnoxii, ad Deum conversi fuerunt. Animae etiam olim neglectae, et in rebus spiritualibus squalidae, ex pascuis verbi Dei in moribus ac pietate sanctisque operibus pinguescere coeperunt; qui autem crebro confiteri soliti erant nostris, et fovebantur et ad meliora ac saluti viciniora accendebantur, et, suo exemplo et hortatu alios allicere studentes, auctiorem reddebant confitentium et ad sacram synaxim accedentium numerum; qui, licet semper consueverit esse magnus, propter jubilaeum tamen hac aestate Panormi, sicut et Messanae, promulgatum, major longe fuit; immo, si triplicatus confessariorum fuisset numerus, tantae multitudini satisfacere non potuisset. Paucis tamen diebus, qui aderant confessarii, octingentorum plus minus confessiones audierunt et eis sacram eucharistiam exhibuerunt.

446. Postquam autem in propriam ecclesiam migraverant, et poenitentium multitudo et concurrentium ad sacrificium Missae major esse coepit. Illud autem, quod alias saepe accidisse aliis in locis diximus, inter confitentes erant aliqui, qui multis annis confessi non fuerant; fuere et nonnulli, qui, quamdiu vixerant, cum peccatis semper obruti essent, nec semel quidem communicaverant. Hi autem omnes ut, tenebris relictis, ad lu-

---

[1] P. Paulus d' Achillis, Panormitani Collegii Rector. Vide supra, n. 442, not. 1.

cem divinae gratiae ac vitae accederent, diligenter curatum est. Cum inter caeteros mulier quaedam ex coeno concubinatus, in quo multos annos egerat, surrexisset, vir etiam, qui eadem abusus fuerat, conquiescere non potuit, donec et ad confessionem ipse accedens, sarcina suorum peccatorum levaretur; et ne in idem crimen incideret, eamdem illam mulierem in conjugem sibi copulavit. Nec foeminae cujusdam saracenae conversio praetereunda est, quae, cum diu in sua infidelitate obstinata permansisset, cujusdam nostri sacerdotis excitata sermonibus, ita fuit divina gratia illustrata ut, prorsus ad Christi religionem conversa et instructa, intra paucos dies, per baptismum, Spiritus Sancti templum effecta sit, quae prius Satanae fuerat diversorium.

447. Erat in Collegio Panormitano vir quidam saracenus, nostris donatus ad ministeria domestica, qui in mahometana impietate obstinatissimus erat, et toto triennio nec quotidianis hortatibus nec orationibus, quae assidue ad ejus conversionem fiebant, ostium ullum aperire videbatur. Quamvis tamen in eo vestigium conversionis non cerneretur, stimulabat charitas nostros ut pro eo sollicite Dominum precarentur, nec sine multis lacrymis quidam eorum animam illam sanguinis Christi participem fieri postulabant. Paulatim autem coepit saraceni animum divina virtus emollire. Explorabat ille diligenter collegialium vitam et, quae de christiana religione conculcata saepe fuerant, mente pertractabat, et ita interius ad Christi fidem suscipiendam coepit incitari. Sed Satanas, ne suis ex manibus ille evaderet, variis eum modis a concepto desiderio avocare nitebatur; et sui generis nobilitatem, rerum fluxarum amorem, ei in mentem revocabat, et ignominiae notam, quam sibi apud suos inurebat, et alia plurima ad ejus animum a christiana fide dimovendum suggerebat, et adipiscendae libertatis vicinum tempus promittebat; et tam familiariter daemones cum ipso agebant, talia pollicentes, ut audire quodammodo ipsos, non imaginatione concipere, sibi videretur; et ita pollicebantur firmiter quae diximus, ut quidvis potius aliter esse posse videretur. Consueverat ille adhuc catechumenus multis modis orare ante crucifixi imaginem, et illustrationem ad veritatem cognoscendam a Deo petere. Repraesentarunt autem eidem daemones propriam ipsius orantis imaginem in terra positam, et ita eam

deformem visus est sibi videre ut, timore perculsus (licet intrepidus esset natura), in gravem febrim inciderit. Aliis multis insidiis eum oppugnabant; sed cum uni ex nostris sacerdotibus omnia patefecisset, edoctus ab eo fuit vexillum dominicae crucis contra daemones erigere et fidei inexpugnabile scutum eis opponere. Tantum autem habuit inde auxilii, ut amplius de veritate nostrae fidei non ambigeret, immo vel hoc uno argumento ejus veritatem posse comprobari, quod crucis signo tantum inesset virtutis, ut daemonum acies fugaret.

448. Nec tacendum est quod per hunc catechumenum ante baptisma susceptum operari dignatus est Dominus. Loquebatur cum alio saraceno familiari de sua conversione et de fidei christianae veritate, et quantum Christo Salvatori nostro adhaerere conferret, et hortabatur eum ut, abjecta impietate Mahometi, secum baptisma susciperet; et illo objiciente quae a turcarum doctoribus contra religionem Christi dici audierat, protulit catechumenus, non modo a nostris audita, sed quae fuerat ipse expertus de crucis virtute, quemadmodum, scilicet, daemones ab ea fugati evanuissent, et ipsi molesti esse desiissent; et quia saracenus ille libidinosa consuetudine cujusdam foeminae etiam mahometanae [tenebatur], suggessit illi catechumenus, cum diabolus eum impelleret ut ad eam accederet, illo signo frontem et pectus suum munire certa cum fiducia. Recepit saracenus se id facturum; et cum eadem noctis hora qua consueverat, oblitus eorum, quae audierat, surgeret ut ad illam ancillam saracenam pergeret, antequam rem perpetraret, recordatus consilii sibi dati, pinxit in fronte crucem, et ecce illico membra illius ita obriguere ut nullo pacto moveri possent; quod videns et a tentatione se liberatum sentiens, rem omnem mulieri aperit, et die sequenti domi et per urbem aliis saracenis servis, quod sibi evenerat, patefecit; et cum ad tanti miraculi magnitudinem omnes stuperent, unus ex illis ad Christum conversus baptizari voluit; et ille ipse, cui tale signum contigerat, post paucos dies ex aqua et Spiritu Sancto etiam renatus est. Hos fructus dedit catechumeno nostro Dominus, qui, post pugnam diuturnam et illustrationem veritatis, urgebat Rectorem Collegii ut in festis Pentecostes baptizaretur; interim autem recogitabat ipse anteactae vitae annos in amaritudine animae suae.

449. In festo S.mae Trinitatis, frequentia magna populi prae-

sente, nostro in templo peristromatibus ornato, baptismatis sacramentum suscepit; sed dum ab antistite Hemilitae [1] civitatis (quam *Xacham* vocant) pro foribus templi exorcismus legeretur, ecce maura quaedam, divino Spiritu incitata, cum lacrymis ad eumdem praesulem accedens, ab eo se baptizari flagitabat, quam tamen gratiam, quia non erat satis instructa, impetrare non potuit, post instructionem illam consecutura. Fuit autem impositum catechumeno nomen Joannis Thomae, et summa cum laetitia et gratulatione ab externis amicis et a nostris amplexatus fuit, qui lacrymas continere non poterat; et post baptismum Joannes Thomas tantam a Domino gratiam accepit, ut candidam illam innocentiae vestem, ab omni abstinens vitio et peccato, conservaret; et, tam in verbis quam in factis, omnibus aedificationem praestare nitebatur; et etiam cum in levissimum defectum incidisset, pondus gravissimum se sustinere putabat, donec ad confessarium accederet, ut prorsus mutatio dexterae Excelsi in eo facta cerneretur.

450. Virgo quaedam ab aliquot annis tot fuerat scrupulis exagitata, ut non audire modo Christi verba sed nec de illis cogitare posset; et licet interdum confiteretur, diu tamen a sanctissimo sacramento Eucharistiae abstinuit, nec ullo modo adduci ad illud sumendum poterat; quin potius de sua pene salute desperans, inter damnatorum incendia jam se cruciandam computabat. Fuit tamen Dei bonitas tam insignis in ipsam ut numquam daemoni inter tot suggestiones assensum ad peccandum praebuerit. Cum ergo P. Hieronymo Domenech confiteretur, dissipatis tenebris tentationum, ad sanctam Eucharistiam adducta, postquam eo sacramento refecta est, tanto gaudio et laetitia mentis est perfusa et tanta serenitate conscientiae donata, ut se tantum consolationis ac spiritualis dulcedinis numquam expertam fateretur, et illud prophetae: *secundum multitudinem dolorum meorum*, etc.

---

[1] Haud facile discerni potest in ms. an scriptum sit *Hemititae*, an *Hemilitae;* sed utrumque putamus mendum esse pro Elymitae seu Elymae. " Ἔλυμοι, *Elymi* sive ut alii scribunt cum adspiratione Ἕλυμοι, *Helymi*, Hellanico apud Dionysium traduntur prius sedes habuisse in Italia, atque inde ab Oenotris anno ante bellum Troianum LXXXVI pulsos in Siciliam trajecisse.... Hi igitur Helymi sive Elymi extremas versus Occidentem Siciliae oras tenuisse et oppida *Aegestam, Erycem et Entellam,* circa *Crimisium flumen,* quod vulgari nunc vocabulo accolis dicitur *Belici*....„ CLUVERIUS, *Sicilia antiqua,* lib. I, pag. 34 et 35. Sciacca autem *(Xacha)* urbs est in hac Helimorum regione sita.

451. Alia plurima tum publice tum privatim per sacerdotes ac alios fratres nostros hujus Collegii divina bonitas effecit in moestis consolandis, rudibus instruendis et ad optima quaeque excitandis, quae sigillatim referre longum esset; unde et per urbem totam homines permagnam de nostra Societate existimationem concipiebant; et cum saepe ad audiendas aegrotorum confessiones expeterentur, quemdam ex nostris miraculum quoddam effecisse circumferebatur; sed forte, quod ad fidem aegrotantium id referretur, rem ille celavit.

452. Quod ad scholas attinet, trecenti fere scholastici hoc anno computabantur; et disciplina in scholis, tam in his quae ad doctrinam, quam in his quae ad mores spectant, consueta servabatur; et utraque ex parte non parum eorum multi profecerunt. Doctrinae specimen praebuere 22.ª Aprilis in nova domo, ad quam nostri transierant, propria, scilicet, abbatiae D.ae Mariae de la Grotta nuncupatae, vel ab aliis S.ti Philippi; ibi enim biduo, Pro-rege Joanne de Vega et magistratibus et multis aliis nobilibus et doctis ac religiosis viris praesentibus, disputatum est: ac primo die sex adolescentuli sex oratiunculas venuste in modum praeludii, contra theologum, hebraearum graecarumque litterarum professores, et contra rhetorices, humaniorum litterarum, et grammatices doctrinam, habuerunt; quibus omnibus, qui positiones rhetorices tuebatur respondit, suo et aliorum nomine, ita ut illorum objectiones ad clariorem harum facultatum commendationem facerent.

453. Consecuta deinde est seria et gravis disputatio. Primus autem conflictus fuit quinque doctorum theologiae (horum unus saecularis, alii quatuor Ordinis mendicantium religiosi erant, et in magna doctrinae existimatione Panormi habiti) contra unum ex nostris, qui positiones theologicas defendebat, disputantium. Successit quidam ludimagister, qui in pretio habebatur prae caeteris illa in urbe, et alii qui contra alios disputarunt; et omnibus, Deo juvante, cum circumstantium satisfactione magna, egregie responsum est; et tandem versibus quibusdam hebraicis, graecis et latinis, disputationi finis est impositus, quorum ultimus ad sequentis diei disputationem invitavit, et gratias, quod attente adfuissent, egit. Omnia feliciter etiam die sequenti, in quo plures sunt argumentati, successerunt.

454. Et hoc doctrinae specimen opportune ante recessum

Pro regis in migratione ad novum Collegium et scholas, hujus anni primis mensibus concinnatas, factum est, ut posset ille, sua praesentia et tot primariorum virorum, disputationes honestare et scholarum auctoritatem augere. Qui enim benevoli erant ac de nostrorum eruditione bene sentiebant, in sua sententia confirmati sunt; alii, inter quos et ludimagistri erant, qui a nostris alieno erant animo, amicitiam et familiaritatem nostrorum captare coeperunt; et communem civitatis benevolentiam favor Pro-regis et paterna dilectio, qua nostros complectebatur, magnopere auxit.

455. Ipsemet urgebat ut, antequam Messanam recederet, scholae novae aedificarentur, ut posset ipse praedictis disputationibus interesse, quae in eisdem scholis novis haberentur; et cum domus ad habitationem nostrorum non sufficeret (augebatur enim numerus in dies), et tamen expensae nostros aliquo modo deterrerent ne novum aedificium ad habitandum conficerent, idem Pro-rex nostros animavit, et auxilium pecuniae praeberi eisdem curavit, partim ex dono, partim curando ut anticipata quorumdam redituum solutio eis fieret; et ipsemet aliquando ad novum illud collegium veniebat, et de forma aedificii suam sententiam dicebat.

456. Scholastici pro more Missae sacrificio quotidie intererant, et diebus veneris doctrinae christianae, dominicis ac festis concioni; et tam devote, ut non modo auditores verbi, sed etiam factores, multi dici possent; et, praeter menstruas omnium confessiones, frequentius aliqui accedebant, et cum consilio confessarii communicabant, multique eorum se in Societatem admitti flagitabant. Caeterum P. Rector probanda magis eorum desideria, quae, si vera sunt, dilatione crescere solent, putabat; et bono animo exspectare et consueta in litteris et spiritu exercitia frequentare solebant.

457. Praeter eos operarios, quos Collegium Panormitanum habebat, accessit initio quadragesimae P. Benedictus Palmius, qui, dum sese navigandi occasio in Italiam offerebat, nequaquam ibidem otiosus fuit, sed Dominae Isabellae de Vega, Comitissae Bibonae, a prandio concionabatur. Peccatricibus etiam mulieribus, cum magna ipsarum commotione et multarum conversione, eodem officio functus est.

458. Duo ex nostris ex Panormitano Collegio in coeleste

collegium hoc anno migrarunt; mense Majo Joannes Baptista, cognomine Sancti Petri, juvenis qui tam sanus fuerat, ut prima et ultima haec fuerit ejus aegritudo. Alter fuit Magister Joannes Forcada novus sacerdos, natione gallus, qui classi grammatices praeerat, magna integritate et pietate Deo et hominibus amabilis [1]. Et sic uterque ab hac vita decessit, ut utiliorem operam in aeterna ab eis Collegium exspectaret, quam in terris ei navare potuissent.

459. Hoc anno P. Baptista Carminata cum alio socio Romam, ut admitteretur in Societatem, profectus est; sed cum Neapolim pervenissent, ejus socius, ut patriae nimium amator, Panormum rediit et Carminatam secum duxit, qui statim ut Panormi admitteretur institit; sed non tam cito impetravit, [et exspectare debuit] donec diutius ejus constantia et virtus admissionem mereretur [2]. Gerebant autem sic se novitii sub P. Venusto, tam religiose, ut alios novitios Roma missos, suo exemplo ad perfectionem invitarent.

460. Crebro communicantium usus in ecclesia nova magnum augmentum cepit, ut et confitentium, quamvis aestus jam ingrueret validus et locus remotior esset. Frequentiam etiam in praedicationibus neutrum impedimentum imminuebat, nec ad christianae doctrinae lectionem; nam, praeter scholasticos, satis multi P. Paulum audituri veniebant. Morbus tamen multorum ex nostris aliquam intermissionem in scholis hac aestate in una vel altera schola induxit; et cum ad tempus P. Paulus Rector Bibonam a P. Hieronymo Domenech missus esset in gratiam Comitissae, ejus locum Magister Michaël Botellus diligenter supplere studuit donec et ipse in morbum incidit, et ejus locum P. Bernardus Oliverius usque ad reditum P. Pauli tenuit.

461. Archiepiscopus, juvandi gregis sui studiosus, rogavit P. Paulum ut de his cogitaret rationibus, quibus Panormitanus grex in spiritu posset juvari, et ad se referret; quod ille, post

---

[1] Hic, qui alibi saepius et, ut videtur, rectius Joannes Forcadamus appellatur. obiit mense Augusto ineunte; ejus enim mortis nuncium Romam misit Panormitanus Rector, Paulus d' Achillis, litteris ad Ignatium die 6.ª Augusti datis.

[2] Potestas admittendi Joannem Baptistam Carminata facta est Paulo d' Achillis, Panormitani Collegii Rectori, per litteras a Polanco, *ex com.*, datas 12 Junii.—Dignus is est, cujus specialis hic mentio fiat, ut videri potest apud plerosque Societatis historiographos. Vide AGUILERA passim, et PATRIGNANI, *Menologio di pie memorie*, t. II, mense Junio, pag. 104.

orationem et re cum aliis Patribus communicata, fecit. Missus est etiam idem P. Paulus ad visitandum episcopatum Cefalensem, et perutilem operam, quod attinet ad ipsam Episcopi personam, et clero ac populo ea in visitatione praestitit.

462. Cum quadam dominica plures quam quadringentos nostri communicassent in suo templo, excitavit id aemulationem non solum pastorum, qui parochiis praeerant, sed canonicorum etiam cathedralis ecclesiae; et unus ex praecipuis parochis venit ad P. Paulum et interrogavit, in qua potestate haec facerent et eis communionem impenderent, in quos jurisdictionem non haberent. Duo deinde canonici ad hoc ipsum postea accesserunt; et cum idem responsum utrisque daretur, quod ex auctoritate a Sede Apostolica concessa, quovis tempore omnium confessiones audire, et extra Pascha omnibus Eucharistiam communicare possemus; responderunt illi quod Pontifex id concedere non poterat, quod contra jus ipsis insitum est; et addiderunt, quod si libenter nostri a ministranda communione non desisterent, curaturos se ut cogerentur. Sed eorum verbis modeste Rector respondens, se minime cessaturum ab horum sacramentorum ministerio et usu potestatis concessae eis declaravit. Ex his autem conjici facile potest quantopere Pro-regis favor nascenti Societati nostrae, et tunc radices jacenti, in Sicilia esset necessarius. Mense Julio hoc accidit; sed propter jubilaeum frequentes erant admodum, etiam illo tempore, qui ad sacramenta accedebant, ut aliquando super trecentos, aliquando super quatuorcentos eodem die communicare oporteret in nostra ecclesia.

463. Obmurmuratum est etiam contra Collegium nostrum Panormitanum, quod doctiores magistri inde removerentur, quodque logicam nostri non praelegerent, quam multi audire optabant; theologos etiam plures in Collegio esse cupiebant, et aegre tulerant Patris De Lanoy discessum; sed cum alioqui, quod Societas debebat, praestaret, licet non quidquid ipsis gratum erat futurum, tandem acquiescere ipsos rationi oportebat.

464. Habitatio, quae in usum nostrorum hac aestate aedificata fuerat, ante medium mensem Junium absoluta est, quamvis exspectanda fuerit hyems, ut cubicula, per aestatem exsiccata, habitari possent.

465. Hoc anno scriptum est in Siciliam, ne quemquam de

Societate, aut qui Societatem ingredi vellet, Romam mitterent, nisi consulto P. Generali et responso ejus exspectato [1].

466. Ex praescripto autem P. Ignatii, Panormo evocatus est Magister Joannes Rogerius, Petrus Regius et Benedictus Pereira [2]; et Magister Rogerius non exiguum sui desiderium domesticis, qui sub eo rhetoricam audierant, reliquit; quamvis illi satis bene instituti illis in litteris relicti sint. Cum his etiam P. Bernardus Oliverius, mense Septembri, Panormo Messanam et inde Romam venit, qui tota hac aestate, licet valetudinarius, utilem operam et Panormi et in novo Collegio Montis-Regalis praestitit; cum tamen quartana febris eum vexaret, ex consilio medicorum Siciliam reliquit; et cum etiam Romae male haberet, in Belgium missus, valetudinem recuperavit [3].

467. Quamvis autem P. Michaël Ochoa, navarrus, Roma missus, et ejus frater Sanctius, ad sacerdotium promotus, Patris Bernardi Oliverii locum supplerent, classis tamen rhetoricae aliquandiu sine praeceptore fuit, cum magister Gierardus Lapidanus, quamvis eruditus, talentum tamen sufficiens ad locum illum supplendum non adferre visus esset [4].

Et haec de Panormitano Collegio.

---

1 Vide supra, n. 350, pag. 167.

2 Vide supra, n. 426, pag. 199.

3 Romam pervenit Oliverius cum tribus aliis 30 Sept., ut in Polanci litteris sequenti die ad Patrem Hieronymum Domenech datis.

4 De iis, qui Roma in Siciliam una cum P. Elpidio Ugoletti missi sunt, accuratam dedit Polancus, *ex com.*, informationem P. Hieronymo Domenech, Provinciali, 13 Octobris. Ii autem qui mittebantur erant duodecim, praeter P. Elpidium Ugoletti, sc.: Christophorus Laynez, Georgius Scorichius, Joannes Florentinus, Rudolphus, Michaël Spes, Joannes Antonius Neapolitanus, Michaël Angelus Romanus, Angelus Prosdocimus et alii quatuor, e quibus unum alterumve eligendi pro Neapolitano Collegio potestas fiebat Patri Salmeron, videlicet: *Joan, francese; Alfonso, spagnuolo; Giafre, piamontese; e Luca, corso*.—Vide infra, n. 534.

DE NOVO PROVINCIALI SICILIAE, ET INITIIS

MONTIS-REGALIS AC BIBONAE

468. Dictum est anno superiori quod in Siciliam P. Hieronymus Domenech ex Hispania navigasset, quodque Romam sub illius anni finem venturus esset [1]; sed usque ad initium Januarii non potuit ille navigandi commoditatem habere. Cum primum autem potuit, Romam se contulit cum paucis sociis, ubi cum P. Ignatio contulit multis de rebus; et tamen in eo remittendo in Siciliam properandum fuit, ut Pro-regis confessionem sub finem quadragesimae audiret [2]. Adjunxit autem ei P. Ignatius tredecim vel quatuordecim socios, inter quos erat P. Hieronymus Otellus, quem cum mittere vellet P. Ignatius in Siciliam et inde Magistrum Benedictum Palmium educere, ut suavius id fieri posset, significatum fuit P. Natali ut Pro-regi persuaderet, ut P. Hieronymum Otellum, nostrae ecclesiae romanae concionatorem, peteret, et ejus loco offerret Magistrum Benedictum Palmium ut studia sua Romae absolveret; et ita P. Hieronymus deduxit secum jam dictum Otellum. Fuit et inter alios Vincentius de Romena, florentinus, tunc novitius, qui diu utilem operam Societati in Panormitano Collegio navavit [3].

469. Cum autem Collegia illa primaria, Messanense scilicet et Panormitanum, satis bene constituta essent et alia expeterentur, ac nominatim pro Monte-Regali ac Bibona, visum est P. Ignatio Provincialem Siciliae constituendum esse; et ita cum auctoritate Provincialis P. Hieronymum Domenech remisit.

470. Causa autem maturandi ejus profectionem, inter alias praecipua fuit, quod P. Natalis non facile poterat ex Sicilia educi nisi remisso P. Hieronymo Domenech. Fuit tamen Pro-

---

[1] Vide t. II, pag. 558, n. 350.
[2] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 179, et infra, n. 473.
[3] Vide AGUILERA, l. c. part. I, cap. x, n. XXIV, et PATRIGNANI, t. IV, pag. 89.

rex Joannes de Vega tam propensus ad satisfaciendum P. Ignatio, ut cum intelligeret gratum illi fore si, antequam perveniret in Siciliam P. Hieronymus, ex ea P. Natalis discederet, hunc sine mora abire permiserit. Itaque eodem fere tempore, scilicet, sub initio Martii, et novus Provincialis Roma et P. Natalis Panormo recesserunt [1].

471. Intellexerat jam P. Ignatius sententiam ipsius Natalis, quod ad recessum hunc attinebat, qui, cum Messanense et Panormitanum Collegium bonos haberent Rectores, et illis superiorem P. Hieronymum Domenechum, non esse suam praesentiam in Sicilia necessariam arbitrabatur; et ita juxta P. Ignatii mentem facultatem a Pro-rege obtinuit; de quo idem P. Natalis scribit, quod tamquam unus ex nostris de rebus Societatis sentiebat, nec in re aliqua, quam velle P. Ignatium intelligebat, repugnabat, immo ei acquiescebat, perinde ac si sub obedientia Societatis esset.

472. Tulit autem litteras binas P. Natalis ad P. Ignatium, et alteras earum manu ipsius Pro-regis scriptas, quibus significat P. Natalem magnum suae praesentiae desiderium sibi relinquere; et nisi memor fuisset quod ipse P. Ignatius id jubebat, cui omnes (inquit ille) obedire debemus, vix posset ferre ejus recessum significabat, cum ad tam multa pietatis opera in Sicilia esset necessarius. Rogabat autem ut, cum satisfecisset P. Natalis urgentibus Societatis negotiis, in Siciliam remitteretur.

473. Sed ad P. Hieronymum Domenech redeundo, cum Neapolim pervenisset, ibidem obviam habuit P. Natalem, et cum eo de rebus Societatis conferens, uterque deinde quo mittebatur pervenit [2].

474. Inter alios, qui cum novo Provinciali profecti erant

---

[1] Vide infra, n. 473.

[2] Haud istis cohaerent ea, quae habet AGUILERA, dum ait: "Exeunte jam anno 1552, Domenechius ex Hispania redux, Romam ex itinere venit, ibique tamdiu commoratus, quamdiu ad Collegii Monregalensis institutionem cum Farnesio transigendam satis fuit, Panormum *paulo ante Natalitias Ferias* appulit, ibique Vegam cum Natali comperit, cum quibus Monregalense Collegium explicare atque auspicari aggressus est, quod sequenti anno confecit.„ l. c., cap. IV, n. VIII. Vide supra, n. 468, pag. 216, et *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 179.—Meminisse igitur oportet Hieronymum Domenech, 1.° ex Hispania venientem, in Siciliam ante Natalitias ferias 1552 appulisse, ibique Natalem et Pro-regem convenisse; 2.° Romam versus e Sicilia navigasse Januario ineunte sequentis anni 1553; et 3.° denique Roma Panormum rediisse mense Martio, quo in itinere, dum Neapoli transiret, obvium habuit Natalem Romam venientem.

Roma, fuit P. Bernardus Oliverius [1], de quo paulo ante mentionem fecimus, qui poterat alicui collegio perutiliter praeesse etiam magno, cum Romano Collegio satis feliciter praefuisset; sed, quia non bene Romae habebat, in Siciliam missus est ut aëris illius periculum faceret; et ipso in itinere, cum per Ostiam in mare delatus navigio cum sociis Neapolim veniret, de nautis optime meritus est, quorum confessiones audivit, et dissidentes inter se conciliavit. Serius tamen quam P. Hieronymus Domenechus, qui terrestre iter confecerat, Neapolim pervenit, cum sex fere dies Ostiae haesisset; nec reliquum itineris sine periculo tempestatum confectum est. Expeditiorem habuerunt navigationem Neapoli Panormum usque; nam biduo fere, prope Panormum pervenientes, pedibus cum magna consolatione quod reliquum erat itineris, scilicet decem millia passuum, confecerunt, et amanter admodum, non a nostris solum, sed a Pro-rege etiam exceptus est, qui de P. Ignatio scire voluit quid de his bellis inter christianos sentiret, et quod remedium adhiberi posse arbitraretur [2].

475. Agebatur id temporis de Pro-rege Neapolim mittendo, et aliqui ferebant Joannem de Vega e Sicilia Neapolim transferendum. Percontatus est ergo Joannes de Vega quid P. Ignatio videretur de hac sui mutatione. Cum retulisset P. Domenech hoc sentire P. Ignatium, quod, si id fieret, cessurum ipsi videbatur ad magnam Dei gloriam, subjecit Pro-rex, quod labor illius novae gubernationis ipsum terrebat, quodque, habita propriae quietis ratione et quod filiam in matrimonio collocatam in Sicilia haberet, magis propensum se esse ut in Sicilia maneret; quod etiam videret nondum esse satis constitutas res illius Regni prout ipse optabat, eas praesertim quae ad religionem spectabant; quod optabat in variis locis Societatis domus institui; monasteria monialium reformatione valde indigere, atque etiam Episcopos; et per biennium videri sibi haec posse confici, si in Sicilia ipse maneret [3].

476. Cum etiam de Collegio Germanico Romae instituto in-

---

[1] Vide infra, n. 506.

[2] Postrema haec, a verbis *qui de P. Ignatio,* manu propria inseruit Polancus.

[3] Non biennio tantum sed quadriennio fere substitit adhuc in Sicilia Pro-rex, multaque opere complevit eorum, quae optabat, ut videre est in *Capitulis Regni Siciliae.* Panormi MDCCXLI, et in *Pragmaticarum Regni Siciliae Novissima collectione,* ibidem MDCXXXVI.

tellexisset, scribere se velle dicebat Archiepiscopo Toletano, suo amico, ut illud juvaret. Imperatorem etiam putabat daturum facile tria vel quatuor millia ducatorum annuae pensionis super aliquo Episcopatu, vel aliquam portionem, cum Sedis Apostolicae facultate, redituum, ab aliqua ecclesia separatam, applicaturum. Credebat etiam Regem Galliae daturum, si ab eo peteretur. Sed paucos esse centum scholasticos, et ad minimum trecentos esse in eo instituendos judicabat. Mirabatur etiam summopere quod nostrum Collegium [1] reditus ad sustentationem sufficientes non haberet.

Et haec de Pro-rege.

477. Statim autem Panormi novitiatum in meliorem formam [P. Domenech] reduxit, et separatos ab aliis novitios institui curavit; et cum tempus immineret Paschae, ipso die jovis sancti, confessionem Pro-regis audivit, et die sequenti parasceves, post meridiem, Bibonam simul cum D. Joanne Osorio se contulit, quia D. Isabella de Vega [2], Comitissa, instabat ut ante Pascha ad suam et Comitis Bibonae confessionem audiendam eo veniret. Ergo cum die sabbati s.ti mane Bibonam venisset P. Hieronymus, ibidem festa Paschalia exegit, et tam Comitis et Comitissae quam foeminarum ejus palatii auditis confessionibus, Panormum rediit, quod unius diei itinere, id est, triginta millibus passuum Bibona distat. Polliceri tamen ante recessum debuit Comitissae, quod post quindecim dies ad ipsam rediturus esset. Imminebat enim tempus primi partus ejus, et ante illum testamentum condere volebat et multa cum ipso P. Hieronymo conferre.

478. Dum esset Panormi, coepit spiritualia exercitia Doctori Torres, medico, de quo superius mentio facta est [proponere]; et cum deberet Bibonam redire, prosequutus est P. Paulus quod inchoatum erat; et, absolutis exercitiis, cum lacrymis ille in Societatem admitti postulavit; et ejus deliberationem eo magis admirata est curia Pro-regis universa, quod eo tempore agebatur de virgine quadam cum dote quatuor millium ducatorum ei tradenda, et de eodem Regni protomedico constituendo; nam in medicina, philosophia et mathematicis, magnam existi-

---

[1] Romanum.

[2] Ubi nos *de Vega* scribimus, ms. habet *de Osorio*; sed error est manifestus. Bibonae enim Comitissa erat Isabella de Vega, Joannis de Vega filia.

mationem nactus fuerat, et litterarum graecarum erat etiam peritus; et perinde ac apostolicam quamdam vocationem homines eam ducebant. Pro-rex autem, qui eum diligebat: "quomodo, inquit; doctor non amplius curam nostri habebit?„ et deinde subjecit: "Dr. Torres judicio et litteris pollet, et ipse bene intelligit quid eligat„; et ita probavit ejus deliberationem, et quod aliquamdiu, non relicto saeculari habitu, apud nostros maneret, prout P. Provincialis constituisse dixit. Hoc autem molestum fuit Doctori Torres, quamvis ad paucos dies aequo animo id tulit, et ex obedientia aliquos curavit; sed brevi Romam se contulit ut in probationibus Societatis sine hujusmodi impedimentis se posset exercere [1].

479. Prope novum Collegium domus quaedam Abbatiae conjuncta obtenta fuit, quae ad quamdam congregationem pertinebat, et aliae duae domunculae sunt emptae ut classes aedificari possent; et jam ab ipso anni principio, ad nostrorum habitationem, domus etiam novo aedificio augeri coepta est; nec enim ad eam nostri migrare poterant omnino nisi aucta habitatione, et non expedire videbatur ut divisi duabus in domibus essent. Ut autem commodius expensae ad aedificium suppeterent, illud commodi accidit, quod in proxima visitatione Abbatiae, Collegio nostro applicatae, quam Pro-rex fieri voluit, fere quingenti aurei annui reditus, perperam alienati, recuperandi dicebantur; et postquam instrumenta et scripturas Abbatiae nostri viderunt, magni momenti alienationes factas esse invenerunt, et postea recuperarunt [2] et ita, cum Imperator applicasset quingentos aureos paulo post, mille effecti sunt et amplius [3].

480. Cupiebat Pro-rex ut in Papiensi urbe domus Societatis institueretur, et Episcopus cum P. Natali hac de re egerat, qui domum emere et ecclesiam vicinam applicare constituerat; et ipse suis eleemosynis more professarum alere se velle receperat; et si duo sacerdotes Roma missi fuissent, facile domum hanc inchoari posse dicebat; quamvis collegium potius quam domum optasset. Sed responsum fuit P. Hieronymo ut non

---

[1] Vide supra, n. 6, pag. 8 et n. 436, pag. 204.

[2] Saepius tamen ab Ignatio admonitus est P. Domenech ut, in iis recuperandis, religiosae moderationis memor esset et lites rixasque vitaret. Vide litteras a Polanco, *ex com.*, toto hoc anno Hieronymo Domenech et Paulo d' Achillis datas.

[3] Haec postrema, a verbis *et ita*, addidit proprio calamo Polancus.

exspectaret, ad hoc opus inchoandum, ex Urbe sacerdotes, sed ipse, si judicaret expedire, et posset novum opus inchoare, id faceret; et ita domus haec elanguit, nam alibi collegia praeferenda visa sunt.

481. P. Antonius Vinck Messana educendus fuit et Bibonam, ad Comitissam, mittendus, cum vel illum vel P. Paulum expeteret; et cum eo tempore Pro-rex Messanam se contulisset, et cum eo P. Hieronymus, Provincialis, facile is Rectoris absentis locum, adjuvante magnopere Annibale [1] de Coudreto supplevit.

482. Idem etiam Provincialis lectionem casuum conscientiae sub finem mensis Junii aggressus est, et bis in hebdomada eam explicabat, et confessionibus etiam suam operam impendebat, quae tam frequentes erant, ut confessarii omnes Messanae toto die veneris et sabbati et dominico, et post vespertinum officium usque ad noctem, occuparentur. Scripsit autem timere se vehementer, si P. Cornelius inde recederet, non posse domui probationis satisfieri. P. tamen Ignatius, qui eum cum novem aliis Romam evocaverat, multas P. Provincialis litteras ea de re accipiens, et etiam P. Pauli, remitti eidem suas litteras jussit, et ut primo quoque tempore eos, quos designaverat ex Sicilia ad se transmitteret, et omnes illos quasi mortuos, quod attinet ad Siciliae collegia, duceret, non probans quod diffidentiam quamdam in se ferre viderentur et in exsequenda obedientia difficultatem [2].

483. Semper autem occupabatur in pietatis operibus Messanae P. Provincialis, praeter nostrorum collegiorum curam; et inter caetera, domun quamdam institui a civitate obtinuit,

---

[1] *Ludovico* habet ms.; sed error evidens est; Ludovicus enim hoc tempore Florentiae Collegio praeerat.—De iis audi AGUILERA: "Sub idem tempus Isabella Vegae filia, Bisbonensi Duci nuptui tradita, Bisbonae cum viro versabatur. Ea cum Patre (Domenech) egit ut P. Antonium Vinkium, Collegii Messanensis Rectorem, qui sibi a confessionibus esset, impetraret; quod petenti Pro-regi Domenechius, etsi grave atque infensum Mamertino Collegio futurum erat, nulla ratione denegare potuit. Vinkio Bisbonam digresso, magnum Domenechius Annibalis Codreti virtuti dedit testimonium, cui nondum sacris initiato, Collegii Messanensis gubernationem demandavit et Rectorem appellavit: quae res exemplo adhuc caruerat. Id autem Codretus ipse sic refert: *Igitur ad IX Calend. Quintil. illo* (Vinkio) *profecto, Rectoris munus P. Praepositus* (Domenechius) *obire Annibalem jubet.* Ipse autem de se postea scribit, nonnisi sequenti anno 1554, Panormum ad sacros ordines suscipiendos missum fuisse.„ l. c., cap. IV, n. XIV.

[2] "Circa il P. Mtro. Cornelio (Vishaven) si è rappresentato a Nostro Padre quello che V. R. scrive, et non muta niente parere; anzi li pare che essercita V. R. l' arte del piangere al suo solito; sicche, facendo conto che questi dieci non sono *in rerum natura*, V. R. non faccia disegno sopra nessuno di loro.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 3 Aug.

in qua ex turpi vita foeminae se reciperent, quae in monasterium Conversarum admitti non poterant, vel quod religiosae esse nollent, vel quod locus tam multas non caperet. Statim autem coeperunt aliquae hujusmodi mulieres ad hujusmodi domum se recipere, ut inde vel ad matrimonii vel ad religionis statum, prout Dominus gratiam daret, se converterent.

484. Observabat P. Otellus nullibi se tantam externorum devotionem erga nostros vidisse.

485. Domi etiam utile experiebatur ut alii aliorum censuram exercerent, quid ipsis minus probaretur invicem Superiori significando.

486. Quam esset favor Pro-regis necessarius, experiebatur P. Provincialis in dies; nam post obtentam Abbatiam ab Imperatore in subsidium Collegii Panormitani, agebant aliqui ex nobilibus ejus urbis ut obtinerent a Pro-rege ne amplius civitas Panormitana quingentos illos aureos annuos, quos Collegio applicaverat, pendere teneretur; sed umbra Pro-regis facile haec omnia consilia dissipabat. Ejusdem favore usus est P. Hieronymus ut jubilaeum per totum regnum Siciliae publicaretur, et litteras ab ipso subscriptas, postquam curaverat jubilaeum imprimi, quoquoversus dimisit; litterae autem diligenter promulgationem commendabant.

487. Aliam etiam ordinationem imprimi curavit Provincialis circa orationem toto in regno faciendam contra classem turcicam. Et quamvis Regis aerarium valde exhaustum esset, curavit idem Provincialis ducentos et quinquaginta aureos a Pro-rege dari tribus vel quatuor primariis urbibus, per monasteria, quae paupertatem servabant, dividendos, inter quae viginti quatuor horae orationis quotidie etiam dividerentur, ita ut in eis sine intermissione diu noctuque oratio ad Deum fieret. Commendavit etiam confessariis nostris idem Provincialis ut inter se devoti, qui sacramenta frequentabant, viginti quatuor horas ad eumdem modum dividerent ita ut, dum domi suae quisque horis constitutis oraret, sine intermissione etiam ab eisdem oratio haberetur [1]. Praeter has etiam privatas orationes

---

[1] "Della publicatione del Jubileo ci rallegriamo nel Signore et etiam di vedere la solicitudine che si tiene in difendere con orationi l'isola oltra delle armi, et di intendere etiam le buone nuove che di qua si dicono, dove si conferma quanto piaccia a Dio N. S. tal modo di difensione.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 27 Julii.

continuas, illae publicae quadraginta horarum orationes sunt institutae, de quibus superius mentio facta [1], ad quas frequentissimus populus accessit; et multi orationibus et eleemosynis tribuebant quod classis turcarum, quae Calabriae non parum damni intulerat, nihil prorsus incommodi Siciliae regno intulisset.

488. Mense Julio responsum accepit Pro-rex ab Imperatoris Caroli curia, quod ejus Majestas alteram Abbatiam in auxilium Messanensis Collegii conferri volebat, sicut in Panormitani auxilium prior collata erat [2].

489. Curatum est eodem tempore ut qui in custodia publica detinebantur, gratia jubilaei non privarentur, sed illud (quo magnopere indigebant) obtinendi facultatem haberent, quod et factum est.

490. Agere coeperat jamdudum P. Provincialis de domo quadam aut collegio, ad modum Germani, Messanae instituendo; et hoc ipso tempore Messanensis civitas ad eorum habitationem domum prope collegium nostrum obtulit; et curatum est ut Pro-rex ad Episcopos Siciliae scriberet, ut ad modum seminarii (juxta id quod post multos annos in concilio Tridentino constitutum est) clericos ibi alerent, quorum opera, postquam bene instituti essent, ad suorum populorum institutionem uti possent; nam magna in illis ignorantia cernebatur. Visum est P. Ignatio hujus collegii curam Societati nostrae subeundam esse, ut si statim non haberet Provincialis ad ejus gubernationem aliquos ex nostris idoneos, saltem intra unum annum suscipere nostri eorum gubernationem possent; et hoc scripsit P. Ignatius [3], quia Provincialis eam curam suscipere recusabat (quamvis constitutiones eis praescribere vellet), quia neminem ad id idoneum sibi habere, quo carere collegia possent, vide-

---

[1] Vide supra, n. 420, pag. 197.

[2] Circa l' Abbatia per il Collegio di Messina habbiamo etiam aviso della corte dello Imperatore come Sua Maestà l' ha concessa a instanza del Signor Gioan de Vega et che non resta altro senon che Sua Eccellenza dia aviso di qualchuna vacante, qual li parerà. Questo aviso ci da Maestro Alessio Fontana, il quale è la prima persona o delle prime che habbia in casa il Segretario Vargas. Sia ringratiato Dio Nostro Signore.„ Polancus, *ex com.,* Hieronymo Domenech, 3 Aug.—Vide infra, n. 493.

[3] "Il Collegio per li preti riputa Nostro Padre doveria esser governato per la Compagnia, et se adesso non si potessi per carestia di preti, almeno si doveria dar tal ordine che fra mezzo anno o uno havessino li nostri a governarlo.„ Polancus, *ex com.,* Patri Hieronymo Domenech, 27 Aug. Vide supra, pag. 81, not. 1.

batur [1]. Singuli autem Episcopi ternos scholasticos eo in collegio alere debebant. Et aliud simile Panormi etiam institui eadem prorsus ratione Pro-rex cupiebat.

491 Civitas Calatagironae jam eo tempore cóllegium Societatis postulabat; non tamen magnos reditus offerebat; nec enim ad centum aureos annui reditus se extendebant; et, adjuvante Pro-rege, monasterium quoddam ordinis Carmelitarum, quod ipsa civitas aedificaverat, in collegii usum converti cupiebat, quod, praeter ecclesiam, quam habebat, situs ad collegii usum esset accommodus. Erant ibidem quatuor vel quinque religiosi, qui non optime se gerere dicebantur, et alio eos transferre civitas volebat. Putabat autem P. Ignatius multum fore si quingentos aureos annui reditus ea civitas daret, ut numerus collegialium mediocris ibidem posset institui [2].

492. De reformandis religiosis conventualibus Sti. Francisci agebat Pro-rex Joannes de Vega in Siciliae regno; multa enim accidebant, quae reformationem merito requirerent; et cum ad protectorem eorum, Cardinalem Carpensem, scripsisset, responsum ab eo accepit, ut aliquem in delicto comprehensum, si vellet, castigaret ad aliorum terrorem. Pater tamen Hieronymus Domenech securius esse censebat, ut a Summo Pontifice facultas ad id obtineretur. Cum autem Pro-rex aliquem theologum Societatis mittendum existimaret, qui in hujus reformationis negotio ipsi adesset, non esse necessarium P. Ignatius existimavit (probavit tamen quod Summus Pontifex admoneretur) praeter ipsum P. Hieronymum, cum adhiberi posset in consilium P. Paulus de Achillis; potius enim studium circa constitutiones et regulas ipsorum, et informationem rerum, quae ab ipsis geruntur, quam quaestionum subtilium theologiae necessarium esse [3].

493. De Abbatia Novae Lucis Collegio Messanensi applicanda agebatur; et tamen Pro-rex Abbatiam Rochamadoris,

---

1 Totum hoc, a verbis *et hoc scripsit P. Ignatius*, additum est in margine manu propria ab ipso Polanco.

2 Vide litteras a P. Hieronymo Domenech ad Ignatium datas 6 Septembris, et Ignatii responsum in iis, quas, *ex com.*, Hieronymo Domenech scripsit Polancus, 18 ejusdem mensis.

3 Haec ad verbum fere translata sunt ex litteris, quas Polancus, *ex com.*, dedit Patri Hieronymo Domenech 20 Aug.

quinque fere millibus passuum Messana distantem, convenire magis existimabat [1].

494. Curavit Provincialis, postquam novum illud monasterium Conversarum institutum est, ubi duodecim jam habitabant, ut mons pietatis Messanae institueretur ad pauperum subventionem; nam civitas Messanensis, ex aerario publico dives, multa hujusmodi pietatis opera amplecti poterat [2].

495. Hoc autumno P. Elpidius cum tredecim aliis in Collegium Panormitanum Roma missus pervenit [3]; et commode cecidit, quod aedificium mature confectum ante aestatem fuisset ut, assiccatum solis fervore, inhabitari in autumno posset. Nec minus commode id temporis litterae ex curia Imperatoris acceptae sunt, quibus Imperator concedebat ut collegio assignarentur fructus ab initio fere anni 1552 praeteriti; tunc enim concessio ab ipso Imperatore facta fuerat, quamvis expeditio protracta diutius fuisset. Mittebantur etiam aliae litterae ad Legatum ipsius Imperatoris, qui in Romana curia residebat, ut nomine Caesareae Majestatis consensum praestaret in expeditione litterarum apostolicarum.

496. Jam ex hoc tempore P. Hieronymus Domenech sug-

---

[1] Abbatia Novaelucis, seu *de Novaluce,* a multis jam saepius expetita fuerat, praesertim a Catanensi civitate, in cujus vicinio sita erat. "In la clarissima Città di Catania è uno hospitale, lo quale non tiene tanta intrata, che possa supplire a tutto lo bisogno delli infermi, che vanno a detto hospitale, in lo quale concorreno molti poveri; et non si potendo detto hospitale governare come conveneria, molti di detti infermi si moreno di necessità et per essere opera di carità et di misericordia la subventione de detti infermi: supplica lo detto Regno a vostra Cesarea Majestà che si degni aggregare allo detto hospitale la Abbatia di Novaluce et la Scala, quali sono appresso detta Città et sono dello patronato Regio di vostra Majestà, interponendo le sue parti con lo Sommo Pontefice per detta aggregatione; accioche con li frutti et rendite di detta Abbatia si possano subvenire et governare detti infermi: del che ne restarà servito nostro Signor Dio, et tutto lo Regno, et detta Città assai contenta.

Sua Caesarea et Catholica Majestas informabit se de supplicatis.„ *Capitula Regni Siciliae.* Carol., II Rex Sicil. V Imperator, ccxxxvii. "Haec Abbatia jam ab anno 1514 Abbatibus Commendatariis et primum Joanni de Caprera Caesaraugustano, nunc Aegydio Cardinali de Alburnoz data est cum annexis S. Mariae de Scala sub Monachorum S. Nicolai de Arenis regimine....„ Rocchus Pirrus, *Catanensis Ecclesiae notitia I,* lib. iii, n. 5, D.

"S. Bernardi Ordo illud habuit celebre *S. Mariae Roccae Amatoris* an. 1197 a Bartholomaeo Luce Paternionis Comite constructum ac praediis auctum, quod Messana passuum millibus quatuor distat.„ Rocchus Pirrus, *Messanensis Ecclesiae notitia II.*

Recte igitur judicabat Vega non illam *Novaelucis,* sed hanc *Roccae Amatoris* Collegio Messanensi convenire. Illius enim proventus, utpote in ditione Catanensis civitatis sitae, potius in hujus quam in Messanensis utilitatem vertere aequitas postulabat.— Vide etiam Aguilera, l. c., cap. iv, n. xxii.

[2] Vide Aguilera, l. c., cap. iv, n. vi.

[3] Vide supra, n. 467, pag. 215.

gessit P. Ignatio collegium Majoricae institui opportune posse; quod, non solum insulae illi perutile, sed etiam ipsi Societati fore, propter navigationem ex Italia in Hispaniam et e contra; et quia multi id optare videbantur, apud quos magnae auctoritatis erat P. Natalis [1], in memoriam Patri reducebat ut eo mitteretur.

497. Monasterium quoddam religiosarum, quod Ascensionis vocabant, erat Messanae [2], in quo quindecim religiosae versabantur, et non bene audiebant, nam fama publica erat quod parum honeste viverent. Cum autem abbatissa moreretur, agebatur de alia substituenda ut reformari posset; et tandem visum est omnes eas moniales ex eo monasterio educendas esse et alia in monasteria deducendas. Vicarius ergo Archiepiscopi, favore adjutus Pro-regis, primo quindecim aut viginti, quae professionem non emiserant, inde eduxit; deinde professas per diversa monasteria sejunctas collocavit, quibus aliquam singulis annis pensionem ex monasterii reditibus assignavit, et ex quantitate dotis, quam unaquaeque secum intulerat.

498. Ut autem novae plantae ibi constituerentur, quae vitam spiritualem ducerent et regulam illius monasterii observarent, visum est Pro-regi, suggerente Provinciali, ut aliquae foeminae, ex his quae crebro, sacramentorum et verbi Dei audiendi gratia, ad templum nostrum Messanense veniebant, et ad alia dua loca, in quibus, post adventum Societatis, eadem spiritualia exercitia fiebant, eligerentur, quae spiritu Domini et virtute praeditae essent; et ita ex his, quae diu perseveraverant, aliquae electae sunt; complures enim, quae diu multumque occasionem hujusmodi optaverant, nomina sua dederunt. Cum enim persuasum esset, non illis tantum sed et prudentissimo cuique, melius domi suae in profectum spiritualem posse eas incumbere, crebro ad Sacramenta et conciones accedendo, quam si monasteria non reformata ingrederentur,

---

[1] Is patria Majoricensis erat.

[2] Recte Polancus ait *erat*. Ut enim ipse infra, n. 499, narrat, monasterium mense Decembri hujus anni clausum est et moniales in Sancti Michaëlis coenobium translatae.—"Monasterium Ascensionis, ait ROCCHUS PIRRUS, in loco, ubi nunc est Archivium Curiae Straticotialis, exaedificaverat Oliverius, Protonotarius Messanensis, anno circiter 1405, ut ipse testatur in tabulis testamenti 7 Febr., quas Rex Martinus 14 Apr. 14 Ind. 1406 confirmavit „ *Messanensis Ecclesiae notitia II,* lib. 1.

statum vitae non mutabant; sed postquam in ecclesia nostra hoc ipsis significatum fuit, super centum magno cum fervore se offerebant, ut monasterium illud ingrederentur, in quo spiritualiter se vivere posse confidebant; et matrum affectus retinere virgines plerasque non poterat; et quo plures eis difficultates proponebantur, propter illius ordinis rigorem, eo magis accendebantur. Et inter has supra quinquaginta virgines erant, quae magnae integritatis et sanctitatis habebantur; sed, quia non tam multae ali poterant, pauciores electae fuerunt. Fuit autem haec sententia omnium in hujusmodi rebus exercitatorum, ut ex monasteriis caput non assumeretur, sed omnes plantae prorsus essent novae, et id Pro-regi placuit, cum non de monasterio communi, sed magnae reformationis, et quod prae caeteris esset insigne, ageretur.

499. Quia tamen locus monasterii Ascensionis in frequentia urbis erat et adspectibus quarumdam domorum obnoxium, hoc consilium capiendum videbatur, ut, vendito hoc situ, praeter ecclesiam, locus alius concinnaretur, qui Sti. Michaëlis dicebatur, et ad quamdam confraternitatem pertinebat, et eo novae plantae cum reditibus Ascensionis transferrentur. Sub initium ergo Decembris in templo monasterii Ascensionis concio a P. Hieronymo Otello habita fuit, praesente Pro-rege et magna nobilitate ac populo; et, concione absoluta, virgines, quae aderant, numero decem et novem, cum magna aedificatione communicarunt, et deinde deductae sunt ad Sanctum Michaëlem, et coeperunt divina officia celebrare, et in magna regulae observantia vivere.

500. Ut autem firmius, quae facta erant, constituerentur, censuit Pro-rex auctoritate Sedis Apostolicae rem esse confirmandam, et P. Ignatio committendam; ad quem etiam scripsit P. Provincialis, non solum religiosas illas novas sancte admodum et religiose vivere, sed ex odore exempli jam alia monasteria de reformatione sponte sua agere. Forte et terror quem conceperunt, aliis monialibus expulsis, aliquid etiam ad hanc reformationem contulit; et hunc ipsum modum observatum fuisse a Siracusano Episcopo in monasterio quodam reformando, omnibus mutatis, admonuit.

501. Romae tamen haec reformatio dura nimis visa fuit; et quamvis P. Ignatius quidquid potuit diligenter praestitit in gra-

tiam Pro-regis [1], P. Provincialem reprehendit, quod suggesisset talem reformationem Pro-regi, et ut ipsimet Ignatio commendaret, ut confirmationem Pontificis curaret. Et eo difficilius impetrari poterat, quod Archiepiscopus Messanensis Cardinalis erat et Pontifici gratus, qui contra hanc reformationen eo liberius loquebatur, immo et conquerebatur, quod a Pro-rege germanus ipsius frater aliquot ante menses in carcerem conjectus esset. Jussit itaque Provinciali ne in posterum hujusmodi res tam difficiles suggereret, se inconsulto (quamvis postea intellectum est non curasse P. Provincialem ut hoc negotium P. Ignatio commendaretur, sed ipsum Pro-regem sponte fecisse); posse quidem Pontificem omnes religiosas removere et caput novum imponere, sed tamen hoc rigore Sedem Apostolicam non uti, nec juris terminos cum illis esse servatos.

502. Objiciebant etiam aliqui moniales expulsas esse ut theatinae inducerentur (sic enim pias illas virgines vocabant). Allegabat autem Provincialis illud Jordani, Magistri generalis secundi Praedicatorum, quod a Sancto Antonino adducitur, quod, scilicet, quando via ordinaria secundum jura nimium videtur longa, excusat charitas ut incedi possit per aliam breviorem; cum hac spe, quod superiores id gratum habebunt, prout deberent. Utcumque tamen res composita est, et monasterium illud in sua perseveravit reformatione [2].

503. Episcopus Melitensis Romae instanter agebat cum P. Ignatio ut aliquos illi de Societate daret, ut collegium in illa insula, quae arabica utitur lingua, inchoare posset. Offerebat ipse domum se empturum, et quadringentos aureos vel quingentos singulis annis daturum, dum viveret, et ejus operis perpetuitatem se curaturum recipiebat. Sed cum non posset operarios idoneos P. Ignatius tunc mittere in illam Insulam, ut se ab illo expediret, scripturum se [dixit] Provinciali Siciliae, ut si posset aliquos ex nostris ipsi daret, qui collegium hoc inchoarent; id tamen addidit, ut, si commode posset et non aliter, id

---

[1] "Nuestro Padre esta mañana fué á hablar al Cardenal de Messina, llevándome tambien á mí consigo por estar particularmente informado con las cartas de V. R., y ha hecho el oficio que convenia con el Cardenal con harto calor.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 5 Dec.—Vide etiam *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 358.

[2] Quae sub his numeris 497-502 continentur, desumpta sunt ex litteris quas Polancus, *ex com.,* scripsit Patri Hieronymo Domenech, 10 Decembris, et ex binis, quas eidem misit, eodem mense, die 22.

faceret. Et in Siciliam perveniens Episcopus urgebat Provincialem ut aliquos sibi daret, et res Pro-regi valde probabatur; sed non poterat, ob penuriam operariorum, Episcopo Provincialis satisfacere [1].

504. Ut stabilius nova illa domus Conversarum fundaretur, curavit Provincialis ut congregatio quaedam nobilium, quae veteris monasterii curam habebat, hujus etiam curam susciperet; sic enim mutuis auxiliis opera illa pia inter se vicina melius foveri poterant. Pater autem Joannes Philippus, qui Romae domum Stae. Marthae viderat, peculiari dono Dei ad illas mulieres juvandas praeditus videbatur.

505. Agebatur hoc tempore de P. Joanne Guttano redimendo, cum piratae nonnisi hyeme sese reciperent domum. Constitit autem apud Zerbes [2], Africae insulam, illos piratas habitare; sed haec occasio, quam subdam, negotium distulit. Regulus zerbiensium legatum ad Pro-regem Siciliae misit, per quem significavit se velle subdere Imperatori Carolo, et juvare ut duae arces in ejus ditione erigerentur, quas Imperatoris praesidia tenerent, et se permissurum ut ecclesiae fierent et christianorum lex praedicaretur, dummodo saraceni non cogerentur ad eam amplectendam, suos reditus sibi relinqui sub ditione Imperatoris petens. Similem legationem Taxora civitas ad Pro-regem misit, et inter caetera offerebat omnes captivos christianos sine pretio se redditurum. Intellectum est etiam quod ex pacto, quod cum gallis intercedebat turcis et saracenis, non licebat alterutris alteros capere; et, cum P. Guttanus gallus esset, sine ulla redemptione dimitti posse dicebatur; nihilominus commutatio, ut superius diximus, missa fuit; sed illum prius Christus redemerat [3].

506. Cum Roma proficisceretur P. Provincialis, litteras a Cardinali Farnesio acceperant nostri ut in civitate Montis Re-

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 360 et 362, et litteras quas Polancus, *ex com.*, eadem die scripsit Patri Hieronymo Domenech.

[2] Apud historiographos, hispanos praesertim, saeculi XVI *Gelbes*, *los Gelbes*.

[3] "... dum utrinque transigitur, ille aerumnis servitutis et Afrorum immanitate confectus, mortalitatem magno omnium dolore Cercinae in oppido et Insula Africae in vinculis exuit paucos post menses, ingenio et virtutum omnium splendore B. Ignatio apprime carus." AGUILERA, l. c., cap. IV, n. XXI.—"Lothoplagiti *(sic)* in insula (Gerbas hodie vocant)...." ORLANDINI, *Historia Soc. Jes.*, l. XIV, n. 18.—Vide supra, nn. 387, 388 et 389.

galis collegium instituereturet praeter domum, quam emi volebat, ducentos aureos singulis annis ad sustentationem nostrorum impendere; et quamvis dotatio esset exigua, erat locus ille Panormitano Collegio tam utilis futurus, ut etiam sine ulla dotatione expetendus videretur. Distat enim tantum tribus vel quatuor millibus passuum Panormo et situs editus est, unde accidit ut, quibus aestus Panormi sit infestus, illis temperies Montis Regalis in aestate sit valde opportuna. Tertio ergo festo Paschae [1] P. Bernardus Oliverius eo se contulit, et, cum dolore capitis laboraret, statim eo levatus est. Dedit is litteras Cardinalis Gubernatori, qui, magna laetitia affectus, omnia se exequi velle dixit, quae Cardinalis injungebat. Suffraganeus, qui et Vicarius erat, tepide satis se gessit et an haec essent Cardinalis litterae in dubium vertebat, quamvis et ipsi scribebat Cardinalis hac de re; quia recentiores ipse habebat, quae nullam faciebant hac de re mentionem [2].

507. At Gubernator supplicavit Pro-regi ut suum consensum ad ea praestaret quae Cardinalis scribebat. Erat id temporis Cardinalis parum amicus Carolo Imperatori et reditus Archiepiscopatus Montis Regalis sequestrati tenebantur. Nihilominus Pro-rex, cum ad magnum beneficium illius urbis cederet quod Cardinalis postulabat, in consilio causarum patrimonialium [3] constituit, ut Gubernatori daretur quod petebat, juxta Cardinalis mentem. Ut autem res bene constituta esset, consensus Pontificis necessarius adhuc credebatur.

508. Actum est interim de domo emenda; et quia Collegiata ecclesia, quam designaverat Cardinalis, nullam habebat habitationem, et nostris ministeriis erat incommoda, ostendit

---

[1] Scilicet, 4 Aprilis.—His corrigendus AGUILERA, qui, postquam dixit Collegii Monregalensis aedificium *Calendis Julii hujus anni 1553* fuisse absolutum, subdit: "*Sub idem tempus* P. Bernardus Oliverius, valetudine affectus, Ignatii jussu, e Collegii Romani Magistratu, purioris coeli gratia Panormum venerat.. .„ l. c., cap. IV, n. X. Adiit quidem is Monregalensis novae domus possessionem pauculis post 16 Maji diebus eamque domum incolere sub finem Junii coepit. (Vide infra, n. 509); sed Monteregali jam inde a 4 Aprilis morabatur et Panormum medio Martio Roma pervenerat (Vide supra, n. 474.)

[2] Ecclesiae Monteregalensis Suffraganeus, qui et Cardinalis Farnesii Vicarius, erat Pompeius Zambeccarius, J. U. D., Protonotarius Apostolicus de numero participantium. ROCCHUS PIRRUS, *Monteregalensis Ecclesiae notitia III*, lib. I.—Ejusdem Cardinalis Farnesii Procurator (idem ac Gubernator, Vide supra, pag. 188, n. 597, not. 2) dicebatur Vincentius de Nobilibus. Ita AGUILERA, l. c., n. IX, qui tamen tepiditatem, de qua loquitur hic Polancus, Procuratori et non Vicario, atribuit. Vide infra, n. 511.

[3] Intellige *Consilium* seu *Tribunal*, quod dicebatur *Regii Patrimonii*.

nostris Gubernator domum quamdam, in qua octo ex nostris divertere poterant, et scholae teneri, et muro sublato ecclesia mediocris concinnari. Habebat et fontem in area ipsius domus, et hortum, et prospectum amoenissimum maris et vallis panormitanae, quam *concham auream* vocant; et si aliquid aedificii additum fuisset, commodissima tempore aestatis et hyemis habitatio fieri posset. Cum autem dominum ejus domus eam centum et sexaginta unciis auri venditurum diceret Gubernator, hoc pretium a fisco regio ex reditibus Cardinalis obtentum est. Oportuit tamen triginta alias addere Societatem, ut domus a domino obtineretur, et P. Bernardus Oliverius cum tribus aliis jussus est a P. Provinciali Montem Regalem ire ad illud collegium inchoandum. Benevolentia enim Pro-regis efficiebat, ut ipsius praesentia non esset necessaria, cum praesertim Bibonam ille se conferret.

509. Decima sexta ergo Maji, mutuo acceptis triginta unciis ab ipso Imperatore, ad contractum domus faciendum omnes congregati sunt, nam curia centum et sexaginta jam dederat; et inter pauculos dies idem P. Bernardus, comitante P. Paulo, possessionem ejus domus cepit, et sub finem mensis Junii idem Bernardus cum Sanchio Occhioa, Vincentio Valentino et Thoma Bononiensi, ibidem habitare coeperunt; nam aliquot dies supellectilibus parandis prius impensi fuerant.

510. Et initio quidem, quoad valetudinem attinet, melius habere coepit P. Bernardus; et sub initium Junii [1] scholae fuerunt apertae, et prima quidem die viginti scholastici, secundo quadraginta venerunt; paucis diebus jam supra centum erant, et mense Septembri ad ducentos et quadraginta jam ascenderant. Qui mittebantur interim, valetudinis gratia, ex Collegio Panormitano, omnes fere bene habebant; non tamen hoc accidit Mag. Andreae Frisio nec ipsi P. Bernardo, qui mense Julio in gravem incidit morbum, qui tandem in quartanam se convertit.

511. Erat Vicarius ac suffragraneus extra urbem, in visitatione dioecesis occupatus, cum nostri Montem Regalem venerant. Cum ergo redeuntem salutassent, et dixissent cum ejus beneplacito se consueta Societatis ministeria, praedicandi, scilicet, et legendi, et sacramenta ministrandi, exercitaturos,

---

[1] Sic, sed videtur mendum et scribendum *Julii*, cum Orlandini, l. xiii, n. 20.

suum animum ille ostendere coepit non admodum erga nostros benevolum, et dixit non licere his, qui sacerdotes non sunt, concionari, et ipsum quidem P. Bernardum concionari posse, non tamen Sanctium, qui hoc munere alicubi functus erat, donec sacerdos fieret. Oportuit demum nostra privilegia ei legenda et examinanda proponere; et tandem cum P. Hieronymus eo se contulisset, ei dixit Vicarius quod licebat nostris per ipsum concionari, et coram humanitatem exhibebat nostris et honorem, sed in absentia parum nostris aequum se praebebat; et ex eo tempore quo P. Jacobus Laynez, in visitatione ejus Archiepiscopatus, quaedam constituerat pro communi pace et bono inter monachos et clericos tuendo, et ad reformationem pertinentia [1], hic Vicarius et suffraganeus, ut ferebatur, male in ipsum affectus esse coepit; et cum civitas, elapsis mensibus, Cardinali Farnesio scribere vellet ut Collegium hoc institueret, ille consilium dedit, immo exhortatus est civitatem ut id non faceret, et addebat, nullum fructum ex Panormitano Collegio consequi; et quamvis nostri profiterentur se gratis docere, quod tamen oporteret nostris munera dare. Demum sibi non placere ut collegium ibi fieret multis modis significabat; quo autem animo, eventus videtur significasse, nam officio tandem suo a Cardinali propter graves causas privatus fuit.

512. Unus eorum quibus persuaserat non esse collegium erigendum, praetor civitatis erat, qui tamen filium suum misit; et cum aliqua munera ad nostros mitteret, nec ab eo nec ab alio quoquam admissa fuerunt. Quidam Prior, Dominus Hieronymus Seguera, vir in ea urbe primarius, contrario prorsus modo affectus erat; qui consilio et favore et omni opera res collegii promovebat, et cives ad suos filios mittendos, et ut ipsi ad conciones et catechismum accederent, hortabatur, et omnium, quae utiliter ibi gesta sunt, particeps propter suum fervorem merito censebatur.

513. Correctorem non habebant ad puniendos discipulos, quod reditus pertenues Gubernatori viderentur; ipsi itaque magistri pueros castigabant; quod si Patri Ignatio non probare-

---

[1] Monteregalensem Archiepiscopatum visitavit P. Laynez anno 1549. Vide, praeter Orlandini et alios, supra in hoc *Chron.*, t. 1, pag. 360 et seq.—Apostolicas Pauli III litteras, pro hac pace inter monachos et clericos stabilienda, die 26 Julii 1549 datas, quarum etiam meminit Polancus, t. 1, n. 380, affert ROCCHUS PIRRUS, l. c.

tur, curaturum se dicebat P. Bernardus ut unus ex adultioribus aetatis [1] alios ex praescripto magistri castigaret [2].

514. Scholastici interim et in modestia et in vitiis relinquendis proficiebant, et ipsimet filii parentes, cum blasphemarent, reprehendebant; quod non solum parentibus non erat molestum, sed eis etiam injungebant ut id ipsum in posterum facerent. Ipsemet Gubernator urbis privatum habebat filiorum suorum praeceptorem domi; sed quia bonos mores illi non addiscebant, et natu major filius tam superbe se gerebat domi ut familia eum ferre non posset, ablegato illo praeceptore, juvenem ad scholas nostras misit, et paucis diebus tanta in eo morum mutatio facta est, ut Gubernator ad gratias agendas P. Bernardo miserit, et ut eum certiorem redderet, quod ipsius filius velut angelus quidam effectus videbatur. Idem accidit cuidam alii ex primariis ejus urbis et compluribus ex plebe.

515. Praedicare coepit Sanctius in monasterio, quod Sancti Erasti nominabant. Nec solum moniales, sed et multi saeculares, qui ad templum veniebant, perlibenter eum audiebant. Eodem die a prandio coepit idem P. Bernardus mense Julio catechismum vel christianam doctrinam explicare; et, praeter scholasticos, frequens etiam aliorum hominum auditorium habuit; et quia in collegio tunc commodus locus non erat, in hospitali quodam vicino hanc lectionem, quamdiu valetudo permisit, prosecutus est; immo cum aegrotaret Mag. Michaël Botellus Panormi, quem suo loco P. Paulus, Bibonam recedens, reliquerat, idem P. Oliverius, Panormum veniens, christianae doctrinae lectionem, die veneris a Mag. Botello explicari solitam, praelegit; et cum secum deduxisset Octavium [3] Montem Regalem, et apud moniales Sancti Erasti concionem ille habuisset, tantopere placuit, ut stuperent homines tantum Dei donum in adolescentulo. Crescebat autem tam concionum Sanctii, diebus dominicis, quam lectionum ipsius Oliverii, auditorum numerus, et consolatio populi ac fructus.

516. Cum autem accessisset Montem Regalem sub Augusti initium Mag. Michaël Botellus, rogatus est a Vicario ut jubilaeum concionando promulgaret; quod cum tanta omnium

---

[1] Sic.

[2] Vide supra, nn. 36, 46 et 341.

[3] Octavium, seu Octavianum, Cesari? Vide supra, nn. 401-403, pag. 190 et seq.

satisfactione praestitit, ut in eis commendandis et praeferendis aliorum religiosorum concionibus Gubernator et alii modum excederent.

517. Agebatur de juvandis clericis ejusdem dioecesis, quia magna ignorantia laborabant, et proposuerat P. Bernardus lectionem casuum conscientiae eis praelegere, ut formas sacramentorum et alia necessaria eis declararet; sed cum in quartanam febrim, ut prius diximus, incidisset, non hanc solum sed et christianae doctrinae lectionem omisit, et ipse Monte Regali recedere coactus est; et ejus in aliis gubernandis locum P. Daniel belga [1] subivit, et magister Vincentius valentinus christianae doctrinae lectionem cum satisfactione auditorum prosecutus est.

518. Ante tamen quam in aegritudinem incideret P. Bernardus, bene admodum meritus est de viro quodam ad mortem damnato, qui, audita sententia, in tantam desperationem inciderat, ut, in terram se projiciens, ne audire quidem loquentes de salute ipsius vellet; sed non ante ab eo recessit P. Oliverius, quam eum contentum et libenter mortem admittentem relinqueret. Die autem sequenti Sanctius eum invisit, et postridie cum alio sacerdote usque ad locum supplicii comitatus est; et tam laetus ad mortem ille accedebat, ut affirmaret quod, si Gubernator vitam ipsi condonare vellet, aegre id esset laturus; et rogabat judices ut majora ipsi tormenta injungi juberent et mortem crudeliorem. Demum civibus Montis Regalis tam constanter et laeto animo mori visus est, ut neminem ei similem se vidisse affirmarent; et instructoribus Societatis nostrae, ut ministris divinae gratiae, id acceptum ferebant.

519. Coeperat idem P. Bernardus exercitia spiritualia proponere Abbatissae Sti. Erasti, quae, cum P. Laynez visitaret illam ecclesiam, electa fuerat in Abbatissam, et coeperat institutam reformationem juxta suam regulam diligenter exsequi; sed postea, ut intellectum erat, non perinde diligenter in coeptis perseverabat; et fructus non exiguus ex spiritualibus his exercitiis sperabatur. Sed impedivit progressum et fructum sibi timens Satanas, per eos, quos populus facile cognoscebat

---

[1] P. Daniel Paeybroek, a Denderamunda (Termonde). Vide *Litterae Quadrimestres*, t. 1, pag. 28.

invidia tangi, qui etiam aliis in rebus obmurmurare occulte et contradicere cernebantur.

520. Quamvis autem Sanctius concionator a Vicario et suffraganeo et aliis audiretur, qui libenter reprehendendi occasionem accepissent, sic divina bonitas eum dirigebat, ut nullam invenire potuerint, quamvis theologiae nullam operam ille dederat. Christianae doctrinae lectorem eruditum esse Vicarius dicebat, sed ipsam lectionem ibi parum utilem esse. Sed cum aperte bonus ille vir prae se ferret malum erga Collegium animum, quod ne videre quidem posse dicebatur, nullus erat tota in urbe, qui non benevolus nostris esset, praeter illum; unde et Gubernator et civitas Cardinali scripserunt, gratias agentes de collegii institutione, et de ejus fructu scribentes. Dedit etiam Gubernator octoginta aureos ad subsidium fabricae, ex quadam poena pecuniaria, et alias etiam eidem applicare constituerat.

521. Ipso die Assumptionis B. Virginis promotus est ad sacerdotium Sanctius Ochoa, navarrus, quo die monachi contra Vicarium et clericos quaedam publice egerunt contra ordinationes inter ipsos relictas a P. Laynez; quae non exigui scandali causa fuerunt, ut facile videri possit in eadem ecclesia monachos et clericos versari cum quiete et pace difficile posse, quamvis leges bonae ipsis praescribantur [1].

522. Sub anni finem P. Elpidius ad hoc collegiolum Montis Regalis, ubi quinque vel sex tantum ex nostris erant, missus est, ut ejus curam haberet donec alium Provincialis mitteret.

523. Jam inde a primo vere hujus anni agebatur de collegio Bibonae instituendo. Comes enim necessaria suppeditare volebat, et Comitissa, D.ª Isabella de Vega, sacerdotem aliquem eo mitti optabat, qui ad Collegii curam gerendam idoneus esset, et ad suam et mariti confessionem audiendam, et ad alia pietatis opera tractanda. Alium etiam sacerdotem ad haec ipsa munera adjungi optabant, et ut alter eorum posset concionari; duos praeterea magistros, qui grammaticam docerent, et alios ad ministeria domestica necessarios. Dicebat autem Comitissa quod, sicut alii de majoricatu aliquo instituendo solliciti sunt, sic ipsa sollicita erat futura de dote hujus collegii, et quod singulis annis aliquid vellet separare ad reditus emendos; et adju-

---

[1] Vide supra, n. 511, pag. 231.

vante, partim Comite, partim ipsa civitate, partim privatis quibusdam et copiosis hominibus, cogitabat hoc collegium prae caeteris ejus regni (excepto Panormitano et Messanensi) insigne efficere; et si mors non abscidisset ejus conatus, praestare id potuisset.

524. Curarunt autem ut P. Provincialis quaedam loca videret, quorum unum religiosi Sti. Dominici habitabant, sed ipsi alio migrare cupiebant, ut ferebatur; alter erat confraternitatis cujusdam Sancti Antonii, non perinde frequentiae urbis accommodum, sed in quo, propter situs latitudinem, majora commoda collegium habiturum videbatur.

525. Petebat ergo P. Provincialis a P. nostro Ignatio quid respondere deberet Comitissae, et addebat urbem super duo millia familiarum habere et in dies augeri; homines minime maligno ingenio esse, et ad litteras idoneos, nam tres ibidem scholae triviales et multi doctores in jure ibi erant et aliquis theologus. Habebat etiam plurimas urbes et oppida vicina intra unius diei iter; abundabat frumento, carnibus et vino, et aliis ad vitam agendam necessariis; abundabat fontibus et hortis, et aëre salubri fruebatur; ac demum cum inter oppida, atque urbes in montibus sitas, optima haberetur Bibona, frequens scholasticorum concursus sperabatur [1].

526. Cum hac de re P. Provincialis cum Pro-rege contulisset, significavit Pro-rex Comitem, ipsius generum, ob sumptus quosdam graves, quos fecisset, non posse id temporis collegium instituere. Et in causa id fuit ut, cum de collegio Montis Regalis ageretur, eo mitteret P. Bernardum Oliverium, quem Rectorem constituere Messanae cogitaverat, ut inde P. Antonium Vinchium deduceret, et Bibonae Rectorem novi collegii constitueret. Et cum rediisset deinde Bibonam ipse Provincialis, et Comitissae retulisset quod Pro-regi non videretur collegium inchoandum, ne Comes plus aequo gravaretur, minime Comitissa conquievit; sed cum intelligeret Montis Regalis collegium cum dotatione ducentorum scutorum aureorum fuisse admissum, dixit de suo tantumdem daturam; et praeterea Comitem et ipsam civitatem aliquid daturos.

---

[1] Scripserat de iis Ignatio Domenechus 29 Junii et 12 et 13 Julii, cui respondit, *ex com.*, Polancus 27 ejusdem mensis.

527. Pater quidem Ignatius, qui generosum et pium Comitissae animum noverat, P. Hieronymo facultatem dederat collegium hoc etiam admittendi, si haberet operarios ad illud inchoandum idoneos [1]. At facile non erat Provinciali eos invenire, cum praesertim et Rector non exigui talenti, et aliquis ex praeceptoribus, in rhetorica et graecis litteris eruditus, necessarius esset; nam praeter alios de populo, ipse Comes litteratus erat, et aliis ludimagistris se opponere non quivis poterat et collegii auctoritatem tueri.

528. Extrahebat ergo rem Provincialis; sed efficere non potuit ut saltem sacerdotem confessarium statim non mitteret; et ita P. Antonius Vinchius Junio mense eo missus est, dum collegium mittebatur; ad quod instituendum fatebatur Comes se reditus statim assignare non posse; sed dare ipse volebat tantum frumenti, carnis et vini et aliarum rerum ad victum necessariarum, quantum octo personis sufficeret; et praeterea centum aureos singulis annis ad res alias comparandas. Ipsa etiam Comitissa domum propriam et omnibus supellectilibus instructam offerebat; temporis autem successu et reditus stabiles et augmentum pollicebatur; hoc enim tantum ut principium quoddam collegii expetebat [2].

529. Antequam P. Antonius eo veniret, ut superius diximus, P. Paulus de Achilles, aliquamdiu Bibonae versatus, et christianam doctrinam legere ad institutionem adolescentum coeperat, et apud quasdam moniales concionari, et bonum Societatis odorem augere; nam monasterium illud a P. Provinciali, qui utroque prius eo venerat, ad reformatam vivendi rationem, Pro-rege adjuvante, reductum fuerat; et cum prius peculium proprium retinerent, jam in communi et cum magna sua consolatione vivebant, et a Domina Isabella, Comitissa, in rebus temporalibus opportuna subsidia accipiebant. Aderant etiam ludimagistri cum suis scholasticis, cum bis in hebdomada christiana doctrina explicaretur [3]; aderant sacerdotes aliqui, et ex curia Comitum ac civitate ipsa nonnulli.

---

[1] Scripsit etiam Comiti de Luna Ignatius litteras, quas habes in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 328, et alias Comitissae, pag. 330.

[2] Supra, n. 481, pag. 221.

[3] Legem tulerat hoc anno Pro-rex: "Item che li mastri di scola siano tenuti et obligati d' insignare et instruire li loro scolari la Cristiana Dottrina, cioè quello, che è

530. Augebat etiam aedificationem populi quod idem P. Paulus hospitale visitabat; et cum ad Comitissam referret quae necessaria erant de medico ac pharmacis, aliisque rebus necessariis ad victum, illa provideri curabat; et cum aegrotantium confessiones P. Paulus audiret, et etiam in carcere detentorum, et similia ad vinctorum subsidia curaret, de utrisque bene admodum merebatur, et bibonenses et amare et revereri nostros non parum coeperunt. Panormum autem redeunte P. Paulo, pietatis haec opera P. Antonius est prosecutus, quamdiu Comites sunt ibidem versati; nam Calatabellotam, oppidum ejusdem dominii, se inde contulerunt; sed sub autumnum Comitissa redire, et manum statim aedificando collegio admovere decreverat in situ quodam, qui valde opportunus videbatur.

531. Et quia Pro-rex, mutata sententia, non differendum esse collegium censebat ad consolationem Comitissae et populi auxilium, rogavit P. Provincialis obnixe P. Ignatium ut aliquos operarios (praeter P. Elpidium cum sociis) eo mitteret, ut posset satisfieri devotioni Dominae Isabellae; quae etiam simul cum Comite ad P. Ignatium scripserunt et, ut collegium illud admitteret, obnixe rogarunt. Quamvis ergo initio P. Ignatius neminem ex his, quos nominaverat Romam mittendos, retinendum scripserat, sed ut novo collegio [Provincialis] provideret ut optime posset, postea cum P. Elpidio aliquos etiam ad docendum idoneos misisset, cum propter mortem vel morbos quorumdam illi non sufficerent, de aliis mittendis cogitavit. Pauci tamen hoc anno, quo res Bibonae praeparabantur, eo missi sunt; nec scholae usque ad sequentem inchoatae fuerunt.

532. Hoc non omittam, quod cum hoc anno Collegium Panormitanum debitis premeretur et expensis, ad aliquam portiunculam redituum vendendam, facultatem a P. Ignatio postularunt et obtinuerunt. Sed cum idem Pater diligentius cogitasset non expedire ut hoc ostium ad alienandum aperiretur, brevi alias litteras ad illam facultatem revocandam misit; et ita utraeque simul ad P. Provincialem delatae fuerunt; cui etiam revocatio facultatis magis placuit quam ipsa facultas placuerat.

533. Quod Calatagironae offerebatur id temporis, non solum

---

obligato ogni Cristiano sapere, e secondo comanda la Santa Madre Chiesa, e questo sotto pena d' onze quattro Regio fisco applicanda.„ *Pragmaticarum Regni Siciliae novisima collectio,* t. 1, pag. 435. *De variis ordinat. Joannis de Vega,* pragmatica XI.

admittendum esse P. Ignatius non censuit, quod reditus exigui offerrentur, sed etiam quia illi offerebantur, qui concionatori adventus et quadragesimae dari solebant. Consequens enim videbatur ut eam obligationem collegium subiret, quam ex instituto non debebat, licet eadem munia obiret [1].

534. Cum P. Ignatius in Siciliam hoc anno multos misisset, quorum bona pars juvenes, et in Societate non diu versati erant, de eorum qualitate Provincialem admonebat, ut quales hi essent et qua ratione gubernandi intelligeret [2].

Et haec de Sicilia, nova provincia, dicta sint.

DE COLLEGIO VIENNENSI

535. P. Nicolaus Lanoyus, Collegii Viennensis Rector constitutus, jam dudum facultatem emittendi professionem acceperat, et P. Canisius eum adhortabatur ne eam amplius differret; sed exspectabat ille Labacensem Episcopum, in cujus manibus eam emitteret. Verum, cum diu reditus ejus Viennam differretur, die 15.ª Januarii, in manibus Nuncii Apostolici, qui erat Dominus Comes et Abbas, Hieronymus Martinengus, eam emisit. Diem autem illum elegit, quod in eo festum Nominis Jesu celebratur; et ita tres jam professi eo in collegio versabantur, nimirum, praeter P. Lanoyum, Patres Canisius et Gaudanus, qui cum quartana febri diu conflictatus, tandem, mense Majo ineunte, illa liberatus est [3].

536. Dabant autem operam domestici linguae germanicae, praeter paucos, qui ad eam idonei non censebantur. Consecrarunt autem se Societati, votis emissis, Joannes Dirsius et Jonas Adlerus, germani juvenes, et, litteris ad P. Ignatium scriptis,

---

[1] De iis videndae litterae, quas Polancus, *ex com.*, scripsit Patri Hieronymo Domenech, 20 Aug.

[2] Vide supra, n. 467, not. 1, pag. 215.

[3] Vide supra, n. 15, pag. 12, et not. 1, pag. 13.—"Tertio et quinquagesimo, quem dicebamus, anno, Januarii quintodecimo die Nicolaus Lanoyus Rector solemnia rite vota in Scotensium Aede sacra, primus de Provincia, professus est, excipiente professionem Hieronymo Martinengo, Pontificio Nuncio, quum Divinam ad aras rem Canisius fecisset.„ SOCHER, *Historia S. J. Prov. Austriae,* lib. I, n. 96.

ut admitterentur obnixe rogabant [1]. Quidam ex fratribus, nomine Guilelmus, peste laboravit; sed, Deo adjuvante, sanitati restitutus est [2]. Grassata fuerat illa lues Viennae non paucos menses, quibus curia Regis Ferdinandi abfuit; sed nostri nec locum nec sua munera deseruerunt, tam in externorum auxilium, quam suum. Lectionem logices, quam P. Gaudanus propter adversam valetudinem praelegere non poterat, ipse P. Lanoyus, ne nostri carerent lectionibus, est prosecutus; et formandis praedicatoribus diligenter vacabant; et ideo domi germanice omnes loquebantur, praeter quam in lectionibus et disputationibus; et quotidie in concionibus fere ex tempore exercebantur in quavis lingua; et ita tam juvenes quam seniores proficiebant, et, Deo propitio, satis commoda valetudine utebantur. Laboravit quidem febri satis periculosa P. Canisius, sed brevi, sanitati restitutus, in consuetis laboribus se exercere perrexit.

537. Quod ad scholas attinet, non parum desudatum est antequam ab iis, penes quos erat praecipua potestas, liberam obtinere facultatem aperiendi scholas potuerint, et quosvis studiosos admittendi, tum quod adversarii multi essent, qui impedire contendebant, tum quod patroni procul aberant. Res autem sic gesta est: cum ferretur publicas lectiones brevi resumendas esse, eo quod lues cessare videretur, Rectores Universitatis responsum a curia Regis exspectabant, quod et acceperunt, ut secunda dominica quadragesimae ad lectiones inchoandas parati essent; et prima quidem dominica, post concionem, populum P. Canisius admonuerat quod lectiones ad institutionem juventutis nostris in scholis erant praelegendae, aliquid de ratione instituendae juventutis, qua Societas utitur, disserendo.

---

[1] Cooptati hi fuerunt in Sociorum numerum ab Ignatio per litteras a Polanco, *ex com.,* datas Patri Nicolao Launoy, 5 Februarii, ubi: "Che risponda a Joanne Dirschio et Jona Atlero che Nostro Padre li abbracia et accetta, etc.„—De Joanne Dirsio, vel Dyrsio aut Dirschio, ut in *Regesto* habet Polancus, vide supra, t. II, n. 357, pag. 565, et SOCHER, *Historia S. J. Prov. Austriae,* lib. I, n. 55 et 80.—De Jona Adler nihil aliud reperire adhuc valuimus praeter ejus nomen et litteras, quas ex *Historia varia,* vol. I, fol. 353, dedimus in *Cartas de San Ignacio,* t. VI, pag. 639.

[2] SOCHER, *Hist. S. J. Provinciae Austriae,* lib. I, n. 44, postquam eos, qui cum Launoyo, Canisio et Gaudano in Collegium Viennense, missi fuerunt, enumeravit, "Joannes Victoria et Morales, uterque Hispanus; Dominicus Menginus cum Nicolao quopiam, Galli; Belgae deinde Martinus Stevordianus et Erardus Avantianus.....„ addit: "Brixius, Guilielmus qua gente orti, qui fuerint, in obscuro est: Angelus et Suetonius Itali: qui non multo post cum Morale alii aliis annis Italiam repetiere; seu quod peregrinae linguae ignoratione parum utiles rebus gerendis essent, seu.....„

538. Fuit autem supplicatio quaedam a P. Rectore Lanoyo data, qua id a consistorio Universitatis petebat, ut liceret per eos scholas aperire; et eorum, qui praelecturi erant et acturi, catalogum miserunt, qui publicis in locis erat affigendus. Respondit autem Universitas, vel ejus consistorium, ut nostri abstinerent a scholis aperiendis, donec ipsi ad Regium Consilium (*Regimen* vocant) rem retulissent : nec enim sine illius consensu se permissuros affirmabant ut scholae aperirentur.

539. Erat in eo consistorio Universitatis Doctor quidam Wolfangius Lasius, a consiliis et historiis regiae Majestatis, qui et medicus erat, et P. Nicolai Gaudani curam agebat, vir catholicus et magni animi et Societatis nostrae amicissimus. Is cum videret homines illos, qui consilium sive consistorium Univetsitatis conficiebant, occasionem quaerere calumniae contra Societatem, quaedam ex his, quae proponebantur, male interpretando, gravibus verbis eos increpavit, quosdam in genere perstringendo ut in fide parum sanos; et, ut ad Episcopum Labacensem nostri scriberent, admonuit, quod et fecerunt.

540. Gubernatores ergo Austriae, vel Regimen Regium, ad quos Universitas negotium hoc rejecerat, sub finem Aprilis Viennam redierunt, et nostri, secuti consilium unius ex eis, qui amicus erat, supplicationem eis porrexerunt, cui respondentes concesserunt ut suam scholam secundum regiae Majestatis jussionem aperirent. Nec videbantur auctoritatem ullam conferre, sed permittere ut, accepta a Rege facultate, cessante pestis impedimento, uterentur, quamvis nostri facultatem legendi et approbationem ab eis peterent; nam, juxta P. Claudii piae memoriae sententiam, more parisiensi collegium illud nostrum instituendum erat, ut scilicet usque ad magisterium in philosophiae facultate scholastici in nostro collegio instituerentur, et gradus ab ipsa Universitate cum aliis studiosis acciperent. Et quia hoc pugnabat cum privilegiis Universitatis et consuetudine non admittendi quemquam ad magisterium, qui dialecticam et philosophiam ab ejusdem Universitatis professoribus non audierit, qui more professorum Italiae docebant, petenda erat ab eis facultas [1]. Illi tamen, quasi supponendo quod a Rege

---

[1] Qui attente quae in hoc *Chronico* passim de studiis litterarum et, quas vocant, superiorum facultatum dicuntur, perpenderit, haud dubitamus quin clare percipiet quan-

Romanorum eam accepissent, solum ut aperirentur scholae permiserunt.

541. Et Episcopus quidem Labacensis lectiones ad nostrorum usum et non externorum esse praelegendas sentiebat; nec a Rege alia expressa facultas obtenta adhuc erat; aliquos nihilominus externos jam admittere coeperant; et cum P. Ignatii praescriptum eo pervenisset, ut more collegiorum Siciliae schotrilae aperirentur (ad quod nostra privilegia nobis facultatem tribuunt), bono animo nostri et publicarunt lectiones, et quosvis accedentes admiserunt; et hi, qui nostrorum conatibus sese opponebant, facile cesserunt; nam ante illum qualemcumque consensum, parentes quorumdam adolescentum, quos bene institui cupiebant, nostris eos erudiendos obtrudebant, quamvis nondum facultatem esse impetratam intelligerent.

542. Sed post illam qualemcumque, brevi temporis spatio, tres scholae, tunc a nostris institutae, studiosis repleri coeperunt. Nec illi, nec obtrectatores, qui novam quamdam docendi rationem, quae labefactaret inclytum illud Viennense gymnasium, nostros afferre dicebant, eos impedire potuerunt, et leges omnibus communes, quae rectam institutionem pietatis ac doctrinae simul respiciebant, sunt omnibus propositae. Inter hos studiosos filii erant nobilium virorum aulae regiae et civitatis Viennensis, qui primaria auctoritate fulgebant et praecipua gerebant officia; et plerique eorum filios suos nobiscum sub eodem tecto manere, more Collegii Germanici, cupiebant; quorum piis desideriis aliquando satisfieri posse nostri sperabant; sed tunc incommoditas habitationis id non ferebat.

543. Initio hujus anni duo concionatores, alter in germani-

---

tum Ignatius et, Ignatii exemplum secuti, primi Societatis Patres amarint caeterisque longe praetulerint docendi studendique methodum, quae Parisiensi Universitati peculiaris erat. Nec dici potest ideo eos ita sensisse, quia in Parisiensi Universitate his facultatibus operam ipsi dederant ejusque methodo assueti erant. Nam postquam Parisiis excesserunt et in varia per Europam loca dispertiti sunt, aliarum Universitatum mores noverunt et quotidiana docebantur experientia, eos, qui ex aliis, Italiae praesertim (vide supra, n. 328, pag. 162, et in litteris S. Ignatii), Universitatibus ad Societatem accedebant, pares haud esse, quod ad eruditionem spectat, iis qui aut ex Parisiensi aut ex iis, in quibus, ut in Valentina et aliis, Parisiensis docendi methodus vigebat. Quare haud oleum operamque perditurum arbitramur, qui praecipuarum Universitatum in tradendis disciplinis diversas methodos moresque declarare et alias aliis conferre et discrimina ostendere conabitur. Inde enim forte quaedam saltem, quae in *Constitutionibus Societatis* et in *Ratione Studiorum* sancita sunt, clariore, quam hactenus, luce donabuntur majorique ab omnibus pretio habebuntur.

ca, alter in italica lingua, dominicis et festis diebus, conciona bantur; uterque tamen sollicite ac vigilanter suos auditores instituebat: germanos P. Canisius, italos P. Joannes a Victoria, qui, praeter concionem, christianam etiam doctrinam suos eisdem diebus docebat. Cum autem abesset curia Regis Romanorum, auditorum ejus major ac paene totus numerus erat italorum, quorum summa erat in fundamentis nostrae religionis ignorantia. Fratres autem aliquot designati erant ut juniores inter hos eadem docerent.

544. Continuabat autem suas conciones germanicas in templo B. Virginis P. Canisius, quamquam piae importunitati monialium, quae diversis in coenobiis id expetebant, in eodem munere morem eis gerere cogebatur.

545. Majorem tamen quadragesimae partem in Inferiori Austria peragranda peregrinationis ergo consumpsit. Miserat enim Rex Romanorum Ferdinandus ex Gratio (ubi se tota hyeme continuerat) exemplaria quatuor vel quinque litterarum cum facultate concionandi et ministrandi sacramenta, his praesertim in locis, ubi pastoribus oves Christi erant destitutae; et cum solus P. Canisius id temporis perfecte calleret linguam germanicam inter sacerdotes, solus explere jussa Regis potuit. Gaudebant autem homines pii illis in locis, in quibus versatus est, tam de zelo christianissimi Regis sui, quam ipsiusmet P. Canisii, qui, in tanta nivium abundantia, tanto gelu ac frigore, et, quod majus erat, in tanta hominum haereticorum ac barbarorum passim occurrentium petulantia, tam diligenter, ad haec sancta ministeria inter eos excercenda, peregrinaretur [1].

546. Doctrinam christianam audiebant etiam pueri diebus veneris, qua absoluta, ad campanae pulsum evocabantur, et pulchro ordine et magna cum modestia procedebant ad solemnem processionem vel supplicationem, quae singulis hebdomadis in summo templo fiebat; quae res non mediocrem populo aedificationem praestabat; diebus autem festis ac dominicis praeceptores eorum, ex occurrenti evangelio, quisque suis per unam horam aliquid explicabat [2].

---

[1] "Ea maximam jejunii verni partem excursio tenuit, fuitque omnium prima, quas nostri homines deinceps per Austriam obivere.„ Socher, l. c., n. 97.

[2] Quae in hoc n. 546 dicuntur, non de locis, quae peragrabat Canisius, sed de Collegio Societatis Viennensi intelligenda sunt. "Circa l'institutione delle classi di grammatica

547. Pervenerat hac aestate Viennam jubilaeum cum litteris Apostolicis ad Reginam Bohemiae delatum, et cum eisdem litteris ad collegium nostrum Roma missum fuerat. At P. Canisius Archipresbytero et aliis, quorum ex officio interest apud populum pias promovere causas, exhiberi et in germanica lingua typisque excudi, valvisque ecclesiarum et locorum aliorum passim affigi curavit. Parochi igitur in suis ecclesiis hujus sacri jubilaei indulgentias plebi suae indixerunt, et, ut rogati fuerant a nostris, satis diligenter populo commendarunt; quin et ipse P. Canisius, in concionibus coram Regia Majestate habitis, praeclare de indulgentiarum utilitate atque usu disseruit, deplorans simul negligentiam et socordiam populi germanici, qui hanc et hujusmodi gratias, a divina bonitate per Sedem Apostolicam concessas, fere pro ludibrio habebat. Testabantur autem plerique viri aetate graves numquam se de dignitate ac utilitate indulgentiarum fuisse instructos; immo quid sibi vellent indulgentiae eatenus ignorasse. Nonnulli etiam, dum haec praedicarentur, a lacrymis se temperare nequibant; nec mirum quod dolore compungi debuerint quod ignorantia tantorum donorum diu laborantes, multiplicibus bonis ita se fraudatos intelligebant. Et hac P. Canisii diligentia factum est, ut longe plures germanici, quam alias soliti erant, jubilaei praedicti gratiam promererentur, et ex eis copiosior in horrea Domini fructus colligeretur. Hispanos cum plerisque italis, ad hoc jubilaeum obtinendum properantes, non fuit opus exhortari; satis illis erat si, talem gratiam esse a Summo Pontifice transmissam, eis constaret; et ita magnam confitentium et communicantium multitudinem nostri habuerunt [1].

548. Occasio, propter quam coram Rege Romanorum P. Canisius concionaretur, mors fuit Episcopi Viennensis, qui concionator erat ordinarius Regis Romanorum, et ut hoc officio fungeretur ipsius curiam sequebatur. Illo ergo defuncto, cum

---

et dottrina christiana, V. R. è prattico et sà l' intentione di Nostro Padre et quello che sarà in Vienna espediente considerate le circumstantie; et così Nostro Padre si rimette et etiam circa le persone che debbono attendere alle classi; quantunque Martino ci pareva idoneo per maggiori cose, cioè per sentir teologia et poter predicare, mostrando qua molto buono ingegno et gratia, come anche Mtro. Erardo.„ Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoy, 27 Junii.

1 Aliud Jubilaeum hoc ipso anno sub hyeme misit Ignatius Viennensibus. "Qui si manda un Giubileo, cui tenore vederanno le RR. VV. et lo potranno publicare come si giudicherà conveniente.„ Polancus, *ex com.*, Patri Canisio, 23 Nov.

Viennam Rex Ferdinandus venisset, secundo festo Pentecostes cum audire Rex voluit [1]; et, ut Nuncius Apostolicus et Venetorum orator [2] referebat, Regi valde placuerat; et, cum die sequenti etiam concionatus esset, futurus ordinarius concionator Regis videbatur. Quamvis tamen et doctrina et zelus et eloquentia Regi pergrata essent, ut publicae utilitati consuleret potius quam privatae consolationi, voluit Rex idem ut in cathedrali templo, quo populus frequentior conveniebat, concionaretur; et attentius in dies et majori cum benevolentia populi et fructu audiebatur. Sed, cum in festis Natalitiis idem Rex ordinario destitueretur concionatore, ad Canisium eumdem itum est, qui utrobique, id est, et apud Regem et in templo summo, non sine magno labore, concionandi munere functus est; nam, altera concione absoluta, statim ad alteram progrediendum ei erat, quae res efficiebat ut magis ac magis in dies bonus odor ac fama ipsius atque etiam Societatis increbresceret.

549. Sed et anni progressu quorumdam etiam fratrum nostrorum ex Inferiori Germania talentum populo coepit innotescere, qui, postquam non infeliciter intra privatos parietes domi se exercuissent in germanica lingua discenda, prodierunt in publicum, et cum gratia et cum aedificatione audientium, praeclarum specimen suorum laborum ediderunt; et cum conciones ipsi etiam prosequerentur, auditores ipsorum, qui initio rari fuerant, quod non ita eleganter ipsorum idioma callerent, ut prurientes eorum aures requirebant, frequentiores deinde esse coeperunt; et cum initio instandum esset apud eos, quorum intererat, ut concederent nostris verba aliquando populo facere, paulatim horum juvenum concionibus afficiebantur, et instare ipsi atque urgere coeperunt ut nostri conciones prosequerentur, magnum et auditorum numerum et fructum pollicentes.

550. Quamdiu Rex Ferdinandus cum curia sua absens fuit propter pestem, minor fuit confitentium et communicantium multitudo; plurimi enim ex ejus familia, tam itali quam hispani, nostris sacerdotibus ad hoc sacramentorum ministerium ute-

---

[1] "Canisio Viennam reverso novus ille ad caeteros accessit labor, ut Ferdinando Regi a concionibus juberetur esse; cui muneri anteactis annis Fridericus Nausea et Christophorus Werthweinus, Praesules Vindobonenses magna sua commendatione praefuerant.„ SOCHER, l. c., n. 98.

[2] Venetorum apud Ferdinandum orator seu legatus erat Michaël Surianus. Vide supra, t. II; pag. 209, ann. 1551, n. 93.

bantur. Compensatum tamen hoc dispendium est, quod non pauci primis mensibus hujus anni, ex remotis civitatibus illarum provinciarum, per quas itali passim dispersi erant, Viennam confluxerunt, cum ibi sacerdotes esse italos, vel italice scientes, audissent, qui propter inopiam sacerdotum, a quibus intelligi possent, asserebant ipsi pluribus se annis hoc confessionis beneficio caruisse. Earumdem confessionum gratia, in hebdomada sancta contulit sese P. Victoria in oppidum quoddam Regni Ungariae, cui Domina quaedam nobilis, cognomento Sforzia [1], cum sua familia et militibus quibusdam, ei confessi sunt; et plures hoc ipsum fecissent, si tumultus bellici ad arma statim contra turcas capessenda illos non compulissent. Ibi turcam quemdam catechismo idem instruxit, qui, perfidia Mahometi relicta, christianus fieri volebat.

551. Magna etiam charitate suam operam nostri sacerdotes infirmis exhibuerunt, quorum confessiones non solum audiebant, sed et ad eos juvandos totos aliquando dies impendebant, noctesque interdum insomnes ducebant; et hujusmodi occasiones exercendae pietatis Viennae numquam deerant, ubi passim multi homines, diversis morbis occupati, quotidie mori solent.

552. Quamvis autem extra morem positum esset omnino ut ad Natalia festa Domini homines confiterentur, juvenes nostrae scholae piam hanc consuetudinem inducere coeperunt; et non solum confessi sunt, sed complures eorum etiam communicarunt, et quidem parentibus ipsorum non invitis; quae res, ut aliis studiosis aemulationem quamdam bonam et pudorem allatura videbatur, ita et eosdem motura temporis progressu, et gratia Dei opitulante, ut omnes, in solemnibus saltem festis, horum sacramentorum fructum uberem caperent; et filiorum exemplo corda etiam parentum ad pietatem emollienda sperabantur. Crescebat autem horum puerorum numerus, sub anni finem, ut in infima classe plures quam centum jam essent, adeo ut de quarta classe addenda nostri cogitarent.

553. In pagis Viennae circumjacentibus, cum bonus Societatis odor spargeretur, nostrorum opera valde desiderabatur, et in his praesertim, qui sacerdotibus erant destituti; unde ali-

---

[1] Ex militum praefectis unus, sub Castaldo, Italorum in Hungaria duce, erat Sforza Pallavicini. Vide infra, n. 568.

qui ad nostros in festis solemnibus accurrebant, et humiliter petebant ut eo nostri se conferrent, divina officia celebraturi. Quamvis autem piis eorum petitionibus satisfieri juxta votum nostrorum non potuerit, pro viribus tamen eis satisfacere studuerunt; atque ita P. Gaudanus in festis Natalitiis ad aliquot pagos cum socio excurrit, qui tum sacrificium Missae offerendo, tum concionando, populos aedificarunt [1].

554. Inimicitiae quaedam ut tollerentur nostri diligenter curarunt, quo in munere P. Victoria utilem navavit operam, qui diversos, tum italos tum hispanos, et aliquos non infimae sortis viros, diversis simultatibus inter se dissidentes, ad pacem revocavit; et qui diutius propter odia mutua a sanctis poenitentiae et eucharistiae sacramentis arcebantur, se Deo et proximis integre reconciliatos gaudebant.

555. Plerique cives, ex his qui filios ad nostras scholas mittebant, cum nihil mercedis a nostris recipi viderent, se totos humanissime offerebant, si qua in re nostris prodesse possent. Eorum unus, ut animi sui benevolentiam certius declararet, ad aliquem amicorum Societatis accessit, investigans qua posset ratione nostris gratificari; se quidem paratum esse, quoniam nostri pecunias recusarent, pannum ad vestes conficiendas et alia hujusmodi donare; sed ne ista quidem admitti intellexit. Ex optimatibus itaque et ex plebejis erant non pauci, qui optime de nobis mereri, et nostrorum famam tueri, ac res promovere studerent (et inter hos erant aliqui, quos maxime infensos sibi fore nostri timuerant), ad quod eorum filiorum profectus in litteris et moribus excitabat.

556. Invitati fuerant nostri ut in gremium Universitatis se admitti paterentur: et quamvis recusabant, non tamen evadere id potuerunt, nam Regis voluntate ad id quodammodo compulsi fuerunt [2]. Pergebant etiam in theologicis lectionibus PP. Canisius et Gaudanus; hic secundum Magistri sententiarum pomeri-

---

[1] Flagrabat adeo animarum zelo et desiderio Germaniam juvandi bonus P. Gaudanus ut non solum efficaciam in Dei verbo proximis proponendo sed et lacrymarum donum sibi a Deo ut obtineret, Patrem Ignatium rogaverit, ut ex litteris elicitur, quas ipsi, *ex com.*, scripsit Polancus 22 Nov.

[2] Circa l' essere incorporati alla Università, nostro Padre è contento che siano incorporati con questa conditione: che sia senza prejudizio della Compagnia et in modo che non acceptino dignità, perche questo non sarebbe decente alla Religione nostra et instituto di quella fondato *in spiritu humilitatis*.„ Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoy, 27 Jul.

diano tempore; ille evangelium secundum Matthaeum mane interpretabatur.

557. Ut autem publicis studiis magis consultum foret, eidem Regi placuit ut ex duobus doctoribus theologis, qui collegio professorum solebant praeesse, alter esset P. Canisius, qui non solum habitare in illo collegio, sed mensam etiam communem cum aliis habere debuit, ut verbo et exemplo ad ejusdem collegii disciplinam collapsam instaurandam incumberet. Et quamvis ad consolationem ipsius P. Canisii parum id faceret, tamen ne ea quidem in re ejus [1] piae voluntati repugnandum esse visum est.

558. Crescebat autem in dies Regis benevolentia erga nostros; nec obscure id significabat, quandocumque se occasio ad id offerebat. In misero enim statu illarum regionum, sibi bonus Princeps persuasisse videbatur, multum auxilii ad negotia religionis a Societate nostra sperandum esse; quamvis de reducenda illa regione ad pristinum statum, si quis rerum humanarum dispositionem considerasset, spes magna non erat; nam obedientia erga Sedem Apostolicam Romanam non solum amissa erat, sed in odium quoddam capitale conversa. Nec facile credi potuisset quantopere sacramenta et res aliae sacrae contemnerentur. Et haec quidem non intelligantur dicta de illis populis, qui aperte Romanam Ecclesiam repugnabant; sed de his etiam, in quibus ritus et coerimoniae antiquae adhuc retinebantur; unde exclamabat cum magno dolore Episcopus Labacensis, quod in provinciis Regi Romanorum subditis, vix decima pars a labe haeresis immunis esset; erant qui ne trigesimam quidem et vix quinquagesimam partem liberam existimarent. Paucissimi admodum religiosi; monasteria ubique vacua, cum ille status monasticus in summum contemptum venisset, nec fere quisquam inveniretur qui religiosus fieri vellet; immo a sacris ordinibus abhorrebant etiam viri eruditi propter ecclesiastici status contemptum; ideo in ea provincia vix inveniebatur, qui ad Collegium Germanicum venire vellet, partim quia papistae videri erubescerent, partim quod grave onus videretur ad ecclesiasticos ordines aliquando suscipiendos teneri [2].

---

[1] Scilicet, Regis.

[2] Hunc Austriae statum litteris ad Ignatium 17 et 25 Julii datis descripserat Lau-

559. Huic autem malo in dies crescenti parum admodum quisque obsistebat; haeretici quidem nullum finem edendi catechismum et libellos, in vernacula lingua, suis erroribus refertos, faciebant; et populus ille talia diligebat, nec ad alios libros quaerendos animum applicabat. De punitione ne agendum quidem videbatur. Perveniebat corruptela haec ad pueros, qui ad nostras scholas mittebantur, qui passim codices pulchre compactos circumferebant, alii quidem catechismos, alii precatorios libellos, sed haeretica doctrina vitiatos, in ludum comportabant; quod praeceptores eorum non potuerunt aequo animo ferre. Et quamvis dexteritate opus erat cum juventute tam male instituta, coeperunt tamen hujusmodi libros detestari, et pueros deterrere ne talem pestem in sinu foverent; quod, licet initio aegre sit impetratum, feliciter tamen Deo propitio successit, adeo ut ad paucorum exemplum, qui coeperunt libellos hujusmodi offerre, complures alii sponte sua praeceptoribus suos erroribus plenos obtulerint; et voluptati erat interim nostris videre quod egregie ornatos et auro vestitos codices, laeti tamen, in ignem mittendos traderent; et nonnulli etiam quasi vindictam expetentes haeresiarchae, *Luther*, *Luther*, clamabant; ac ita paulatim male audire nomen Lutheri apud scholasticos nostros coepit; nec id omnino parentibus displicere intellectum est.

560. Quidam Dr. Borchardus, Viennensis canonicus et P. Canisii affinis [1], magistratui civitatis sponte sua Societatis nostrae institutum commendavit jam ab initio hujus anni, et de ratione procedendi et scopo illius multa disseruit. Civitas itaque melius de rebus Societatis sentire coepit, quamvis satis multi, ob corruptelam religionis, male animati erga nostros essent. Contulit etiam nonnihil quod nostri suggesserunt Regiae Majestati utile fore si publico testimonio auctoritatem, quam Societas habet praedicandi et sacramenta ministrandi, declararet. Idem Pataviensi [2] Episcopo nostri scripserunt, cujus

---

noyus, cui respondet *ex com.* Polancus 9 Aug. ejus animum erigens Angliae exemplo et quarumdam Germaniae provinciarum, ubi aliquantulum melius res religionis habere hoc tempore coeperant.

[1] Burchardus Vandebergius, D. Stephano dicatae principis Aedis Canonicus, idemque Canisii novercae frater.„ Socher, l. c., n. 85.

[2] Alias *Passaviensi*, ab urbe *Passau*.

dioecesis usque ad Viennae muros perveniebat. Statim autem litterae patentes a Rege Ferdinando acceptae fuerunt, quibus civitati Viennensi ac Senatui, ut nostram Societatem, ut sufficientissima auctoritate instructam ad populum docendum, exciperent; et similes litteras Rex ad Pataviensem Episcopum miserat, ut scilicet omni favore nostros, prout bonum pastorem decebat, prosequeretur. Sed antequam regiae litterae ad Pataviensem Antistitem pervenissent, jam ille per suas litteras patentes facultatem nostris et praedicandi et sacramenta ministrandi dederat.

561. Non omittam quod inter alios, qui magna benevolentia nostram Societatem complexi sunt, fuit Mathias [1] de Tassis, quem postarum magistrum Rex Romanorum habebat. Is suis litteris Romam scripsit omnem suam operam offerens officiose. Id peculiariter obtulit, ut litterae Societatis, licet tam multae essent ut equum integrum onerarent, nihil prorsus solverent litterarum latori et ad id scripsit Magistro Joanni Antonio de Tassis, qui Romae magister postarum erat, et ab eodem obtinuit ut, quae ultro citroque mitterentur litterae Societatis, sine ullo pretio nostris darentur, quia dicebat se propter nomen benedictum, quo Societas utebatur, scilicet, nomen Jesu [id facere] [2]. Et cum eum orationum Societatis P. Ignatius participem fecisset, mirum pro quam singulari beneficio id acceperit; et usque in hodiernum diem cum viginti anni sint elapsi, hoc beneficio illius fruitur Societas [3].

562. Quidam juvenis sanguine conjunctus praefecto triremium Regis Romanorum, quemque ille sibi substituere in eo officio cupiebat, cum in exercitiis Societatis versatus esset et aliquoties nostris confessus, Societatem ingredi constituit; nec ejus patruo, qui natione hispanus erat, id displicuit, quamvis eum sibi substituere in eo officio, et ipse in Hispaniam redire

---

[1] Sic in mss; sed alibi *Maffeus*, et saepius rectiusque, ut nobis nunc videtur, *Matthaeus*. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 216, not. 2, et in opere *Itinerario real de Postas*, auctore Petro Rodriguez Campomanes, Madrid, 1761, Prologi § 1, *Origen de las Postas de España y sus preeminencias*.

[2] Sigillum, quod litteris Romae ab Ignatio ejusque sociis scriptis superponebatur, nomen *Jesu* (JHS) exhibebat. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. I, pag. 456 et seq.

[3] "Corte del Re de' Romani. 1.° A Mattheo di Tassis, ringratiandolo della sua oblatione, una officiosa. 2.° Una patente della communicatione delle gratie... Mandate a 5 et 6 di Febraio 1553.„ *Regestum litterarum Sancti Ignatii*, vol. I, fol. 90 v.

vellet; sed sanctum propositum se impedire nolle fatebatur. Duo etiam alii hispani, adhibito etiam favore ex aula regia, admitti in Societatem curarunt et obtinuerunt. Quamvis, quod litteris latinis exculti non essent, P. Ignatius non facile tales juvenes esse admittendos in posterum censuit, nisi ad coadjutorum spiritualium [1] ministeria essent necessarii.

563. Dictabat P. Canisius diebus veneris catechismum pueris nostrarum scholarum, qui latine sciebant; infimae autem scholae idem magister Carolus Grin [2], qui ejus curam habebat, praestabat; et ita non solum auribus tenerae illius aetatis imprimebant catholicam institutionem, sed ut, in scriptis redactam, domum ferrent, quo possent memoriam renovare, curabant. Quod autem non multum auditorum numerus augeretur in tam numerosa civitate, duo in causa esse videbantur; alterum quod parentes, haeresi infecti, non facile liberos suos ad nos mitterent; alterum, quod pueris Despauterii grammatica praelegebatur, quae, ut exacta est, ita et prolixior et molestior credebatur, quam ut germanica ingenia illa libenter uterentur; breves enim praeceptiones illi cupiebant, et reliqua ex usu auctorum haurire, et ex quadam consuetudine loquendi volebant. Compendium quoddam hujus auctoris nostri postulabant, ut magis sese dispositioni ejus provinciae accomodarent [3]. Sequentibus tamen annis valde discipulorum numerus est auctus.

564. Occupatio quaedam P. Canisio Regis nomine injuncta est, simul cum Episcopo Trigestino hispano (ad Calaritanum Episcopatum is deinde translatus est) [4], et quibusdam consilia-

---

[1] Sic in mss.; sed in litteris, quas de his duobus Polancus, *ex com.*, dedit Patri Launoy, sermo de temporalium potius quam spiritualium coadjutorum ministeriis esse videtur.

[2] Sic ut supra, t. II. pag. 568, n. 361; alias saepius *Grim* et *Grimius*.

[3] "se paresse Despauterio troppo lungo, si potrà pigliar qualche altro più breve; quì si manda a V. R., o lo porteranno li fratelli, un principio o Rudimenti, che si sono fatti quì et si trovano utili; di là vederanno se faranno al suo proposito. Si fa etiam una Syntasse et si è fatta una *Copia rerum et verborum*, et come siano stampate, si manderanno.„ Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoyo, 9 Aug.

[4] Antonius Perragues et Castillejo, vere aptus cui hoc reformandae Universitatis munus cum Canisio committeretur; vir enim fuit in omni litterarum genere, linguarum praesertim orientalium, versatissimus et veterum codicum et librorum venator acerrimus. Vide Pedro Sainz de Baranda, *Noticia de los españoles que asistieron al Concilio de Trento;* Ughelli, *Italia sacra*, t. v; Vico, *Historia general de Sardeña*, parte 6.ª; et Toda y Güell, *Bibliografia española de Cerdeña*, ubi catalogum reperies Bibliothecae, quam moriens suae Calaritanae ecclesiae reliquit Perragues, exscriptum ex *Llibre del spoli del Arquebisbe Don Anton Perragues de Castillejo*, qui in Archivio Calaritanae Archiepiscopalis Curiae asservatur.

riis, ut scilicet Universitatem ad aliquam reformationis formam in quavis facultate et collegio adducerent. Sed non magnopere sibi P. Canisius id, in quod per tres hebdomadas incubuit, satisfecit; ea enim erat quorumdam dexteritas ex ejus sociis in visitandi munere, ut sine scrupulo haereticos etiam professores publicos, si docti essent, in quavis facultate vellent admittere, dummodo quisque intra limites suae professionis se contineret, et ita hic litteras graecas, ille jus civile, et alia hujusmodi, interpretarentur, ut nihil contra fidem catholicam attingerent. Sed hoc parum P. Canisio probabatur, cum negotio fidei ac religionis male admodum ea ratione consuleretur; et quamvis in corpus facultatis theologicae admissi nostri essent, et officium Decanatus et alia hujusmodi obire possent, non tamen impedire omnia mala, quae ipsis displicerent, ea ratione poterant; licet multa sane impedierunt et in dies impediunt [1].

565. Visus est autem tanta commiseratione dignus Germaniae status eidem Patri, ut cum in Dei praesidio spem totam constitueret, rogaverit obnixe P. Ignatium ut singulis sacerdotibus Societatis injungeret Missae sacrificium pro Germania Deo offerre quo, placata ipsius ira propter Christi sanguinem, illis regionibus subvenire dignaretur; et ut alii fratres nostri semel singulis mensibus idem sacrificium cum eadem intentione Deo offerrent; et facile hoc a P. Ignatio impetravit, quod multis annis sine intermissione effectum est [2].

566. Urgebat Episcopus Labacensis P. Ignatium ut remitteret in Germaniam magistrum Petrum Scorichium et idem Romanorum Rex expetebat; quia tamen videbatur P. Ignatio studia theologiae Romae utilius prosecuturus, non solum illum retinendum censuit [3], sed et P. Victoriam Vienna evocandum,

---

[1] De iis scripsit Canisius Ignatio 24 Augusti; cui respondit, *ex com.*, Polancus 19 Sept. ejus animum erigens et in spem adducens fore ut, si in bono proposito perseveret, non inutilis ejus labor evadat.

[2] "Circa la gratia che di Nostro Padre voleva ottener la R. V. di far che ogni mese si dicesse una messa per li sacerdoti et li non sacerdoti facessino oratione per l' ajuto spirituale della Germania et altre regioni settentrionali, io ho parlato a Nostro Padre et li parse petitione molto giusta; et così m' ha ordinato ch' io lo scriva a tutte le bande, o vero alli Provinciali, et questo senza limitatione di tempo ma continuamente insin' a tanto che cessi la necessità, il che Dio N. S. ci lasci presto vedere. Amen.„ Polancus, *ex com.*, Patri Petro Canisio, 25 Jul.—Ignatii jussis paruit Polancus patentes litteras conficiens, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 255, eadem die 25 Julii datas.

[3] "Circa Mtro. Pietro Scorichio Nostro Padre ordina alla R. V. che scriva se sa che alcuno della Compagnia nostra habbia mosso o cooperato al Vescovo Labacense per

quem occupationes erga proximum a studiis exactioribus avertebant [1]. Alii etiam bonae indolis juvenes Vienna Romam missi sunt, inter quos Hermes Carinthius fuit, et Jonas ille, de quo superius mentio facta est. Cum autem nostri facultatem a Rege Ferdinando peterent ad haec libere transigenda, tantum in P. Petri Scorichii adventu differendo difficilem se praebuit; sed cum ei referrent nostri quod duo vel tres germani Viennam mittebantur horum loco, dixit se contentum esse ut omnia juxta obedientiam superiorum Societatis transigerentur, prout magis expedire Generalis censeret. Et ita hac licentia in universum contenti fuere nostri, nec amplius consulendum Regem Romanorum censuerunt. Rogavit tamen ille per.litteras P. Ignatium ne doctores ac magistros illos praecipuos Vienna transferri alio pateretur (ut nonnulli moliebantur) quia id non parum detrimenti negotio religionis in illis regionibus esset allaturum [2].

567. In ultima reformatione Universitatis numerus professorum theologiae ad tres redactus est, quorum unus erat jam dictus Episcopus Trigestinus, alter doctor quidam Felinus, tertius erat P. Canisius. Nec sperabant nostri fructum aliquem ex illis lectionibus insignem, donec septem vel octo ex nostris, qui in artium curriculo adhuc versabantur, ab eo expediti, auditores esse stabiles et qui fundamentum haberent solidum theologiae possent. Ita liber fuit a munere legendi theologiam P. Nicolaus Gaudanus, ut concionibus in germanica lingua, quam recte jam didicerat, dare operam posset; et, revocato P. Victoria, etiam italis vel ille vel alius ex nostris satisfacere poterat.

568. Ante tamen quam Vienna recederet P. Victoria, curavit ad se mitti facultatem quosdam milites, qui in haeresim inciderant, Ecclesiae catholicae reconciliandi; et quemdam etiam

---

chiamar Mtro. Pietro Scorichio et in qual modo, perche lo vuole saper per buono rispetto.„ Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoy, 27 Jun.—Ignatii responsum Episcopo Labacensi habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 222.

1 "Il P. Victoria, se non si trova sano in Vienna, di qua sarebbe ben venuto, et se havesse finito il curso delle Arti, potrebbe studiar quello della Theología commodissimamente in Roma. Pur non si scrive che si faccia, perche pare sia di là assai necessario; il che se non fosse, o vero l'aria li fosse molto nociva, V. R. ci avisi; et in questo mezzo non dubito della charità di V. R. che li haverà cura qual conviene „ Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Launoy, 25 Jul.

2 Ignatii responsum ad Romanorum Regem habes in *Cartas de San Ignacio*, vol. III, pag. 339.—Eadem die scripsit Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao de Launoy.—Vide etiam infra, n. 583.

virum nobilem absolvendi, qui litteras in Transylvaniam tulerat, Regis Romanorum jussu, ut Cardinalem illum, Fratrem Georgium, ad saniorem mentem revocarent, quam habere dicebatur, erga Regem Romanorum; alioquin ut ipsum occiderent, ne multarum caedium causa esset. Ad hunc ergo et alios (qui in hujusmodi ministerio, ignorantes prorsus quid agendum esset, antequam in cubiculum Cardinalis Georgii ingrederentur), ut absolvi possent facultas Pontificis curata est [1].

569. Agebatur autem hoc tempore (nostris prorsus id ignorantibus) de Episcopatu Viennensi, qui per mortem superius dicti Episcopi vacaverat, P. Canisio conferendo; et ille jam nominatus Doctor Brocardus [2] hanc Camarinam movere [3] coepit, et facile Nuncio Apostolico id persuasit. Cum autem Nuncius Pontificis id Regi Romanorum proposuisset, probavit ille quidem, et ad instruendam religionem in illa civitate et aliis vicinis locis, perutile fore censebat; sed timere se dicebat ne acci-

---

[1] Sermo est de caede Cardinalis Fratris Georgii Martinuzzi, quam fuse narratam habes in BUCHOLTZ, *Geschichte der Regierung Ferdinand des Ersten,* siebenter Band, vierter Abschnitt, n. XXI et seq.—Qui *litteras* Ferdinandi, seu *Instructionem* (Weisung) *in Transylvaniam tulerat* ad Joannem Baptistam Castaldum, Italis militibus in Ungaria Praefectum, fuit quidam Julianus de Salazar. Executionem ejus, quod in his litteris injungebatur, commisit Castaldus Sforziae Pallavicino. Is in perpetranda nece usus est ministerio Antonii Ferrari, Laurentii Campeggi, Joannis Munino, cujusdam Scaramuccia et duorum hispanorum, quibus omnibus castellum et cubiculum, ubi Cardinalis erat, ingressis, Ferrari litteras quasdam obtulit Cardinali, qui, dum eas legere incoepit, a Sforzia et Munino confossus est. – Vide Ignatii litteras Juliano de Salazar, in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 300, et quas Polancus, *ex com.,* de hac re scripsit Patri Joanni de Victoria 9 Augusti et 26 Septembris. – Quod autem a Polanco haud temere hic dictum sit hanc Cardinalis occisionem *jussu Ferdinandi* fuisse patratam, licet Castaldus primum se ejus auctorem fateri videatur in litteris, quas 22 Julii 1552 dedit Ascanio Centorio (Vide *Lettere di Principi,* Venetia, 1573, fol. 166 v.°), patet ex his quae narrat BUCHOLTZ, et praesertim in longissima Instructione *earum rerum, quas Rdi. Georgius Episcopus Zagrabiensis, necnon nobilis Don Didacus Lasso de Castiglia, nostri Consiliarij, Oratores et Commissarij Devoti fideles nobis Dilecti apud Beatissimum in Christo patrem et Dominum D. Julium III, Divina providentia sacrosanctae Romanae et universalis Ecclesiae Summum Pontificem Dominum nostrum Rmum. nomine nostro reverenter proponere, agere, tractare et expedire debent;* necnon in *Apostolicis Julii III litteris* 14 Februarii 1555 datis, ubi haec leguntur verba: ipsum Ferdinandum regem ejusque in Hiae. et Tcae. *(sic)* partibus locum tenentem bellicum et alios, quorum consilio et opera ipse Ferdinandus rex ad conficiendum tale homicidium usus est.....„; quae omnia affert idem BUCHOLTZ, vol. IX, quod est *Urkunden-Band,* an. 1552, n. IX, pag. 589, et n. XVI, pag. 612.

[2] Sic; sed superius, n. 560, pag. 249, *Burchardus,* prout a caeteris auctoribus scribitur.

[3] Camarinam movere, rem periculi plenam imprudenter aggredi. Locutio ex veteris oraculi responso desumpta: Camarinam ne moveas; Μὴ κίνει Καμάρινα, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

deret quod olim, cum P. Claudium [1] promovere vellet ad Trigestinum Episcopatum, acciderat. Respondit Nuncius res Societatis non eo tunc esse loco, quo olim fuerant; Societatem jam crevisse, Trigestinam etiam urbem non perinde indigere boni Episcopi opera atque Viennensem. Demum convenerunt Rex et Nuncius ut hic ad Summum Pontificem scriberet, ut permitteret P. Canisium Episcopatum hunc admittere. Videbatur enim quasi compertum habere, quod P. Canisius non esset detrectaturus illud onus, nec supremae auctoritati repugnaturus; et cogitabat occulte negotium hoc cum Summo Pontifice transigere ut in virtute obedientiae, quae nostra in professione Pontifici offertur, P. Canisio jugum hoc imponeret.

570. Cum autem P. Lanoyo et aliis professis hoc innotuisset ac displicuisset, adierunt Nuncium Apostolicum et rogaverunt ne inconsulto P. Ignatio hoc negotium urgeret, et constitutionem illi explicarunt, quae prohibet hujusmodi dignitates a nostris admitti. Narravit Nuncius historiam et ad prandium postridie ut venirent invitavit, ea de re fusius acturi. Voluit ergo rationes P. Canisii tunc audire, quas ille tam validas adduxit ut, prorsus mutata sententia, Nuncius non ipsi Pontifici sed P. Ignatio scribendum duxerit ea de re, quod et diligenter fecit. Sed quid P. Ignatius ei responderit, superius dictum est [2].

571. Exercebantur nostri domi in philosophicis studiis, et P. Gaudanus, jam prospera fruens valetudine, praeterquam quod domi et foris in germanica lingua prompte admodum concionabatur, quotidie repetitionem unam dialectices auditoribus scientiae naturalis faciebat more lovaniensi, et eisdem P. Lanoyus physices lectionem praelegebat. Erat alioqui P. Lanoyus tam laboriosus, et tam parum sibi parcebat, quo exemplo aliis praeiret, ut etiam P. ipse Canisius commonefaciendum illum serio existimaret; et P. Ignatius aliquem praeficiendum esse censuit ut in his, quae ad corpus ejus pertinerent, superior illi esset; et ad hoc officium electus fuit magister Erardus Avantianus [3].

---

[1] P. Claudium Jayum.

[2] Vide supra, nn. 24 et 25, pag. 18.

[3] "Circa il P. Dre. Lanoy ordina Nostro Padre che si faccia congregatione delli nostri et in quella si faccia elettione d' una persona quale habbia tutta l' authorità di Nostro Padre, quanto al governo del corpo suo sopra il P. Rettor; et la tal persona eletta procuri ben intendere quello conviene alla sanità del P. Rettor et quello li farà esseguire.„ Polancus, *ex com.*, Patri Canisio, 19 Sept.

572. Curabant nostri conciliare sibi professores Universitatis, ut melius communi bono ab utrisque consuli possit; et duos ex illis, cum ad cibum simul capiendum invitassent, quamvis prius familiares fuissent [1], id tamen recusarunt; et postea causa intellecta est, quod scilicet, in consistorio Universitatis duobus illis prohibitum fuerat ne familiaritatem cum *jesuitis* haberent. Cum enim duo illi, natione belgae essent, suspecti aliis erant, ne scilicet nostris aperirent, quae contra Societatem in ipsorum consistorio tractabantur. Itaque non facile obtineri videbatur a sic affectis hominibus ut nostri ad gradus magisterii aut doctoratus ab eis admitterentur, cum non ipsos sed domesticos praeceptores, in philosophia audirent. Itaque via illa reliqua videbatur ut auctoritate Regiae Majestatis illis imponeretur ut nostros ad gradus admitterent, quamvis ab Universitatis lectoribus lectiones non audissent. Asperior quidem futura, sed certior, ea ratio videbatur; postea tamen nostri in corpus Universitatis admissi fuerunt, nihil tamen promittentes, quod ad observationem statutorum attinebat, nisi salva obedientia sui Superioris [2].

573. Studium illud quidem publicum satis magno cum labore consiliarii Regis ad reformationem aliquam adducere nitebantur, quod ad omnes facultates attinet et collegia omnia; et praecipue theologicam facultatem juxta Regis mentem [reformare] cupiebant, sed dum circa formam occupabantur, materiae, quae formae receptaculum et fundamentum est, oblivisci videbantur. Legebant quidem nostri Patres Canisius et Gaudanus (nam brevi et hic ad lectiones prosequendas redire debuit) valde docte ac diligenter; alter Testamentum novum inchoaverat; alter, dum compendium theologicum concinnatur [3], Magistrum sententiarum interpretabatur. Sed quid? Auditores vix habebant. Accidebat aliquando ut nullus omnino externus doctorem Nicolaum Gaudanum audiret, aliquando unus tantum accedebat. P. Canisio quindecim aut sexdecim ad summum erant, aliquando sex vel septem tantum. Itaque si nostri scho-

---

[1] *Quamvis prius familiares fuissent,* hoc est: *quamvis prius familiariter nostris uterentur.*

[2] Vide supra, n. 556, pag. 247, et infra, n. 589.

[3] Sermo est de compendio theologiae, cujus conficiendi cura Patri Laynez demandata fuerat. Vide etiam infra, n. sequenti.

lastici eos non audissent, dici potuisset illud Sapientiae [1]: *ubi non est auditus, non effundas sermonem;* et tamen illi ipsi ex nostris, qui lectiones theologicas audiebant, vix inter auditores theologiae computari debebant, cum eodem tempore in collegio nostro in philosophico cursu exercerentur. Itaque tantum ad audiendas lectiones theologiae, ne lectoribus auditores deessent, non ita ad repetendas aut de eis disputandum, adigi poterant. Id ergo facile oculos aperire debuit eorum, qui studio publico consultum volebant, ut in scholis nostri collegii hi discipuli instituerentur, qui deinde, ad graves superiorum facultatum lectiones audiendas, futuri essent idonei. Jam enim sub anni finem fere centum quinquaginta conveniebant, ex quibus provectiores, in zelo religionis catholicae, non parum proficiebant; et non solum libros suos examinandos ferebant, ut nostri viderent an auctores essent haeretici, sed indicem etiam eorum, quos Sancta Mater Ecclesia Romana prohibuisset, scire volebant, ut eos igni traderent.

574. Cum opus illud, de quo anno superiore actum fuit, scilicet, theologiae conficiendae, Patres nostri Viennenses in Patrem Laynez rejecissent, et ille opus inchoasset exactum quidem sed non brevi, ut videbatur, absolvendum, injunxit Romanorum Rex nostris, ut brevem saltem catechismum, in gratiam simplicium hominum illarum praesertim regionum, conficerent; et ita P. Canisius suum illum, qui jam stat, conficere coepit; quamvis et hoc ille in alios de Societate, praesertim D. Olave, rejicere cuperet; sed non exspectato aliunde auxilio, tandem, ut ipse conficeret, injunctum ei fuit [2].

575. Quinque ex nostris in adventu hujus anni germanice concionari Viennae coeperunt: P. quidem Canisius in cathedrali templo, P. autem Gaudanus in alia ecclesia, quae parochialis non erat, sed ad frequentiam idonea; tres vero alii, scilicet, Martinus Stevordianus et duo alii condiscipuli, in variis monasteriis. Erant etiam alii quinque vel sex qui, quamvis in germanica lingua minus quam hi jam dicti profecerant, propediem tamen in publicum egressuri erant.

---

[1] Sic; sed quae sequuntur verba sunt non libri Sapientiae, sed Ecclesiastici, XXXII, 6.

[2] "Sopra il compendio di theologia ho scritto al P. Laynez et so che non ha bisogno di sperone, ma come è dotto et essatto, fa opera più lunga, della quale poi si habbia a cavare il compendio. Spero sarà opera utile al bene universale non solamente in Germania.„ Polancus, *ex com.*, Patri Petro Canisio, 27 Jun.

576. Et tamen cum in summa operariorum penuria summopere seminarium hujusmodi necessarium esset, nec domum propriam adhuc nec reditus firmos habebant. Nam pars ea monasterii dominicanorum, quam habitabant, velut hospitii loco a Rege assignata fuerat, et reditus mille et ducentorum florenorum nondum ut dotatio perpetua collegii fuerant assignati. Et quia in reparatione aedificii aliquid expendebatur, credebant nostri quod Episcopus Labacensis, praeter reditus jam dictos, ex eleemosynis non exiguam pecuniae summam adderet. Mense Majo per eumdem Episcopum Labacensem urgere fundationem hanc nostri Viennenses coeperunt apud Romanorum Regem, qui constitutum apud se omnino habere respondit reditus illos jam dictos applicare, nec difficultatis quidquam alia in re superesse quam in loco; et eumdem Episcopum Rex hortatus est, ut ad eum inveniendum animum applicaret; et situm quemdam in urbe, satis commodum, simul cum architecto videre voluit, ubi et hortus erat; sed judicabat architectus templum ibi fieri non posse. Durum etiam consiliariis visum est a fundamentis et collegium et ecclesiam aedificare summis cum expensis.

577. In ea civitate, pulcherrima monasteria religiosorum fere viris religiosis destituta erant; inter quae erat monasterium Carmelitarum, ubi solus Prior ejus Ordinis relictus erat, ut ferebatur, cum duobus aliis, a quibus in cantu juvaretur; et illi habitum mutaverant et ut sacerdotes saeculares incedebant. In aliis etiam mendicantium Ordinum monasteriis paucissimi religiosi supererant; et cum nec concionarentur, nec confessiones audirent, a populi gratia, ac praesertim nobilium, prorsus exciderant. Videbatur ergo quod facile aliquod ex his monasteriis impetrari posset a Summo Pontifice, vel, si non videretur Suae Sanctitati omnino a suis Ordinibus talia monasteria segreganda, quamvis periculum erat ne brevi in manus laicorum devolverentur, posset consensum praebere, ut aliquod ex illis monasteriis, quae propter suam amplitudinem saeculares conductores admittebant, divideretur, et aliqua pars collegio nostro cederet; et si adhuc nollet Pontifex sine consensu Generalis Capituli translationem vel divisionem hujusmodi probare, posse videbatur hujusmodi consensus ab aliquo ex Capitulis mendicantium obtineri.

578. Pater quidem Ignatius probavit quod nostri serio de

collegii dotatione ac fundatione agerent; et, quamvis certum locum non haberent, suggessit applicationem redituum fieri posse collegio erecto, vel erigendo, si cito obtineri proprius locus non potuisset [1]; nec improbabat divisionem monasterii, dummodo ad tempus id fieret, donec locum commodum, ac omnino suum, collegium haberet; quem si aliqua occasio obtulisset, eam esse amplectendam [censebat]. Utcumque autem res esset cum Pontifice transigenda, non per nostros, quia res odiosa videbatur, tractandam esse sentiebat, sed a Rege ipso et per ipsius ministros hoc tractari oportere; et si locus religiosorum obtinendus erat, ne sine ipsorum consensu admitteretur, admonuit. Quod si ex reditibus ecclesiasticis, qui ad Regis manum devenerant, et non ex patrimonio Archiducali Austriae dotatio facienda erat, curandum esse ut eo in loco bona assignarentur, ubi facile exigi reditus possent; et largius censebat ex talibus reditibus usurpatis dotationem esse faciendam, quam si ex patrimonio jam dicto fieret; nam sexaginta, vel quinquaginta saltem collegiales, Viennense illud Collegium opportune sustentaturum dicebat, ad regionum illarum auxilium, et ut Universitas illa, quae theologiae auditoribus destituebatur, ex nostris celebrior ac frequentior redderetur [2].

579. Nuncius autem Apostolicus, cum quo nostri rem contulerunt, difficile non existimabat aliquod ex monasteriis jam dictis a Summo Pontifice obtinere; et suam operam ipse pollicitus est; et si a Rege Romanorum sibi commendaretur, efficacius id se curaturum significabat. Effectum est autem per Episcopum Labacensem ut Rex ei negotium hoc commendaret. Nostri tamen propensiores erant ad locum illum carmelitarum, vel alium integrum habendum, quam ad divisionem situs faciendam; non enim incommodo magno vacabat commune templum habere cum religiosis, et aliae occasiones pacis perturbandae ex vicinitate religiosorum [non] defuturae videbantur; et verisimile id reddebatur, cum numerus fratrum dominicanorum (quorum hospites nostri tunc erant, et cujus monasterii partem in collegium convertere Rex volebat) auctus esset, missis ex Italia

---

[1] Ita in litteris ad Launoyum datis 27 Julii.

[2] Quae in hoc n. 578 dicuntur, reperire est iterata saepius ab Ignatio aut *ex* Ignatii *commissione* a Polanco litteris ad Launoyum et Canisium toto hoc anno et sequentibus datis.

religiosis quibusdam, quandoquidem germani non inveniebantur.

580. Rex ipse Romanorum, postquam hanc difficultatem intellexit, et monasterium carmelitarum obtineri facile posse percepit, scripsit P. Ignatio brevi nostris amplum monasterium carmelitarum se consignaturum, et protectionem nostrorum se semper habiturum; nec modum docendi populum e suggestu aut juventutem instituendi nostris in dicto loco defuturum. Scripserat autem Rex idem Provinciali carmelitarum, ut suum illud monasterium nostris relinqueret, cum ipse pauculis illis, immo uni Priori, de ratione vitae sustentandae esset prospecturus [1]. Et non parum id optare ille senex, qui solus relictus erat, videbatur, cum solus onus illius templi sustinere non posset; et, cum ille adhuc in habitu esset saeculari, facilius conditionem aliam habitui consonam admissurus erat; immo et supplicabat Regi ut aliquam ipsi parochiam conferri juberet; et ita, evocato per litteras Provinciali, egit Rex cum ipso de hoc negotio, ut nostri primo quoque tempore ad illud amplum monasterium migrare possent.

581. Erat quidem aedificium vetustate quibusdam in partibus corruptum; non tamen magnis utilitatibus carebat, et pulcherrimum et amplissimum templum habebat, in quo, propter numerosum circumquaque habitantem populum, conciones cum magna frequentia et fructu, et aliae Societatis functiones exercendae videbantur. Erat autem in latissimo civitatis loco, et quasi in centro civitatis, ac proinde studiosae juventuti ad scholas confluenti maxime commodus; et quamvis hoc anno migrare in monasterium illud nostri potuissent, consultius tamen visum est fore, si responsum Generalis, ad quem Rex etiam scripserat, exspectaretur; et ideo in sequentem annum migratio dilata est [2].

582. Initio hujus aestatis, patronus Universitatis Ingol-

---

[1] *cum ipse pauculis illis ... prospecturus.* Magis perspicua evadet sententia, si scribatur: *se quidem pauculis illis religiosis vel certe uni Priori* (qui solus relictus erat) *de necessariis ad vitam sustentandam esse prospecturum.*

[2] "Circa il luogo per il collegio pare a Nostro Padre non si accetti quello di San Domenico nè altro de Frati senza loro volontà, cioè delli Superiori suoi, perche subito venirebbono a querelarsi a Roma, dove non c' è troppo volontà di simili controversie con Religiosi. Se fossero contenti questi Padri et il luogo paresse conveniente, Nostro Padre si rimette alla R. V. con li fratelli suoi.„ Polancus, *ex com.,* Patri Nicolao Launoy, 27 Jul.

stadiensis [1] Viennam venerat, et nomine Ducis Bavariae P. Canisium allocutus est de reditu ipsius ac P. Gaudani, quasdam humanas rationes adducens cur eousque dilata fuisset collegii Societatis nostrae institutio. Sed cum animadverteret quod neutrum ex ipsis nisi ab alio quam a P. Ignatio, Praeposito Generali, obtineri posset, promisit omnia, quae ad collegii fundationem ac dotationem pertinebant, Ducem esse expediturum, et ad Summum Pontificem ac P. Ignatium scripturum, ut aliquos theologos cum aliis studiosis nostrae Societatis ad collegium inchoandum obtineret, prout scriptum eidem Duci fuerat a P. Ignatio, cum Patres Canisium et Gaudanum Ingolstadio revocaret. Persuasit autem ei P. idem Canisius ne nominatim hunc aut illum Dux peteret quamvis peculiari affectu ad ipsos, quos cognitos habebat, ferri facile animadverteret. Videbatur etiam patronus ille professores graecae et latinae linguae a Societate expetere; sed id ne faceret dissuasit idem Canisius, ne viderentur alios professores loco suo expellere velle, quamvis suo tempore nostrorum opera non erat illis defutura. Usque ad quindecim autem ex nostris ad collegium inchoandum alere velle significabat; nam hic numerus Duci olim propositus fuerat [2].

583. Quamvis autem haec tractatio successum hoc anno non habuerit, quasi stimulus quidam fuit Majestati Caesareae ut collegium nostrum citius et loco proprio et reditibus stabiliret. Id etiam in causa fuit ut P. Ignatio scriberet Rex ne nostros inde [alio avocari] sineret; cui P. Ignatius sic respondit ut securum illum redderet quod nullum ex illis doctoribus sine ipsius Regis voluntate inde esset revocaturus [3]. Immo cum Cardinalis Augustanus a P. Ignatio operam P. Canisii postulasset in Diaeta, quae celebranda dicebatur coram Imperatore Carolo, noluit aliter id concedere quam si Regi Romanorum id concedendum

---

[1] Is, si REIFFENBERG consulas, dec. 2.ª, n. 17 et 18, et VERDIÈRE, *Histoire de l' Université d' Ingolstad*, part. IV, c. I, n. 2, fuisse videtur Viguleus Hund, Georgii Stockamer in patronatu Universitatis successor; sed quae ab iis auctoribus enarrantur, potius quam ad hunc annum 1553, ad sequentes spectant.

[2] "Circa le cose d' Ingolstadio, staremo a vedere quello che faranno. Vostra Riverenza potrà mostrarli molto buona volontà et in Nostro Padre inclinatione a compiacerli; però intanto che finiscono alcuni li suoi studii et si mettono in ordine le persone, che potriano loro metter in ordine il collegio, etc. *Sapienti pauca.*„ Polancus, *ex com.*, Patri Petro Canisio, 27 Junii.—Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 32.

[3] Vide supra, n. 566, pag. 252.

videretur, et quidem ad breve tempus, quamdiu scilicet Diaeta durasset [1].

584. Sub anni finem de domo ad nobiles juvenes saeculares, more Germanici Collegii, instituendos sub cura Societatis admittenda agi Viennae coeptum est; ad quod praecipue nostros id movebat quod bonae institutionis defectus ingens illis in locis erat, et sperabant ad aliquos ad nostram Societatem adducendos hanc viam optimam fore; nam in homine germano, ut experientia docebat, difficilis admodum transitus erat a communi vita, quam juventus germanica ducebat [2], ad religionis statum. Sed sub hac institutione hujus collegii, ad vocationem Dei excipiendam disponi melius juvenes poterant. Immo et jam admissos in Societatem juvenes censebat Romam mittendos esse, ut in his, quae ad Societatis institutum pertinent, melius exercerentur. Et placuit P. Ignatio ut hujusmodi collegium externorum inchoaretur. Intelligebat enim ex litteris nostrorum quod non satis, in scholis nostris, auxilii praestari poterat illi juventuti, ut conservaretur et nutriretur in fide ac religione catholica, propter consanguineorum et sociorum, non solum mores, sed fidem etiam corruptam [3].

585. Hoc anno Poloniae Rex filiam Regis Romanorum in uxorem duxit; et cum Imperator Carolus Dominum de Pictavia, Archidiaconum Ecclesiae Leodiensis, Viennam misisset, ut, etiam in Poloniam proficiscens, aliquid negotii cum illo Rege tractaret, egerunt nostri cum ipso de Collegio Lovaniensi promovendo, quod se pro viribus facturum recepit [4]. Sed et ipse, de

---

1 Non Canisium solum sed etiam Launoyum ad Diaetam postulaverat aut postulaturus timebatur Augustanus Cardinalis, si recte in *Litterarum S. Ignatii Regesto*, fol. 211, apposita est superscriptio, *Per il P. Mtro. Nicolao di Lanoy*, litteris, quas Polancus, *ex com.*, die 23 Novembris de hac re scripsit, quarum ultima verba haec sunt: "perche se ben Nostro Padre vorria far piacere al Cardinale, più ancora vuole farlo a Sua Maestà, et contra la sua consolatione et sodisfactione non vuole se ne parta nessuno delli tre del Vienese.„

2 Qualis haec communis juvenum studiosorum vita in Universitatibus germanicis hoc tempore fuerit, habes, praeterquam in aliis quamplurimis de iis rebus moribusque nuper praesertim, scriptis libris, in JANSSEN, *Geschichte des deutschen Volkes*, t. VIII, passim.

3 De convictorio Viennae instituendo saepius toto hoc anno scripsit, *ex com.*, Polancus Patribus Canisio et Launoyo, praesertim vero 19 Sept.

4 Ut de hoc Viennenses nostri cum Guilielmo de Pictavia agerent injunctum eis Roma fuerat his verbis: "Se si trovassi occasione, sarebbe conveniente che V. R. procurassi con Monsignor Guillermo de Pictavia ottenessi, o vero agiutassi ad ottener, facultà di erigere collegii nelle città della Bassa Allemagna, perche si trova difficoltà in

Collegio Leodii instituendo, serio agebat; prius tamen ad se mitti duos operarios exoptabat ut, cum de populo bene mereri cernerentur, collegii hujus fundationem faciliorem redderent.

586. Hoc tamen non admodum nostris Viennensibus, sed nec P. Ignatio placebat, cum non magnopere nova collegia eo tempore admitti cuperet; immo cum nostri Viennenses Nuncium Apostolicum, ad Regem Poloniae missum, et deinde Legatum ipsum Regis Poloniae, qui Viennam venerat et in regnum illud redibat, Dominum Martinum Cromerum, de collegiis illo in regno instituendis essent allocuti, scripsit ad eos P. Ignatius, licet offerrentur, mitti non posse, saltem Roma, operarios ad ea instituenda. Immo non illa solum, sed Ingolstadiensis Collegii, admissionem differendam censebat ad tempus aliquod. Ut enim Collegium Romanum post breve tempus omnibus nationibus subsidia mittere potuisset, Deo juvante, ita eo tempore quo, non solum praeceptoribus indigeret, sed et scholasticis bene institutis, potius spoliare (ut ejus verbo utar) alias provincias quam novos operarios ad eas mittere debebat. Quod autem possent ex Viennensi Collegio praestare, id ipsorum arbitrio permittebat, dummodo operarios Roma tam cito non exspectarent. Quamvis Leodii non tam difficile existimabat de aliquo operario providere, cum P. Quintinus eo mittendus esset. Utilius autem curatum est a nostris ut Regia Majestas oratori jam dicto de Pictavia commendaret ut facultatem ad erigendum Collegium Lovaniense obtineret [1].

---

ottener questo insin' adesso, et, come si crede, per non esservi chi pigli questo assunto da vero.„ Polancus, *ex com.,* Patri Nicolao Launoy, 25 Jul.

[1] De iis Canisius certiorem fecit Ignatium per litteras ad eum datas 24 Aug., ut ex Ignatii responsione 19 Sept. missa constat. Scripsit etiam Polancus, *ex com.*, eadem die Patri Adriano Adriaenssens de Collegio Leodii instituendo et de iis quae in Lovaniensium favorem facturum se promiserat Guilielmus a Pictavia. Vide infra, n. 635, not. 2.— Prius autem, sc., 25 Julii scripserat eidem Canisio: ".... et quanto al Collegio d' Ingolstadt mi rimetto a quello che si scrive per altra, et il simile dico se accadesse far Collegio in Polonia, che saria necessario trattener le cose qualche tempo, se le persone si hanno a mandar di Roma; perche questo Collegio, che adesso si comincia, come è per agiutar passato qualche tempo tutte le nationi con la divina gratia, così per adesso pare sia necessario le spoglii, per haver bisogno non solamente di mastri, ma etiam di optimi instituti. Sicche di là è necessario si proveda alle cose di Alemagna per adesso. Questo ho detto perche V. R. in tal modo procuri la fundatione che per un poco di tempo faccia conto che non possono passar le montagne quelli che si trovano di qua. Il disponere però è bene, et anche il dar principio, se si può senza gente di qua mandata per adesso.

In Leodio sarebbe più facile provedere di qualche persona per dar principio, massime rimandandosi adesso verso quelle bande il P. Mtro. Quintino. Con questo ho gran confidenza in Dio che presto habbia a suscitar operarii molti et fedeli la divina sapientia.„

587. Ipse etiam Nuncius Apostolicus, Comes et Abbas Hieronymus Martinengus, de Collegio Brixiae instituendo atque fundando non agebat solum, sed et promittebat in suo reditu (qui jam imminebat) in Italiam se id praestiturum, et cum P. Ignatio, statim ut Romam veniret, ea de re tractaturum. Aliqua tamen impedimenta in causa fuerunt ut haec frigidius quam ipse cogitabat tractata fuerint.

588. Legatus erat Venetorum frater nostri Angeli Surriani, piae memoriae, quem cum P. Lanoyus de exsequendo testamento fratris convenisset, omnia illa, quae justa essent et pietati consona, pollicebatur; sed, postquam subscriptiones doctorum ad eum missae sunt, qui affirmabant potuisse Angelum testari, frigidiorem se ostendit et rem totam in reditum suum Venetias rejecit [1].

589. Cum permisit P. Ignatius ut nostri in corpus Universitatis Viennensis admitterentur, prius discere voluit an utilitas magna spiritualis inde rediret, et demum, si ea invitaret, concessit ut in corpus illius sic admitterentur, ut nec curam Rectoris nec Cancellarii susciperent [2].

590. Non omittam etiam quod, cum ageretur de Episcopatu P. Canisio conferendo, non solum bono animo illum esse jussit, quod invitus non cogeretur ad onus illud subeundum, sed etiam admonuit ut, si in virtute sanctae obedientiae Breve Apostolicum hoc illi injunxisset, Litteras quidem Apostolicas capiti superimponeret in obedientiae signum; sed quod se excusare poterat ab admittendo Episcopatu, dicendo quod prius referre [volebat] ad Summum Pontificem suos defectus et causas non admittendi [3]. Sed necessarium non fuit ut hac ratione

---

1 "Circa l' Ambasciador di Venetiani dirò due cose: una che sarà mandato a V. R. per li nostri fratelli Veneti il parere di alcuni Dottori Venetiani sopra la facoltà di testar della buona memoria di Mtro. Angelo. V. R. potrà mostrarli et caricarli la conscientia, se non procura di sgravar il suo fratello et se stesso, perche la ragione del figliuolo è frivola, et il medesimo pare dell' altra del non poter lasciar senon agli altri fratelli, il che se fosse vero non penso loro vorriano compositione amicabile. Sicche, questa è la prima cosa, far officio destro acciò l' intentione del testator sia adempita. La seconda è, quando si vedesse che non riesce la prima, venir a trattar della compositione amicabile...." Polancus, *ex com*, Patri Nicolao de Launoy, 27 Jun.—Vide supra, t. II, an 1551, n. 93, pag. 209, et an. 1552, n. 138, pag. 474.

2 Vide supra, nn. 556, pag. 247, et 572, pag. 256.

3 Continentur haec litteris ad Canisium a Polanco, *ex com.*, datis 9 Aug. En earum litterarum postrema verba: "Più presto facciano (Vescovo di Vienna) qualch' uno da bene, qual si voglia, et si offerisca la R. V. alle fatiche del Vescovo, senza il nome nè intrata etc."

recusaret; nam, ut superius diximus, acceptis P. Ignatii litteris, ab incoepto [Rex Romanorum] destitit.

Et haec de Viennensi Collegio.

DE COLONIENSI COLLEGIO

591. Hoc anno Colonia non exiguis flagellis a Domino castigata est; variis namque morborum generibus, immo et simul bellorum turbinibus fuit exagitata; et tam graviter pestis grassata est, ut maxima pars nobilium ex civitate fugerit, immo et populi; ex quibus tamen multi mortui reducebantur, et qui ad opera sua in campos et sylvas egrediebantur, ibidem mortui reperiebantur. Praeter luem istam morbus alius accessit, qui capitis insania dicebatur, quo multi vitam amittebant. Ferebatur viginti quinque hominum millia peste periisse, et aliqui tamen adhuc in dies sub anni finem moriebantur [1].

592. Magnam itaque nostri occasionem hoc tempore habuerunt charitatem erga aegrotantes exercendi, ad quos invisendos vocabantur; inter quos aliqui septuagenarii et octogenarii magna cum contritione peccata vitae totius confitebantur, quod numquam bene confessi essent. Accidebat autem ut ex his, ad quos nostri veniebant, multi valetudinem recuperarent, adeo ut cum aedificatione publice a quibusdam diceretur mirum esse quod, qui P. Leonardo confiterentur, omnes et sanitati restituerentur et vitam in melius commutarent.

593. Adfuit idem desperatissimis quibusdam hominibus, qui seipsos diabolo, etiam litteris proprio sanguine scriptis, tradiderant, et per annos aliquot visibiliter cum daemone conversati fuerant. Hi autem, per confessionem et sanctissimae Eucharistiae sumptionem, ab inferni faucibus erepti, vitam in melius commutarunt. Sub anni finem, praeter hos, vir quidam, qui se

---

[1] Eadem ad verbum fere habet Reiffenberg, *Hist. Soc. Jes. ad Rhen. infer.*, lib. II, cap. V, n. 13, et in eorum confirmationem addit ad paginae calcem in annot. (d): "Strunk, *Annal. Paderb.*, pag. 323, ex Chron. Tremon. Ms. — Kessel in lit. ad S. P. N. ita scribit: *pestis in dies magis grassatur Coloniae. Nunquam exeo domum (sic), quin inveniam aliquos mortuos, aut morientes et infirmantes, aut ad sepulturam deportari in omnibus plateis.*„

Satanae jam totos quinque annos tradiderat, et per quem ille multa mala operari incoeperat, non solum per haec sancta Sacramenta a servitute daemonis fuit liberatus, sed saeculo valedicens, Christi ministerio se totum mancipavit. Multi etiam, consulendi gratia, P. Leonardum adierunt, ut de ratione vitae corrigendae aliquid ab eo boni audirent.

594. Et bonus Societatis odor in dies sic augebatur, ut interim non deessent complures, qui verum illud Apostoli dictum ostenderent: *omnes, qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur*. Et parentes praesertim filiorum, qui Christo servire cupiebant, tanquam leones rugientes, et contra nostros insurgebant et filios retrahere a vitae perfectioris instituto conabantur. Quod si nec terrores nec blanditiae sufficerent, brachium etiam saeculare implorabant; nam saeculi rebus renuntiare, et obedientiae jugo se submittere, insaniam et familiarum dedecus existimabant.

595. Et haec causa fuit cur magistrum Joannem Retium, consulis olim Coloniensis filium, Romam, cum magistro Francisco Costero et tribus vel quatuor aliis sociis, primo vere miserit [1]. Et experientia se doctum scribebat P. Leonardus quod, qui Coloniae Christum sequi vellet, id in silentio facere et se demum subtrahere deberet. Vocatus fuit ad senatum idem P. Leo-

---

[1] Non Romam solum sed Viennam etiam aliqui Colonia missi ante hoc tempus fuerunt, ut ex his evincitur Polanci Leonardo Kessel, *ex com.*, scribentis verbis: "Magistrum Joannem de Montibus consulto Viennam [Colonia] missum judicamus; tamen minus in eo Collegio et sibi et Societati proficiet. Unde scripsimus ut in Italiam mitteretur.„ Et paulo infra: "Hinc profecti sunt hisce diebus Petrus Hoefft et Franciscus Emerulus ad Collegium Viennense; Andreas vero Lyner Lovanium potius ire voluit, donec, rebus compositis, Coloniam, postquam pestis desierit, possit Rev. Vestrae consilio, aut Viennam aut alium in locum se conferre.

Magister Gerardus Brassica quotidianis febribus, quamvis patienter, ut decet servum Dei, laborat. Commenda ipsum, Pater, Dno. Jesu Christo, qui vera salus et vita nostra est.

Magister Franciscus [Costerus] et Magister Joannes [Rhetius] valent in utroque homine. Laudetur Dnus.„ 23 Augusti.

Joannem de Montibus Professorem urbis Coloniae publicum fuisse ait REIFFENBERG, et addit: "Hic, animo nuncupatisque votis dudum noster, privatas, perinde ut Rhetius, incolebat aedes suoque in lycaeo artes tradebat. Adolescentes Kesselio conciliabat ac permovebat ut illo uterentur conscientiae arbitro, libellosque pestiferos per Academicorum manus ea tempestate volitantes ultro adferrent, prompti, quamcumque ille jussisset, in partem se dare. Quae ubi oculatioribus sensim innotuere, incessit doctissimum quemdam hebraicae linguae Professorem, virosque alios sacris profanisque litteris celebres tantum vitae sanctioris desiderium, ut, nisi gravia attinerent obstacula, sponte se in Leonardi disciplinam concessuros assererent. Ipse usque adeo Gymnasii Kukani Rector in eo jam erat ut, ruptis quibuscumque vinculis, abdicaret provinciam, atque in Rhetium, quem unum oneri parem censebat, transferret. Voti tamen compos redditus

nardus ut rationem hujusmodi rerum redderet; sed ita locutus est, Deo gratiam largiente, ut nullus ex his, apud quos dicebat, haberet amplius quid ei objiceret; et ita tempestas illa cessavit, immo Deus fructum aliquem ex ea colligi voluit. Accensi sunt enim plurimorum juvenum animi ut eos, qui Romam missi fuerant, vel religioni utcumque se addixerant, imitarentur [1].

596. Dum lues illa pestifera saeviret, non solum divina bonitas pauculos Societatis operarios conservavit, sed dedit illis etiam gratiam ut, pestem non timendo, ad laborantes peste accederent, et eorum confessiones audirent, et sanctissimum Eucharistiae sacramentum ministrarent. Fuit virgo quaedam inter hos, quam dives quidam in uxorem accipere cupiebat, quae, post extremam unctionem acceptam, omnibus praesentibus, perpetuam vovit castitatem, Christum sibi in sponsum eligens, ad quem post quinque horas magno cum desiderio et spiritus

non est, quod Rhetius divini appetentior esset honoris quam sui „ *Historia Societatis Jesu ad Rhenum inferiorem,* lib. II, c. VI, n. 18.

De Joanne Rhetio vide *Litterae quadrimestres,* t. I, pag. 674, not. 3.

Francisci Costeri meminere saepissime Societatis Historiae. De eo ita DELPLACE, l. c.: "FRANÇOIS COSTER, né à Malines en 1532, admis à Cologne en 1552, mort à Bruxelles le 6 décembre 1619; il fut recteur des collèges de Bruges et de Cologne, provincial du Bas-Rhin et deux fois provincial de Belgique.„ Ne quis autem in errorem inducatur, meminisse oportet eorum quae recte animadvertit REIFFENBERG, l. c. n. 17, not. r. his verbis: "Subscribitur etiam quandoque Franciscus *de* Coster, item Franciscus *Custos*, Francisci et Clarae F(ilius).„

De Francisco Emerulo ita DELPLACE, l. c.: FRANÇOIS DAGHVERLIES (Hemerollus), né à Bois-le-Duc en 1535, admis à Cologne en 1554, mort à Rome en 1571, où il faisait partie du collège des Pénitenciers.„ Ubi corrigendus admissionis annus; iis enim Polanci litteris constat hunc Emerulum seu Hemerollum jam hujus anni 1553 mense Augusto non solum in Societatem admissum esse, sed Romam Colonia missum et Roma Viennam.

De Petro Hoeff, quem etiam *Hoefft* et saepius, ut moris erat, a patria *Coloniensem* appellatum reperimus, haec, *ex com.*, scribebat Polancus Patri Nicolao de Launoy, 17 Aug.: "Pietro ancora è assai sano di corpo, et, quanto si può intender, della mente; ma l' affetto della madre pare sia un poco immortificato in lui.„ Qua die 17.ª Augusti 1553 profecti sunt Roma Viennam versus hic Coloniensis et Emerulus, Lovanium autem Andreas Lynner.

[1] De iis ita REIFFENBERG, "Vix de Candidatorum (Gerardi, Rethii, Costeri, etc.) profectione percrebuerat, mox oriri inter cognatos lamenta, tum irae in Kesselium ac criminationes demum publicae. Impingitur viro optimo in Senatu dica de plagio; accusatur quod Consularibus praecipue familiis inhiet, pueros ad Societatem miris artibus evocet, atque ex ipso pene parentum amplexu eripiat. Captos porro adeo remotas in oras ableget ut reposci postliminii jure vix possint. Arduum profecto erat inter tot accusatorum fremitus causam dicere: praecipue quod Coloniae, in ipsa quondam Religionis arce ac domicilio ab annis aliquot inoleverat depravati illius saeculi error, abjecti ac humilis esse animi ad sacra se castra recipere et intra Religiosorum septa Deo vitam dicare. Peroravit tamen Kesselius ea coram Optimatibus gravitate ac prudentia ut se de calumnia plane expurgaverit fueritque cum honoris significatione e Curia dimissus. L. c., lib. II, cap. VII, n. 22.

gaudio, quasi exspectans sponsi sui adventum, migravit, ita ut omnibus, qui adstabant, devotionis multum afferret.

597. Nulla studia Coloniae aperta erant hoc anno. Studiosi omnes ad alias Academias profecti erant. Sed eo tempore plenariae indulgentiae a Summo Pontifice concessae populo Coloniensi promulgatae fuerunt, et supplicationes publicae institutae; qua occasione plurimi ad confessionem accesserunt; quamvis in templo Stae. Ursulae frequentes ad nostros, poenitentiae gratia, homines accederent reliquo anni tempore; conciones etiam pro more fiebant; et satis pacifice nostri agebant, postquam primae illae anno ineunte perturbationes sedatae fuerunt.

598. Inter eos autem, qui crebro confitebantur et communicabant, aliqui ad Societatem nostram optime affecti erant, quorum unus domum suam Societati donare cupiebat, cum ejus filius, qui in philosophia gradum acceperat, Societatem nostram ingredi deliberasset; quidam Doctor Velzius [1], qui Societatis erat amantissimus, significavit P. Leonardo quod Senatus Coloniensis jam de rebus nostris omnibus bene sentiret; et si omnia per pestem perturbata non fuissent, bona spes erat de instituendi collegii obtinenda facultate, quam ardentibus desideriis multi pii homines exoptabant, et de rebus necessariis ei providere constituerant.

599. Et inter alios R.dus Prior Carthusiae coloniensis, Gerardus, de Societate optime meritus ac mereri cupiens, paraverat supplicationem ut in reditu primariorum civitatis virorum (nam propter pestem recessisse Colonia superius diximus) locum aliquem certum Societati assignaret et ejus operam postularet; immo bonus ac pius pater ad Collegii Lovaniensis dotationem (si facultas ad constituenda collegia in Belgio impetraretur) bonam summam pecuniae mittere in animo habebat, et tantumdem erat Coloniae facturus, simul atque locum aliquem certum Societas ibidem habere posset.

600. Spiritualia exercitia quibusdam proposita fuerunt; qui vitam in melius commutare studebant. Vicini etiam, qui antea raro confiteri solebant, jam octavo quoque die ad sacramenta sancta confessionis et communionis accedebant.

---

[1] Hujus, qui haud certi sumus an a Polanco vocetur Velzius (Velz) an Delzius (Delz) mentionem factam a REIFFENBERG non reperimus.

601. Fuit vir quidam, qui, in magna afflictione civitatis jam dicta, magnae sanctitatis habebatur, et qui orationibus suis animas in purgatorio existentes liberare posset; et multum lucri ad eum ex hujusmodi orationibus redibat, immo et prophetico spiritu non paucos in admirationem ducebat. Cum hic ad nostros deductus esset, invenerunt eum maligno spiritu obsessum, et a quo non facile liberari posset; et eos, quibuscum versabatur, inficiebat et ad sui amorem pertrahebat, et deprehensum est nec virum nec mulierem esse; et ita curatum est ut vel in carcerem conjiceretur vel ex civitate ejiceretur.

602. Vigesima septima Januarii P. Leonardus suam professionem emisit in manibus R. Domini Joannis Repelmont, qui Rector erat cujusdam monasterii dicti Nazareth, ante altare S.tae Ursulae, quod erat ornatum multis reliquiis sanctarum virginum et martyrum, ac vestimentis ex auro contextis, ac multis aliis ornamentis ac luminaribus accensis. Exspectaverat aliquandiu ut ad multorum aedificationem suam professionem faceret; sed cum opportunitas, quam optabat, non daretur, rem censuit non differendam, affirmans se satis admirari non posse immensam Dei erga se bonitatem et gratiarum incrementa, quas in dies sibi a Domino conferri experiebatur [1]. Circa hoc tempus professionis, et post illam emissam, et per complures menses, cum magna consolatione valde praesens Dei auxilium in suis functionibus expertus est.

603. Ait etiam non solum catholicos sed etiam lutheranos nostrum vivendi modum laudare ac revereri, et multos studiosos, antequam propter pestem inde recederent, multos haereticorum libros ad se attulisse ut igni traderet, qui vitam omnino corrigere proposuerant. Quidam etiam nobiles juvenes, post exercitia spiritualia, ad perfectiorem vivendi rationem se collegerunt; duo vel tres etiam ex illis Societatem ingressi sunt; alter consulis erat Coloniensis filius, qui praeceptorem suum, magistrum Joannem Retium, etiam consulis filium, Romam venientem secutus est. Andreas Liner dicebatur.

604. Quod attinet ad admissionem Societatis et privilegiorum ejus, D. Doctor Gropperus per fratrem suum, Archiepiscopi officialem, egit apud eum causam nostrae Societatis.

---

[1] Vide supra, pag. 13.

Scripsit autem Archiepiscopus eidem Doctori Groppero ut simul cum alio Doctore [1] videret Societatis nostrae privilegia; et si eis videretur, darent ex auctoritate ipsius Archiepiscopi omnem auctoritatem nostrae Societati suis privilegiis utendi; et si Archiepiscopalibus litteris et sigillo opus esset, obtulit se missurum. Laetatus Doctor Gropperus hoc responso, P. Leonardum vocavit; sed ab eo intellexit quod Doctor ille, qui socius ipsi adjunctus erat, parum amicus nostris esset, immo publice etiam pro concione nostros exagitaverat; et quamvis confunderetur cum prosperum Societatis successum et fructum videret, mutare tamen sententiam nolebat; immo ne audire quidem informationem aut rebus Societatis nostrae se immiscere aut Litteras Apostolicas inspicere voluit; et quamvis Prior Carthusiae illum adivit, nihil profecit. Erant autem et alii quidam ex doctoribus coloniensibus, qui etiam litteras Apostolicas figmenta quaedam esse dicerent, nec eas legere dignarentur. Cum etiam pestis inciperet saevire, et aliam inire viam Doctor Gropperus et amici vellent, res in aliud tempus rejici debuit. Consules quidem benevolentiam nostris non exiguam ostendebant, et tamen litteras nostras apostolicas doctoribus coloniensibus videndas tradiderunt; et ita res hoc anno progressa ulterius non est.

605. Praeter illos quinque, quos mense Martio missos diximus, duo vel tres alii hoc ipso anno missi sunt, inter quos fuit Petrus Coloniensis [2] et Hermannus Alardingius [3] ex finibus Saxoniae; et pro miraculo ducebat P. Leonardus quod Colonienses tam bene affectos erga Societatem videret.

606. Sacerdos quidam juvenis etiam coloniensis, in philosophia et bonis litteris versatus, post exercitia spiritualia Societati se addixit; quia tamen decrepitum habebat patrem, Coloniae aliquandiu manendum ipsi fuit. Alii etiam non pauci nec vulgaris notae homines in eisdem exercitiis valde profecerunt, et Rector illius collegii, in quo magister Joannes Retius habitaverat, et alius quidam Doctor, eumdem sequi cupiebant.

607. Missus fuerat Lovanio quidam Joannes Conspeanus [4],

---

1 Curione ad Sanctae Columbae. REIFFENBERG, l. c.

2 Vide supra, n. 595, pag. 266.

3 Haud perspicue videtur an scriptum sit *Alardingius* an *Alerdingius*. Istud autem cognomen a REIFFENBERG scriptum reperimus *Allerding, Allerdingius*.

4 Hujus meminere saepius litterae, quas toto hoc anno, *ex com.*, scripsit Polancus

ut Coloniae aliquandiu retineretur et Romam inde mitteretur. Is, dum studia sua Coloniae repetit, cum in humanioribus litteris esset eruditus, duas lectiones nostris studiosis domi nostrae praelegebat, et quinque ex suis studiosis ad exercitia spiritualia adduxit, qui se totos Dei servitio mancipare statuerunt.

608. Quamvis in templo S.tae Agathae diebus dominicis ac festis P. Leonardus conciones ordinarias haberet, aliis tamen in locis rogatus aliquando id praestabat, et cum aedificatione et fructu auditorum eo munere fungebatur. Inter alios, de quadam nobili domina refert, quod omnem ornatum suum vacuum et superfluum, quo uti solebat, ob Christi amorem deposuit, et ad ornandas sanctorum reliquias et alios pios usus convertit. Tantumdem et alia virgo, rebus saecularibus dedita, fecit; et ad sacramenta et conciones crebro accedebant.

609. Cum P. Leonardus non solum pedites, sed pecunia etiam non valde instructos, quosdam etiam parum provectos in spiritu et litteris, Romam mitteret, admonitus est a P. Ignatio ut in utroque provectiores et viatico instructiores et cum aliquo equo ad sarcinas ferendas et defatigatos sublevandos mitteret [1].

Rectoribus tum Veneti, tum Florentini, tum etiam Mutinensis Collegii. Ab iis enim et ab aliis propter eximiam eruditionem expetebatur.

[1] Vide supra, n. 121, annot. 1, pag. 66.—Hic lubet transcribere quod, a Polanco praetermissum, ad hujus anni calcem a Reiffenberg narratur: "Recreavit has inter molestias eodem vertente anno ipsum (Kessel) cum sociis allata ex Urbe vestis, quam Ignatius gestatam contactu diuturno sacraverat. Beavit insigni hoc munere Collegium Bernardus Oliverius mense Novembri ex Italia Coloniam appulsus, dicique vix potest, quo donum hoc gaudio domesticos perfuderit. Nemo fuit quin Ignatianas has exuvias pio osculo veneraretur et manibus versatas inspiceret. Kesselius ut Fratrum votis satisfaceret, passus demum est singulis obvenire laciniam ex manica frustatim divisa. Pars reliqua honoratiore loco fuit seposita; atque in hunc diem populo visenda ac deveneranda proponitur. Est tunica haec crassa plane e tela, atque ita usu ac tempore attrita, ut color cinereo quam nigro sit propior, palamque faciat intuentibus quam cordi semper Ignatius habuerit religiosam inopiam. Asservatur in ara B. Patris rubro involuta serico, et argenteo inclusa loculo, quem piae ac praenobilis Virginis Caeciliae de Wedigh munificentiae debemus. Addiderat Thomas, Oliverii socius, capillos aliquot, quos e S. Patris capite forte defluentes adstantium aliqui per intervalla sublegerant. Verum hos nobis eripuit templi Achatiani incendium de quo ad annum 1621.„ l. c., lib. II, cap. VII, n. 33.

DE COLLEGIO LOVANIENSI

610. Quamvis nostri Lovanii nondum facultatem obtinuissent collegii instituendi, tamen, in templo Sti. Michaëlis et in cathedrali ecclesia Sti. Petri, sacramenta, magna cum utilitate populi, ministrabant. Augebatur autem in primario templo et ornatus et veneratio sanctissimi sacramenti Eucharistiae, et singulis diebus dominicis ac festis ibidem, ad usum ac refectionem omnium communicare volentium, exponebatur; et P. Adrianum, magno cum applausu populi, eo adduxerunt ut, quemadmodum in aede Sti. Michaëlis solitus fuerat, ita in primario jam dicto templo eas audiret, quod fecit, relicto apud Sanctum Michaëlem P. Arnoldo Hezeo.

611. Verum eodem tempore inauditam Lovanii tragoediam aliqui ex parochis excitarunt, qui non solum suis ovibus praeceperant ne ad nostros confessionis gratia accederent, sed peculiaris voti obligatione eos compellere ad id volebant; et si ad nostros venissent, quod rejecturi essent eos et expulsuri a suis sedibus minabantur. Sed hanc machinam Satanae in ejus damnum Dominus convertit. Postquam enim hujusmodi parochi apud D. Cancellarium aliosque primariae auctoritatis viros convicti fuerunt ex diaboli deceptione hujusmodi prohibitiones et vota profecta esse, magna fiducia subditi eorum et magno cum fervore certatim ad nostros se conferebant confessionis gratia [1]. Et frequentia hujusmodi hominum primariis ecclesiae cathedralis viris valde grata erat, qui etiam, ad augendam devotionem hominum, sedilia caelata, pulcherrima mantilia, sciphos

---

[1] "Praeterea Pastores conati sunt subditos suos cogere sub juramento ne ad nostros accederent confitendi causa, sed ut suo quisque confiteretur Pastori, nisi sedibus suis ejici vellet. Verum facultas Theologorum, ad quam res delata fuerat (est autem ejus Lovanii authoritas maxima ejusque sententia oraculi loco haberi solet), Pastorum factum damnavit; auctaque est hinc multo magis confitentium et communicantium frequentia. Et quidem Doctor Curtius, D. Petri Pastor, ex Sancto Michaële ad S. Petrum, Ecclesiam Collegiatam et primariam, P. Adrianum Adriani evocavit ut ibi ordinarie omnium venientium utriusque sexus confessiones exciperet, quod fecit deinceps per plurimos annos.. OLIVERII MANAREI, *Commentarius De Rebus Societatis Jesu*, c. 1, §. 22.

argenteos, et demum omnia, quae ad venerationem ac devotionem augendam erga Sanctissimum Sacramentum faciebant, quam ornatissima efficiebant; et claves sacrarii ac tabernaculi Smi. Sacramenti P. Adriano dederunt, ut pro suo arbitrio, quandocumque vellet, Sanctissimam Synaxim poenitentibus impertiretur.

612. Erat autem numerosa valde confitentium multitudo tam studiosorum quam laicorum, et fructus in dies uberior proveniebat. Non pauci malae vitae cognitionem et contritionem nacti sunt, et non solum haereticorum libros ex confessariorum nostrorum consilio lacerarunt vel igni tradendos attulerunt, sed cum magna etiam compunctione generales totius vitae confessiones fecerunt. Communicantium multitudo tanta erat in utroque templo, ut vix ad celebrandum Sacrum otium relinquerent.

613. Religiosa quaedam foemina, quae in quodam *beghinagio* (sic vocant piarum mulierum in communi viventium et ad statum perfectionis accedentium congregationem) [1] quam multas juvenculas saeculares in curiosis quibusdam ac superfluis ornamentis, ad superbiam aut vanitatem saecularem nutriendam idoneis, instruebat, cum ad confessionem veniens haec minime decere foeminam Deo dicatam doceretur, statim parata fuit ad omnes eas juvenculas domum remittendas; sed honestas ob causas visum est confessario, ut potius superflua resecaret, ipsas vero adolescentulas ad meliora exhortari pergeret, et quaedam documenta ex meditationibus vitae Christi eisdem proponenda atque tradenda in vernacula lingua tradidit, ut talibus documentis eas expoliret; et si quae vellent ea discere, quae vana sunt, domum remitteret.

614. Quaedam alia matrona consensum a marito obtinuit, eodem confessario auctore, ut multa pretiosa ornamenta atque vana sibi relinquere liceret; quae, crescente Dei amore in dies, exemplum ad reformationem aliarum ac formam se praebebat [2].

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 550.

[2] "Quod attinet ad eos, qui vasis aureis et argenteis et pretiosis vestibus utuntur, si homines sunt non admodum spirituales, non parum esse videtur si ad superflua secundum statum resecanda excitentur, his contenti, quae non possent sine aliqua nota avaritiae relinquere. Si spirituales sint, tunc possent ad ea, quae perfectionis sunt et quae majoris aedificationis et exempli, impelli, quale esset vasa hujusmodi in usum pauperum convertere, etc.„ Polancus, *ex com.*, Patri Adriano Adriaenssens, 28 Nov.

Multi utriusque sexus, qui numquam vere confessi fuerant de gravissimis peccatis, nec tranquilla conscientia vivificum sumpserant Sacramentum, a molestissima sarcina peccatorum subprolevati fuerunt; et homines non pauci utriusque sexus ex profundo desperationis, qua sibi mortem inferre cogitabant, erepti fuerunt et paci spiritus restituti. Fuit inter alios sacerdos quidam, qui omnia pietatis opera, non solum Missae sacrificium, diu admodum reliquerat, illud male allegans psalmi: *Quare tu enarras justitias meas?*, omnibus molestus, sibi autem molestissimus, qui postquam nostris confiteri coepit, omnia immutando, velut aedificationis exemplar effectus est. Fuit qui viginti quinque annorum delicta, in quibus semper perseveravegint, magna lacrymarum inundatione deleret.

615. Sed prae caeteris insignis fuit cujusdam personae nobilis conversio, quae non solum in peccatorum profundum inciderat, manseratque per multos annos, sed voto etiam se obstrinxerat, ut mallet sibi ipsi vitam eripere quam quidquam boni facere; retinebat enim pertinacissimum odium propter gravissimas sibi illatas injurias, quod secum ad inferos ferre statuerat; et in tali obstinatione fere viginti annos manserat. Sed hujus etiam oviculae misertus Dominus, praeter omnium exspectationem, ad confessionem eam pertraxit, ubi piis commota admonitionibus sic fuit, ut cor illud saxeum, lacrymis ubertim fluentibus, tamquam cera emollitum fuerit; nec solum totius vitae peccata confessa est, sed sincero corde et odium deposuit et omnem sibi illatam injuriam condonavit.

616. Mechlinienses et Antuerpienses et alii ex remotioribus locis Lovanium, ad confessiones generales instituendas, aliquando veniebant, et magna consolatione spirituali domum redibant; et quo nostris venire non licebat, ibi eorum adventus quam maxime expetebatur; aliquando tamen alter ex duobus sacerdotibus jam dictis circumjacentes civitates ac pagos cum spirituali fructu invisebat. Ad Natalitia festa tantus in omnibus templis fuit communicantium numerus per singulos dies, ut intuentes in admirationem raperet. Ipso die Natalis Domini in templo Sancti Petri supra duo millia communicantium fuerunt, quod inauditum ante illud tempus fuit.

617. In juventute tamen studiosa praecipuus fructus cernebatur et in sacerdotibus, qui ad pacificandas conscientias et

consilium capiendum, ad nostros a multis millibus passuum veniebant. Puerorum etiam non solum multitudo maxima ad confessiones accedebat, sed et fructus in illis maximus capiebatur, qui ea, quae pietatis sunt, ferventi desiderio haurire videbantur. Inter scholasticos, qui vitam in melius commutarunt, unus fuit, qui affirmabat se numquam potuisse credere tantam ex communione dulcedinem ac fructum spiritualem hauriri, nisi experientia edoctus fuisset.

618. Fuit etiam insignis quaedam meretrix, quae retibus daemonis plurimos irretierat, quae, vitam post confessionem multis lacrymis deplorans, tantopere ab hominum conspectu abhorrere coepit, quanta prius licentia cum hominibus vixerat. Fuit et persona aliqua nobilis, quae, multos annos haereticorum adhaerens sectae, nullum Ecclesiae sacramentum admittebat; et tamen, admonitionibus crebris adhibitis, totius vitae generalem fecit confessionem et pravitatem haereticam detestata est; in cujus signum, quotquot haereticorum libros aut scripta penes se habebat, in praesentia aliorum combussit.

619. Nonnulli utriusque sexus religiosi ac saeculares, qui aliquando Societati nostrae detrahere et animo parum sincero ejus bonum odorem imminuere conati fuerant, Deo praecordia ipsorum commovente, non modo ab obloquiis destiterunt, sed etiam cum multis lacrymis ad confitendum nostris accesserunt.

620. Aliquot dies ante quadragesimam P. Arnoldus ex obedientia ad patriam suam [1] venit; et quamvis illis diebus cum licentia magna homines petulanter agere, immo et quodammodo insanire videantur, cum in parochiali templo populus ad divinum officium congregatus esset, concionem apud illum habuit P. Arnoldus non brevem [2]; et tamen non solum patienter ac libenter eum audierunt, sed, sic eorum animos per verbum suum Deus movere dignatus est, ut omnibus illis diebus nec tympana, nec fistulae, nec ulla ludorum genera, aut choreae, et hujusmodi, visa aut audita in publicis locis fuerint. Praeterea, cum virgo quaedam sacrum P. Adriani audisset et brevem concionem ab eo habitam de vera sui ipsius in Deum

---

[1] Ea erat Lummen in Brabantia. Vide Delplace, *L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas*, pag. 343, 2*, et *Litterae Quadrimestres*, t. 1, pag. 146.

[2] Vide quae de concione ab Hezeo habita in festo SSmi. Nominis Jesu an. 1552 narrat P. Kessel, in *Litt. Quad.*, t. 1, pag. 547.

resignatione, ad aedes nostras Lovanienses venit secum quidquid habebat pecuniarum ex reditibus suis afferens, et ad se vocari P. Adrianum petens, eo adventante, hanc pecuniam suam peplo involutam ei tradens, nec verbum ullum dicens, propere recessit. Pater vero Adrianus rem considerans, ne ejus spiritum perturbaret, subticuit aliquantisper; sed per personas quasdam externas, curans ut illa in sua resignatione perseveraret, suam pecuniam ipsi restituit.

621. Quaedam etiam alia virgo, more saeculi muliebribus ornamentis admodum decorata, post concionem in quodam coenobio virginum habitam, in quo tres uno die sacra sumpserant velamina, multaque de morte et gloria Sanctorum disseruerat, audivit, nec ad nuptiale cum parentibus prandium accedens, cum monialibus in inferiori monasterii parte cibum cepit; sed cum parentes domum redire, peracto prandio, vellent, virgo illa, genibus provoluta et cum magna lacrymarum inundatione, in monasterio manendi facultatem a parentibus postulat [1]. Hinc laetum convivium in amaros vertitur gemitus et lacrymas parentum, qui sua dilecta filia orbari aegerrime ferebant. Contra virgo cum alia religiosa, quae ipsam comitabatur, lacrymis, alia ex causa fusis, humum madefaciebant; sed demum virgo in monasterio mansit.

622. Multi praeterea, tum adolescentes tum virgines, diversas religiones ingressi sunt, et plures ingredi parati erant et suo tempore desiderium suum implere sperabant. Quemdam adolescentem, P. Adriani judicio idoneum existimatum, ad Carthusianum Ordinem Coloniam miserunt, qui cum gaudio et actione gratiarum exceptus est a Rdo. Priore [2]. Alius, post suscepta exercitia, Societati se addixit. Fuit et tunc admissus magister Theodoricus Gerardi, amsterdamensis, parentibus et

---

1 Sic in ms.; sed alio modo haec concinnari et sensus et syntaxis exigere videntur. Erit autem hic: "Concioni etiam a P. Adriano in quodam virginum coenobio habitae, cum tres uno die sacra sumpsere velamina, quaedam alia virgo interfuit, muliebribus, more saeculi, ornamentis admodum decorata. Haec, postquam P. Adrianum multa de morte et gloria Sanctorum disserentem audivit, nec ad nuptiale cum parentibus convivium accessit, et cum monialibus in inferiori monasterii parte cibum cepit, et, cum ejus parentes domum redire, peracto prandio, vellent, genibus provoluta et cum magna lacrymarum inundatione manendi in monasterio facultatem a parentibus postulavit.„— Nuptiale convivium hic intellige quod harum virginum spirituales cum Christo nuptias secutum est.

2 Gerardo Hamont, de quo saepius mentio facta est et fiet.

nobilibus et divitibus natus, qui, cum viginti annorum esset, artium curriculum Lovanii audierat, et primum locum inter magistros, qui promovebantur in illa Academia, obtinuerat. Ei tamen parentes vicini, utpote in Hollandia [1], molesti videbantur futuri; ideoque cum duobus aliis studiosis Romam missus est; quo etiam anno alter Theodoricus, Patris Canisii frater, Romam etiam venit [2]; quibus se adjunxerunt Coloniae illi quinque, de quibus superius egimus, mense Martio. Fuerunt autem non exigui timores nonnullorum quod, propter Theodoricum Gerardi insalutatis parentibus recedentem, persecutionibus nostri exagitandi essent; sed timor amicorum in admirationem versus est, cum brevissimo tempore hos fluctus in serenitatem et aedificationem conversos esse animadverterent.

623. Mira in dies hominum ad saniora et saluti viciniora erat mutatio, et de Societate nostra melius in dies sentire homines cernebantur; quorum devotio in causa fuit, ut etiam hoc anno suam professionem P. Adrianus renovaverit, quod sine offensione multorum eam intermittere vix potuerit; et cum doctor quidam concionem haberet de renovatione omnium statuum, qui aderant ad eam audiendam et sacramenta sumenda (nam tam multi adfuerunt ac si solemne festum aliquod fuisset celebratum) cum magna inde consolatione recesserunt. Et cum idem doctor latino sermone ad primitias P. Petri Spigae, Sardi, alteram haberet concionem de vita et statu ecclesiasticorum, et magnates et doctores et scholasticorum coetus numerosus aderat, et inter alios Dominus Cancellarius, qui muneribus (licet non admissis) suam benevolentiam ostendebant. Numquam autem tanta cum gratia doctorem illum fuisse concionatum ferebatur.

624. Inter alios, decem sacerdotes spiritualibus exercitiis exculti sunt; nec ullus fuit inter eos, qui se exercebant, qui non libentissime Societatis nostrae institutum fuisset amplexus; sed quibusdam conditio ac status non permittebat. Erat enim inter illos venerabilis quidam et pietate insignis Abbas Liciensis [3],

---

[1] Vide supra, n. 5, 6 et 7, pag. 7 et 8.

[2] "Thierry Kanys (Canisius), frère du Bienheureux, né à Nimègue, en 1534, admis à Cologne en 1553, mort à Ingolstadt le 27 septembre 1606. Il a été recteur à Munich, à Lucerne, à Dillingen et à Ingolstadt.„ Delplace, l. c.

[3] Ludovicus Blosius.

cujus fama celebris in Belgio erat, et apud Reginam [1], quae ejus utebatur in rebus spiritualibus institutione, magnam auctoritatem habebat. Is, inquam, Abbas, cum quinque selectis sui coenobii religiosis, inter quos erat Prior et studentium magister ac procurator, bini ac bini successive ad nostros venientes, spiritualia exercitia susceperunt [2]. Et ipse Abbas cum omnibus suis paratum se esse dicebat nostram Societatem sequi, si per instituti rationem licuisset. Sed quod in seipso facere non poterat, in aliis curare cogitabat; totius enim suae provinciae sacerdotes saeculares ad spiritualia exercitia mittere moliebatur, et brevi quemdam misit, qui, absolutis exercitiis, se totum obedientiae Societatis resignavit. Cupiebant et foeminae nobiles eisdem frui exercitationibus, si nostris per otium id licuisset. Ab Abbatissa illustris monasterii Foresti [3] litteris et precibus P. Adrianus evocatus, tantum per concionem, non solum religiosarum dominarum sed et sacerdotum, qui audiebant, corda commovit, ut multi plane novum hominem sibi indulsse viderentur. Aliis etiam in locis ejus praesentia valde expetebatur.

---

[1] Maria, Hungariae Regina, Belgii Gubernatrix.

[2] "Eminebat per id tempus in hoc spiritualis exercitationis magisterio S. Ignatius Loyola, Societatis Jesu fundator, et post eum, ex ejus disciplina Socii, qui nuper in Belgium venerant; nec ita multo post, adnitente cum aliis viris Principibus Blosio, Diplomate Regio admissi sunt. Apud hos humilis Abbas, post exactos in Praelatura annos viginti, Lovanii se abdidit, ut inter primos spiritualibus exercitationibus excoleretur. Testantur id Annales Societatis ad annum Domini 1553 cum hac honorifica Blosii mentione: Inter ceteros, qui se Lovanii ad Societatis orandi commentandique disciplinam salutariter exercuerunt, primas tulit Ludovicus Blosius, Abbas Laetiensis, vir suis scriptis ac monumentis, nec minus virtutum memoria nobilis. Non egebat tum quidem illo Blosius, licet efficacissimo, ad pietatem excitamento, tamen et sibi profuit et vero suos (quod maxime volebat) exemplo traxit.

Ita Blosii factum interpretatus est R. P. Quintinus Charlart, Belga, Romae S. Theologiae Professor, unus de primis Societatis Jesu Patribus, qui in Belgium ex Italia missi sunt. Is super hac re ita Roma scribit ad Abbatem Blosium 23 Octob. 1553: Reverende in Christo Pater: Audiveram quidem vestram Paternitatem Lovanium venisse non ita dudum pro faciendis exercitiis nostrae Societatis: sed ubi ad nos pervenerunt D. Joannes Boucquiau et Jacobus, vester quondam fidelis in Domino servus, rem ita se habere ab ipsis accipiens, non potui non congratulari in Domino V. P., quae tantum se demittere voluerit, ut Societatis nostrae tirocinium subire et experiri non sit dedignata, non tam pro se, sat scio, quam ut alios tali suo exemplo ad id alliceret et provocaret. Quod sane virtutis, caritatis inquam eximiae opus, quantis efferam laudibus nescio. Proinde tacere, et illud sedulo mirari magis expedit, quam hisce chartis illud non ad vivum depingere.„ BOLLAND., *Acta Sanctorum*, mense januario, t. I, *Vita Ven. Ludovici Blosii, Abb.*, auctore Monacho Benedictino, cap. XVII, nn. 59 et 60.—"Gaudemus in Dno et aedificamur exemplo humilitatis Reverendi Patris Domini Abbatis Lynciensis *(sic)*. Dignetur Divina Bonitas eum donis suis spiritualibus cumulare.„ Polancus, *ex com.*, Patri Adriano Adriaenssens., 23 Aug.

[3] *Forest*, oppidum non longe Bruxellis distans.

625. Cujusdam familiae, Deo plane devotae, parvulus quidam, id est, trium annorum infans, continuis quibusdam vexabatur illusionibus. Informes enim quaedam bestiae illi apparebant, quibus appropinquantibus, totus concutiebatur horrore, fletu et clamore, et capilli capitis erigebantur; et hoc diu noctuque accidebat. Cum autem parentes ad P. Adrianum rem detulissent, matrem ille cum suo filio ad templum venire jussit ibique divino interesse sacrificio, quod ad ejus intentionem Deo obtulerat. Eo finito, cum domum redirent, ab omnibus his terroribus et phantasmatibus puerulus omnino liberatus fuit, nec amplius ei hujusmodi imagines molestae fuerunt. Sed, hoc liberato, statim alius natu major eisdem coepit phantasmatibus vexari; qui ad eumdem modum in ecclesiam venire a P. Adriano jussus, et eodem modo, celebrato sacro, liberatus est.

626. Multum temporis expendere idem Pater solitus erat cum utriusque sexus hominibus, tam saecularibus quam religioni deditis, qui pro secretiore consilio ad animas juvandas confluebant, vel, si ad eum venire non poterant, precibus eum ad se accersebant. Dabat enim Dominus ei gratiam ut pene nullus ad eum consilii gratia accederet, qui non cum gaudio et spirituali consolatione recederet; et hic bonus odor et aedificatio, post anni praecedentis exercitationem in patientia (quae valde necessaria fuit), non solum gratior erat, sed et data a Domino videbatur; nam praeter carcerem, de quo superius actum est, et exclusionem nostrorum ex Collegio Falconensi, alapis etiam inflictis ab ejus Collegii Rectore, rumor quidam multo molestior nostris sparsus fuerat.

627 [1]. Quidam enim libellus Lovanii inventus fuerat, qui quaedam vota et disciplinas faciendas continebat; cujus gratia Universitas saepe fuerat congregata et scandala multa apud plebem exorta. Et quia ea, quae speciem aliquam singularem boni prae se ferebant, nostris tribuebantur, hinc obloqui nostris multi coeperant. Nam ferebatur mulieres quasdam, crebro communicantes, flagellari semel in hebdomada a suis confessariis. Sciebat autem P. Adrianus esse quosdam sacerdotes, qui ad frequentem confessionem et communionem hortabantur, et talia

---

[1] Quae his nn. 627 et 628 enarrat Polancus, descripta reperies in litteris Patris Adriani Adriaenssens datis anni praecedentis die 1 Martii; quare ad illum annum videntur pertinere. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. 1, pag. 548.

et forte pejora perpetrabant [1]; et cum illi quamdam sanctitatis speciem ostenderent, *Jesuitae* vocabantur; et ita ad nostros haec infamia redundabat. Sed tandem deprehensa est mulier quaedam beghina, quae libellum illum scripserat, et illi sacerdotes saeculares, earum confessarii, a Rectore vocati fuerunt et interrogati et reprehensi. Et cum interrogarentur an P. Adrianus hujusmodi erroribus esset implicatus, illi responderunt se hisce de rebus ab eodem valde increpatos fuisse; et ita res habebat; immo cum correctio fraterna non sufficeret et reprehensio, ad Cancellarium eos P. Adrianus detulerat. Nihilominus vocatus fuit et interrogatus de his, quae in libello continebantur, et cum perspectum esset quod illa procul a nostris aberant, edicto publico testati sunt hi, ad quos spectabat, nostros culpae illius prorsus expertes esse.

628. Et cum prohiberetur ne extra parochiam quis confiteretur, nostris tamen liceret confiteri, eo major hominum concursus ad nostros fiebat, et omnium de illis existimatio melior ac major reddebatur [2]. Vocabantur autem persaepe ad infirmos; et haec occupatio occasione morbi ipsius parochi Sancti Michaëlis, et alterius, qui vices ejus gerebat, aucta est; nam eo tempore omnium curam gerere aegrotantium P. Arnoldus cogebatur, et eis ecclesiastica sacramenta ministrabat, sicut aliis etiam ad templum Sti. Michaëlis accedentibus, quibus ille concionari propter pastorum morbum incipiens, deinde dominicis ac festis diebus id ipsum prosecutus est.

629. A quodam pago vicino, ubi jubilaei indulgentia promulgata erat, P. Arnoldus evocatus est ut ad id confessionibus populi audiendis pastorem juvaret. Accessit ergo et tribus continuis diebus confessionibus audiendis vacavit. Cum autem inter varios vitiorum ejus populi abusus hic esset, ut indulgentiae tanti non fierent ut pro illis consequendis jejunare aut confiteri homines vellent, immo quidam dicerent ignorare se quid sibi vellet nomen indulgentiae, nisi quod inde quaestus aliquis ad sacerdotes redeat, dum ex confitentibus, quos audiunt, pecuniam accipiunt; mirum dictu quam nova res videretur, cum P. Arnoldum pecuniam oblatam recusare, et tamen in confes-

---

[1] Haec recte intelliges, si litteras legas Adriani.

[2] Vide supra, n. 611, pag. 272.

sionibus assidue laborare cernerent. Ultimo ergo die, qui dominicus erat, cum totus populus ad sacra audienda convenisset, P. Arnoldus contra vitia populi concionari coepit; et inter caetera explicavit quomodo peccati poena, etiam post culpam remissam, poenitentia erat expianda, aut in purgatorio luenda si quis in hac vita noluisset; et inde, accepta occasione, de indulgentiis tam multa et tam opportune disseruit, ut multi qui sexta feria et sabbato ob contumaciam jejunare noluerant, prae neglectae hujus gratiae tristitia, die dominica vix cibum capere voluerint, affirmantes se in posterum tales indulgentias non contempturos.

630. Tria monasteria monialium, partim concionibus, partim privatis colloquiis, magnopere P. Adrianus adjuvit. Inter alias religiosa quaedam fuit, quae, cum viginti annos habitum illum gestasset, mori potius quam eum ulterius retinere volebat. Sed, confessione et salutaribus consiliis illustrata, in aliam prorsus et vere religiosam evasit; et perinde atque si monasterium tunc ingressa esset, se gerere in humilitatis officiis coepit. Alterius cujusdam monasterii Abbatissa, concionibus nostrorum cum toto coetu filiarum magnopere affecta, Societatis defensionem contra obtrectatores ejus publice sic suscipiebat et tam multa in ejus laudem dicebat, ut ne verbum quidem, qui obloqui coeperant, addere praesumerent.

631. Positiones theologicae, quae in Romano Collegio habitae hoc anno fuerant, et Cancellario et aliis doctoribus valde placuerant, ad eos etiam confundendos non parum valebant, qui carnis zelo non Dei ducebantur, ut salutifera Societatis exercitia perscindere vellent [1]. Non deerant aliqui qui per eadem exercitia ad suum nomen militiae Christi dandum ipsa in Societate disponerentur; paucis tamen Lovanii adhuc retentis, alii alio mittendi videbantur.

632. Domi nostrae in latinis concionibus se exercere nostri coeperunt; et clerici externi non pauci, non sine aedificatione, ad hanc litterariam et piam exercitationem accedebant.

633. Quamvis Imperator Carolus in Belgium se hoc anno contulisset, non potuit facultas ab eo erigendi Collegii Lova-

---

[1] Harum theologicarum positionum exemplaria typis excusa Adriano Polancus misit 28 Nov.– Vide *Précis historiques,* vol. 37, pag. 472.

niensis impetrari. Respondebatur enim ex ejus curia non posse Imperatorem eam concedere, nisi beneplacito prius habito a Statibus ejus provinciae, quibus juramentum praestiterat, quod nulla bona immobilia permissurus esset ad manum mortuam pervenire. Ipsi Status vicissim nostros ad Imperatorem remittebant; et ita res in ambiguo versabatur. Timebatur etiam quod civitas Lovaniensis, a qua incipiendum erat, Universitatem esset consultura, et illa non consensura, nisi constaret quod ipsi collegium nostrum subesse deberet.

634. Non erat iniqua conditio, quam Rector Collegii Liliensis nostris offerebat, ut scilicet, quamdiu ipse viveret, in ipsius Collegio nostri versarentur ad eum modum quo Stendonici *(sic)* in collegio, quod pro insigni porcum habet, versantur. Post mortem autem idem quatuor millia florenorum se relicturum affirmabat; et satis spatiosa domus erat et pulchrum sacellum. Sed duo impediebant ne admitteretur haec conditio; alterum, quod saeculares scholastici ibidem habitaturi erant, qui Regenti collegii, dum viveret, pro more suo suas expensas solverent; alterum quod disputabat Regens ille collegii cum artium facultate de ipsius collegii dominio; et ideo parum videbatur esse securum, si jus illud Regentis dubium susciperetur, et cum facultate postea litigandum esset [1].

635. De facultate autem erigendi collegia Societatis contulit P. Adrianus cum Domino Alexio Fontana, Secretario Imperatoris, qui Collegii Sasseritani postea fundator fuit et Societatem ex animo diligebat [2]; et supersedendum esse ab hoc ne-

---

[1] Fusius haec et clarius enarrata habes in litteris P. Adriani Adriaenssens datis Lovanii 2 Aprilis 1552. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. 1, pag. 565.—In hoc Collegio jam olim conciones suas ad juvenes studiosos habuerat Pater Strada. Ait enim OLIVERIUS MANAREUS: "Franciscus vero Strada sancto hoc viro (P. Petro Fabro) subnixus, dum in Collegio Falconis curriculum philosophiae decurrit, ad condiscipulos, quos ad devotionem et pietatem allicere potuit, privatim de divinis rebus tractare incipit, magno ipsorum gustu et utilitate, et cum alii et alii accedunt, novique prioribus se adjungunt, exhortationes ad multos simul congregatos paulo post habuit. Demum prospere negotio procedente, cum ad Falconem locus non esset omnium capax nec idoneus exhortationibus habendis, eos in Collegium Porcense e Pontificio transtulit et diebus quibusque dominicis et festis magno studiosorum concursu prosecutus est: eae vero erant de vita bene beateque instituenda ac de studiis ad ultimum finem dirigendis.„ l. c., cap. 1, § 2.

[2] Alexis Fontana "né à Sassari, dans l'ile de Sardaigne. Fontana entra de bonne heure au service de l'empereur, qui l'annoblit et le mena avec lui en Allemagne et dans les Pays-Bas. Fontana fit à Spire la connaissance du P. Favre, et depuis lors il se montra tout dévoué à la Compagnie; il entretenait un commerce de lettres avec le saint

gotio tractando censuit, cum res penderet a toto consilio et consensu Inferioris illius Germaniae Imperatori subditae. Nec erat aliquis insignis auctoritatis et potentiae in illa curia, cui res Societatis cordi essent; et Societas non satis nota erat illis in provinciis, cum pauci essent operarii et nullus insignis concionator. Erant autem aemuli multi et aliqui sacerdotes, quos *Jesuitas* vocari diximus ob speciem quamdam sanctitatis, qui suis factis Societatis famam laedebant. Sic ergo negotium hoc fuit intermissum [1].

636. Existimabat autem P. Adrianus, quamdiu collegium formatum Lovanii non haberemus, expedire ut nostri Romam mitterentur et non Lovanii diu manerent; et ita P. Quintinus, initio hujus anni, cum socio P. Antonio Bucleto [2] Romam missus erat. P. etiam Ursmarus sub finem anni praecedentis, quo se Societati addixerat, Romam etiam missus est [3]. Sic Magister

---

fondateur. En 1557 il demanda au roi, à cause de sa mauvaise santé de pouvoir rentrer dans sa patrie. Philippe II en reconnaissance de ses services le nomma aux fonctions importants de tresorier de Sardaigne. De concert avec le P. Pierre Spiga, son compatriote, qu'il avait connu tandis que celui-ci étudiait à Louvain, il contribua puissamment à la fondation du collège de la Compagnie à Sassari; il mourut peu de temps après, en 1559, dans sa patrie; le père Général Laynez ordonna à tous les Pères de la Compagnie d'offrir pour lui le S. sacrifice de la messe comme pour les fondateurs de Collèges. Cfr. *Hist. Soc. Jes.* P. II, lib. III, n. 77 et seq.„ Delplace, l. c.—Vide etiam *Cartas de San Ignacio,* t. III. pag. 279, et t. V et VI, passim.

Profectio haec P. Adriani Adriaenssens in urbem Bruxellas ut cum Alexio Fontana de rebus Societatis ageret, evenisse videtur mense Junio hujus anni aut saltem primis Julii diebus; de ea enim scripsit Adrianus Ignatio 19 et 20 Julii, quibus respondit, *ex com.,* Polancus 23 Augusti.

[1] "Non mirandum est, si quando bella fervent, supersedendum videatur a petenda facultate collegiorum erigendorum; interim fortassis Principis Hispaniarum litterae ad vos mittentur. Dominus Guilielmus de Pictavia, Cancellarius Leodiensis, aliquid promissae operae suae praestabit.„ Polancus, *ex com.,* Patri Adriano Adriaenssens, 23 Aug.—Vide supra n. 585, pag. 262.

[2] "Antoine Bouclet ou Bouclier, né à Binche en 1525, admis à Rome en 1552, mort à Rome le 25 mars 1561.„ Delplace, l. c. Sed si Romae admissus est, cum Romam, Polanco teste, nonnisi initio anni 1553 venerit, hoc anno 1553 admitti debuit.

[3] "Ursmar Goisson, né à Beaumont (Hainaut) en 1524, chanoine de Thuin, admis à Louvain en 1548, mort à Louvain le 7 août 1578; il fut recteur à Prague et à Rome.„ Delplace, l. c. Sed hunc etiam Polancus ait praecedenti anno, sc., 1552 Societatem ingressum. Eum tamen non solum Societatem ingressum sed etiam a suo Superiore P. Adriano Adriaenssens ante mensem Novembrem 1550 in Laetiensem Abbatiam missum ut spiritualibus Societatis Exercitiis monachos excoleret, aliunde novimus. "Extat ipsius Blosii epistola ad R. P. Adrianum Adriani Societatis Jesu Laetiis anno 1550 scripta, ejus et pietatis index certissima, et sacrarum meditationum Laetiensibus ab Ursmaro Goissono Bellomontano, ejusdem Societatis Presbytero, traditarum testis. Ea sic habet: JESUS. Gratiam habeo, Domine mi, Caritati vestrae, quod me dignata sit commendare precibus Institutoris et Superioris vestri. Hoc mihi optatissimum et ingens beneficium est. Spero enim, Dominum Deum, propter illum, et vestras orationes, mihi propitium futurum. Puto D. Ursmarum vobis per litteras indicasse, exercitia

Theodoricus Gerardi [1] cum duobus aliis primo vere, et in autumno P. Cornelius Broghelmans [2] cum duobus aliis sacerdotibus, et Magister Arnoldus Conchus cum duobus aliis fratribus [3], et ante illos magister Joannes Conspeanus, Romam versus missi fuerant. Censebat enim P. Adrianus parum in spiritu proficere eos, qui ibidem instituerentur; et etiam in litteris, minus quam ipse cupiebat, proficiebant. Addebat etiam secundam causam, quod non videretur promereri ea provincia ut nostros ibi multos haberet, cum Societatem non esset amplexa nec ejus collegia admitteret [4].

637. Interim aliqui moleste ferebant, quod multi magnae exspectationis studiosi et sacerdotes ex illis locis recederent, et Cancellarius Lovaniensis suis litteris P. Ignatio id significavit [5]. Sed cum eidem P. Ignatius respondisset, et P. Olavius,

---

quaedam tradita esse nostris juvenibus. Utinam hoc factum fuisset ante annos viginti! ita enim cum senioribus multo melius forte ageretur. Laudamus benignissimum Deum, qui per vos istam rationem nos docuit. Ex ea et ipsius Dei honor et salus animarum, uti confido, consequetur. D. Ursmarus modo abest a monasterio rediturus ante quatuor dies. Bene valete in Domino Jesu. Laetiis, postridie Animarum (3 Novembris)." *Vita Venerab. Ludovici Blosii Abb., in Acta Sanctorum,* mense jan., t. I, pag. 443, cap. XVIII, n. 61.

Haec et alia hujusmodi, ubi non conveniunt veteres scriptores in asignando die et anno, quo quis in Societatem adscriptus est, facile solves, si memineris ea quae in t. I. *Litterae Quadrimestres,* pag. 146 et 542 adnotavimus.

[1] Vide supra, nn. 6 et 7.

[2] De hoc, cujus mentio jam saepe facta est supra t. I et II, ita DELPLACE, l. c.: "Corneille Brogelmans, né à Bruges en 1514, admis à Louvain le 10 septembre 1546, mort à Vienne en 1588; il fut député de la province d'Autriche à la seconde congregation générale."

[3] "...alli 4 del passato partì di Lovanio il P. Cornelio Broghelmans con cinque compagni la volta di Roma, et già crediamo sia in Italia." Ita Polancus, *ex com.,* Patri Antonio Vinck, Bibonam, 11 Septembris.

[4] De his et aliis qui Lovanio et Colonia missi Romam fuerant, haec Polancus, *ex com.,* die 24 Octobris: "Ex fratribus Lovaniensibus Colonia missis quicumque idonei visi sunt, ad studia Theologiae sunt destinati, ut Magister Theodoricus, Magister Gerardus Brassica, Magister Franciscus (Costerus) Mechliniensis, Magister Joannes de Tilia, Magister Petrus Sylvius. Aliqui videbantur magis indigere Philosophiae exercitatione aliqua, ut Magister Martinus, Magister Joannes Riedt, et unum annum cum se in Philosophia exercuerint, ad Theologiam se conferent.

De Magistro Cornelio Broghelmans et aliis quatuor cum eo missis fratribus non est quod scribam donec probati ulterius fuerint. Bene habent omnes in spiritu et in corpore etiam, praeter alterum ex sacerdotibus, qui valetudinarius accessit et adhuc manet, licet melius habeat. Magister Petrus Sylvius optime convaluit ac potius Deo quam medicis acceptam ferre potest sanitatem; nam mirabili prorsus modo et insperato sanitas ei reddita est ab eo, qui juxta suum nomen salus et vita nostra est. Ipsi honor et gloria. Amen."

De Joanne de Tilia, cujus nunc primo nomen occurrit, ita DELPLACE: "JEAN VAN DER LINDEN (DE TILIA), né en Gueldre, docteur en théologie, admis à Cologne en 1552, mort à Lorette le 24 août 1559", l. c.

[5] Conquestus etiam de hoc fuisse videtur Guilielmus de Pictavia, Leodiensis Epi-

familiariter ipsi notus, litteras suas adjunxisset, utrasque ad eum detulit P. Adrianus; quibus lectis, Dominus Cancellarius Ruardus, magna laetitia perfusus, fassus est se nequaquam offensum quod, qui ad Societatem ibi aspirabant, Romam mitterentur, immo id se in spiritu et conscientia sentire bene factum esse et gaudere quod sic fieret; sed, urgentibus quibusdam, illas litteras se scripsisse fatebatur; qui tamen eum urgebant jam sedati erant.

638. Abbas ille Liciensis, de quo superius egimus [1], nomine Blosius (cujus aliqua leguntur spiritualia opuscula), alium quemdam Abbatem ad exercitia spiritualia mittendum curavit; et quia magnae auctoritatis erat apud viros primarios, ejus amicitia et Societatis commendatio apud Episcopos et nobilitatem Societati non parum conferebat.

639. Non omittam quod aliqui ex his, qui Romam missi fuerant et divites parentes habebant, cum Collegii Romani paupertatem et debita viderent, et liberum ipsis relinqueretur ut subsidium aliquod ad suas expensas peterent vel non peterent, sponte sua ad suos scripserunt. Sed P. Adriano visum fuit non ad aedificationem parentum fore, si filii a suis parentibus aliquid hujusmodi subsidii peterent; ea enim esse ingenia hominum illius regionis; et ita res omissa est [2].

---

scopi Cancellarius. Ait enim Polancus litteris, *ex com.*, Patri Nicolao Launoyo 9 Aug. datis: "Del Signor Gulielmo de Pictavia non ha ricevuto alcune lettere Nostro Padre. Il negotio più importante sarebbe che si havesse quella licenza di erigere collegii et alhora intenderebbono che non si caverebbono tanti delli suoi giovani di là.„

[1] N. 624, pag. 277.

[2] 26 Septembris Patri Adriano Adriaenssens haec, *ex com.*, scribebat Polancus: "Scripsi elapso proxime mense nos velle mentem V. R. intelligere et judicium in hoc, an, scilicet contra aedificationem futurum existimet si aliqui ex Flandris ad suos scribant ut ad se aliquid pecuniae mittant ut in Collegio pauperi non gravent Societatem; quamvis eis omnia gratis offerantur perinde ut si de suis propriis bonis ipsi sibi providerent; aequius tamen existimantes ut pauperes qui non habent unde sibi prospiciant, de bonis pauperis collegii vivant. Et revera nihil illis deesse patiemur, licet aere alieno non parum gravati: imo quae ad tuendam valetudinem et ad studii commoditatem fuerint, eis semper (ut si abundaremus reditibus), subministrabimus.„ His respondit Pater Adrianus Ignatio, litteris XVI Octobris datis, quod hoc n. 639 narrat Polancus.

DE COLLEGIO PARISIENSI

640. Uberiorem messem hic annus patiendi, quam fructum agendi, nostris parisiensibus praebuit; nec tamen omnino sterilis fuit, si operariorum paucitatem consideremus. Solus enim sacerdos erat P. Paschasius, et pauci aliquot scholastici cum eo versabantur, inter quos erat Mag. Robertus Clayssonius, nondum sacerdos, quem oportebat altera manu in vinea Domini laborare, altera vero arma tenere et exercere tum prudentiae, tum sollicitudinis, contra Societatis oppugnatores, occasione erigendi Collegii Parisiensis excitatos.

641. Deerat quidem concionatoris subsidium; sed interim audiendis confessionibus et tradendis spiritualibus exercitiis, in primis hujus anni mensibus, non inutiliter P. Paschasius occupabatur. Quotidie quidem in aede sacra D. Cosmae, quae domui nostrae conjuncta est, festis autem diebus in abbatia Sti. Germani, et utrobique multis ad sacramenta accedentibus, cum egregio animarum profectu ea ministrabat. Quidam inter alios juvenis fuit, qui cum animarum onere gravatus esset, ne preces quidem dicere solitus et in juvenili insolentia insignis erat. Hic autem per confessionem in alium virum mutatus est, cujus praeceptor cum magna admiratione P. Paschasio congratulabatur, quod per salutifera ipsius praecepta et ministerium confessionis perditos mores ille juvenis in magnam vitae probitatem commutasset, et in litterarum studiis, magna cum alacritate, tam diligenti et concitato cursu progrederetur, quanta negligentia prius torpebat; et cum sacramenta frequentaret, perfectiora etiam ab eo exspectabantur.

642. Matrona etiam quaedam primaria in tam profundam desperationis voraginem delapsa fuerat, ut affirmaret se a Deo reprobatam et damnationi destinatam esse; et praesentem etiam vitam ignis supplicio, ex arbitrio publico judicis, cum morte ignominiosa se commutaturam. His et aliis vesanis phantasmatibus eo adducta erat, ut vitam suspendio finire meditaretur, et laqueum jam paraverat; et aliquando in puteum

profundum aut fluvium se praecipitem dare cogitabat, et ad id gurgitem, a quo evadendi nulla spes esset, eligere deliberaverat, cum alioqui honesta et pia matrona esset. Nec alia ratione ad haec illi persuadenda Satan utebatur, nisi quod, spiritualibus consolationibus privata, in oratione torperet, cum aliquando sensibilibus consolationibus et affectibus erga Deum spiritus ejus inter orandum excitari consuevisset; proinde se a Deo relictam ac reprobatam arbitrabatur, cum gratiam Dei et charitatem illis sensibilibus consolationibus metiretur. Verum divina pietas oviculam hanc e faucibus lupi ferocissimi eripuit per P. Paschasium, cui instruendam illam et curandam commisit. Laqueum ergo combussit, quem ad suspendium paraverat, et, juxta Patris consilium, omnem otii occasionem abrumpens, ad portum tranquillitatis animi et pacis paulatim accedebat, et P. Paschasio, post Deum, salutem acceptam ferebat.

643. Inter fructus autem spiritualium exercitiorum hic fuit, quod sacerdos quidam aulicus pluribus beneficiis, pastoralem administrationem flagitantibus, oneratus, unico retento, ad gregem sibi commissum pascendum se contulit, et officio suo strenue fungi coepit. Alteri etiam sacerdoti, qui aliquando concionatoris munere functus erat et tunc juventutis instituendae curam exercebat, per eadem exercitia non mediocris vitae spiritualis profectus accessit, et status perfectionis aliquando suscipiendi spem reliquit. Tertius etiam sacerdos, juris peritus ac theologus, eisdem exercitiis excultus, ad paroeciam suam (nam animarum curam gerebat), etiam est missus, quamvis et hic ad Societatem affectus esse videretur; quartus itidem sacerdos summo cum desiderio nostrae se Societati adjungere cupiebat, quamvis valetudo corporis infirma eum impediret. Praeter has occupationes varias, civium parisiensium, ob valetudinem adversam periclitantium, aedes adibat, et aegrotantibus solatium et spirituale auxilium impendebat.

644. In Arverniam cum quibusdam fratribus profectus, hortatu Claramontani Episcopi, visitationis munere, peragratis quadraginta quatuor paroeciis, perfunctus est, cui piae occupationi octodecim dies, non sine animarum magno foenore, tribuit. Duo insignes ac nobiles viri ibidem exercitia spiritualia sub ejus magisterio subierunt, quorum alter quatuor aut quinque beneficia ecclesiastica, stimulo conscientiae punctus, reli-

quit. Magna siti claramontanenses et academiae billomensis incolae Societatis nostrae adventum ad se exspectabant. Cum enim P. Hieronymus [1] ibidem versatus esset, vix dici potest quantum sui desiderium quamque recentem suae integritatis memoriam arverniensibus, post suum discessum, reliquerit.

645. Ut ad negotium admissionis Societatis nostrae veniam, cum Cardinalis Farnesius in Galliam se contulisset et nostros se invisentes amanter excepisset, suam operam obtulit, quam nostri requirebant, apud Cardinalem Lotharingum, ut a Rege impetraret secundum praeceptum ad Senatum Parisiensem. Sed Cardinalis Lotharingus, sua diligentia commendationem Farnesii praeveniens, litteras a Rege, ut diximus, impetravit (secundam jussionem vocant), quibus Senatui exacte admodum praecipiebat ut litteras Apostolicas et privilegia approbaret. Et cum ex sententia omnia essent a Rege concessa, Senatui vel Parlamento (ut ipsi vocant) secundam jussionem P. Paschasius obtulit. At illi valde difficiles se praebebant, et multas religiones esse atque ordines plures quam opus esset, etiamsi novi non adderentur. Addebant etiam contra sancta Concilia novam religionem facere, et religiosos ab episcopis exemptos esse et a solvendis decimis. At P. Paschasius, ut difficultatem minueret, dederat hoc in scriptis Parlamento, quod Societas, quod attinet ad debita solvenda, sententiae ac judicio episcoporum stare vellet et decimas consuetas solvere; et si contingeret nostros errare, velle nos eo modo correctioni subjici, quo caeteri religiosi. Putabat autem P. Paschasius, si haec P. Ignatio non placerent, quae interim negotium facilius redde-

---

[1] Hieronymus Bassus, seu le Bas. "Jérôme le Bas, compatriote de Robert Claysson, suivait les cours de l'Université de Paris, lorsque touché des exemples des disciples de Saint Ignace, il voulut faire, en 1553, sous la direction du Père Broet, les exercices d'une retraite. Il en sortit avec le désir de partager la vie des hotes de l'évêque de Clermont. Il en fut detourné, pendant quelques jours, par de faux amis, auxquels il avait communiqué son secret. Mais, mieux eclairé par la grace divine, il rougit de cette hésitation, et se présenta résolument au Père Paschase, qui l'admit dans sa communauté. Il n'y était que depuis quinze mois, et déja il était pour tous un modèle de dévouement, de mortification et de charité; le Père Broet l'accorda, dès lors, aux demands de l'évêque de Clermont, avec un Frère nommé Aurelle, probablement natif de ce diocèse. Mgr. du Prat confia à celui-ci le soin d'enseigner la doctrine chrétienne aux enfants et aux pauvres de Clermont, et aux malades dans les hôpitaux, et chargea l'autre d'exercer le ministère apostolique parmi les populations de la banlieue." PRAT, *Mémoires,* part. III, lib. I.—"JÉROME LE BAS (BASSUS), admis à Paris en 1553, recteur à Billom, mort à Rome en 1562." DELPLACE, l. c.—Vide infra, n. 659.

rent, quod aliquo privilegio Sedis Apostolicae denuo eximi Societas in Gallia poterat.

646. Cum autem ipso die Purificationis B. Virginis multos ex senatoribus inviseret, et ut nostrae causae faverent rogaret, aliqui eorum suum auxilium obtulerunt, aliquos autem mirum in modum contrarios offendit. Fuit inter alios qui dixit daemonem excogitasse Societatem istam et ejus auctorem esse; cui respondit P. Paschasius se credere Spiritum Sanctum ejus auctorem esse, non daemonem, qui sollicitus esse non solet de tam bonis operibus faciendis, in quae Societas haec per totum orbem usque ad Indos incumbit. Fuit alter qui nos superstitiosos, superbos et elatos esse, magno cum furore diceret, adeo ut bonus P. Paschasius aliud quod responderet non haberet, cum audire nollet senator ille, sed, responsionis loco, patientia se armare. Sed tandem, furore illo transacto, amici ab invicem recesserunt; rogavitque eum valedicens Pater ut, quae Dominus illi inspiraret in favorem nostrae Societatis, diceret. Procurator Generalis Regis, vir alioqui catholicus et pius, ingenue fatebatur se adduci non posse ut nostri privilegii confirmationi patrocinaretur, et quibusdam rationibus, quae ad Reipublicae utilitatem pertinere videbantur, expeditionem negotii nostri remorabatur, nec precibus Episcopi Claramontani hac in parte cessit.

647. Primarium praesidem adiit P. Paschasius et ut expediret nostrum negotium rogavit; nam si Senatus aliquid contra Societatem statueret, recursus ad Regem patebat. At praesidens clamare coepit plus satis religionum esse; et, si vellemus esse religiosi, ut Sancti Francisci vel carthusiensium aut aliam religionem ingrederemur. Cum autem P. Paschasius diceret diversam esse nostri instituti rationem, cum magno furore respondit: numquid vos miracula facitis, aut meliores aliis esse putatis [1]? Adjunxerat P. Paschasio suum sacellanum bonus Episcopus Claramontanus, qui dicebat suum Episcopum, praeter domum, reditus annuos dare velle. Multi autem id objiciebant, quod nomen Societatis Jesu usurparemus: Ergone, ajebant, qui a vestro instituto alieni sumus, e Societate diaboli sumus? Non omit-

---

[1] Quae a n. 645 hucusque narravit Polancus, ad verbum fere desumpsit ex litteris a P. Paschasio Broët ad Ignatium datis 7 Februarii 1553. Eas litteras, italice a Paschasio scriptas, italice edidit Boero, *Vita del servo di Dio, P. Paschasio Broet,* lib. II, c. I, et gallice P. Prat, *Memoires pour servir à l'histoire du Père Broet, etc.*, part. III, lib. 1.

tam tamen quod is, qui diabolum esse auctorem Societatis asserebat, idem, coram P. Paschasio, veritus non est dicere quod idem diabolus Concilii Tridentini dux fuisset. Sed hi omnes verbis tantum nostros exercebant. Fuit qui flagris nostros mulctandos sentiebat et ex Academia parisiensi profligandos.

648. Sed tandem Senatus sententiam protulit, novam quamdam viam ingressus, et omne onus suis humeris excutiens, controversiae hujus usum ad Episcopi Parisiensis et theologiae Facultatis judicium transferens [1]; et satis videbatur manifestum id agere senatum ut nihil boni Societas impetraret, cum animus Episcopi et doctorum theologorum facile ipsis notus esse posset. P. autem Paschasius sententiam Parlamenti, cum nostris Litteris Apostolicis ac privilegiis ac regia concessione, ad Episcopum et Facultatem theologiae detulit. Cum primum ergo Episcopum adiit, eamdem ille cantilenam, quam alii, cantabat, satis multas esse religiones sine nostra ac plus satis. Et cum diceret P. Paschasius quod Summus Pontifex eam approbasset, et Rex etiam Christianissimus in suo regno, respondit ille quod Summus Pontifex poterat in regionibus suae ditioni temporali subjectis, sed non in regno Galliae religionem nostram approbare; Rex autem quod non poterat religionem approbare, cum hoc negotium esset spirituale. Haec in primo congressu. Et addidit se numquam permissurum, quod in ipso erat, ut nostrae Societatis religio admitteretur. Cum secundo ad eum venisset, mitiorem invenit; curavit autem ut aliqui amici non exiguae auctoritatis, et inter ipsos Episcopus Claramontanus, Episcopum alloquerentur. Sed et P. Ignatius Romae curavit ut Cardinalis Maffaeus ad Cardinalem Bellaium scriberet, qui eo charitatis officio amanter functus est, et testimonium reddidit insigne, ut ex ejus litteris constat.

---

[1] Heureux d'un expédient qui le protégeait, croyait il, contre les critiques du public, le Parlement, sur les *Conclusions des Messieurs les gens du Roy*, presentées le 18 janvier 155 $\frac{2}{3}$ par M.e Pierre Séguier, avocat général, porta, le 8 février, un arrêt conçu en ces termes:

"Sur les Bulles de nostre Saint Père le Pape et lettres patentes du Roy pour ceux de la Compagnie de Jésus, après avoir ouy le procureur général du Roy, il est arresté, avant que passer outre, que les dites Bulles et lettres patentes seront communiquées tant à l'Evesque de Paris qu'à la Faculté de theologie de ceste ville, pour, parties ouyes, estre ordonné ce que de raison.„ Du Boulay, *Hist. Universit. Paris.*, tom. VI, pag. 570.—D'Argentré, *Collect. judicior.* tom. II, pag. 191 (PRAT, *Mémoires*, etc., part. III, lib. 1).

649. Ventum est tertio ad Facultatem theologiae, et doctoribus communicavit P. Paschasius quae Senatus ei commendabat, apud quos summam difficultatem hoc negotium habiturum esse facile videbatur. Arduum illud esse dicebant doctores et mature considerandum. Solus doctor Picardus, de quo alias mentio facta est, vir doctrina et pietate insignis [1], et Doctor Goveanus, natione Lusitanus, serio nostris favebant. Secundus hic octoginta sex annos natus erat et amplius, et inter ordinis primarii theologos merito habebatur [2]. Amicum etiam se praebuit Doctor Gioverius [3], patria Valentinus, vir rarae eruditionis, qui, cum ob Societatis defensionem in suspiciones incurrisset quod nostrae Societatis institutum sequeretur, et *Jesuitae* nomen ipsi joco objiceretur: non sum dignus, inquit, quod eorum collegio adjungar, nec ex eorum numero sum. Quartus erat Doctor Sebastianus Rodriguez, etiam Lusitanus et pietate insignis [4]. Alii praeterea sincero affectu Societatem amplectebantur; sed, deterriti adversariorum multitudine, defensionem Societatis suscipere detrectabant; nec deerant primarii theologi, qui institutum quidem magnifice extollerent, sed privilegia a Summo Pontifice nostris concessa parum approbarent.

650. Traditae sunt autem Litterae nostrae Apostolicae discutiendae Decano theologicae Facultatis et Doctori Pelletario a praefectis Facultatis theologicae, inter quos deputatos erat Abbas Claravallensis, postea Cardinalis [5]; et hi deputati humani-

---

[1] Vide supra, t. I, pag. 94, n. 30, et Prat, *Mémoires,* part. III, lib. 1 et 2.

[2] Vide supra, t. I, pag. 47, 86 et 418, et *Summario da Bibliotheca Lusitana,* t. I, pag. 342. Obiit is anno 1557.

[3] Sic; rectius tamen infra scribitur *Joverius.* Est hic "Francisco Jover, natural de Castellon de la Plana, villa situada en este Reyno (Valentiae) entre la antigua Sagunto, hoy Murviedro, y la villa de Peñiscola. Por eso le llaman Valenciano (Valentinus), y no porque hubiese nacido en Valencia del Delfinado, como lo creyó por error Luis Jacobo de San Carlos, Autor de la *Bibliotheca Pontificia*, segun lo advirtió D. Nicolas Antonio, *Biblioth. nov.*, t. I, pag. 332, col. 2. Fué peritísimo en la lengua latina, Capellan del Rey, como afirma Martin de Viciana, *Chron. de Valencia,* part. III, fol. 147, col. 4, Doctor theólogo Parisiense, Cathedrático de Lovaina y doctisimo canonista....„ Ximeno, *Escritores del Reyno de Valencia,* t. I, pag. 121.

[4] Estne hic Sebastianus Rodriguez, Patris Simonis frater, quocum a Rege Portugalliae, ut Parisiis in Universitate studiis incumberet, missus olim fuerat? Vide Tellez, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal,* part. I, lib. I, c. 5, n. 3.

[5] Hieronymus de la Souchière, Gallus, Campanus, Ordinis Cisterciensis, abbas Clarae Vallis, postea abbas generalis Cistercii, demum a Pio V, anno 1568, creatus S. R. E. Cardinalis tit. S. Matthaei in Merulana, "cujus opera, ait Ciacconius, atque consilio Henricus II, Franciscus II et Carolus IX, Gallorum Reges, usi, solers hominis ingenium sapientiamque singularem admirabantur.„ *Vitae et res gestae Pontificum,* 1207, F.

ter P. Paschasium exceperunt, et bene ac prudenter nostrum negotium tractabant, et in congregationibus deputatorum hujusmodi satis favebat Abbas Claravallensis rebus nostris, immo et plerique aliorum, quibusdam articulis exceptis. Advocatus etiam fuit Doctor Franciscus Joverius solemni more per praedellum in testem, et reddidit ille sincerum testimonium integritatis eorum, quos Lutetiae ac Lovanii noverat. Advocatus est etiam P. Paschasius, qui rerum multarum rationem reddere debuit.

651. Sed cum deputati ad plenam congregationem doctorum, qui plurimi erant, rem detulissent, advocatus est P. Paschasius ad hanc congregationem. Tam varia ibi judicia Societatis audivit, tamque venenata obtrectationum jacula conjecta fuerunt, ut credi vix potuisset, nisi gesti negotii ordinem quis conspexisset. Sed post multa audita a P. Paschasio, qui rerum rationem reddebat, nihil tandem tota illa congregatio constituit, frivola quaedam obtendens ac rem protrahens, quod prorsus nec approbandam Societatem nec in Gallia retinendam magna ex parte illi sentirent; immo duo ex theologis celebrioribus in concionibus publicis nostros perstrinxerunt, quasi nomen Societatis Jesu parum humiliter nobis adcripsissemus.

652. Impingebant plurimi in facultatem audiendarum confessionum et absolvendi a casibus reservatis; et animadvertit P. Paschasius, quod parum ab eo consideratum est, qui hoc negotium initio instituebat, quod non fuisset agendum de nostrorum privilegiorum ratione. Si enim de Societatis instituto admittendo actum fuisset, non ea difficultate fuisset laboratum, et minus utique si tantum de Collegio Parisiis admittendo egissent, immo et de aliis in Gallia; nam privilegia etiam ipsi Cardinali Verallo, Apostolico Nuncio, pro suo ipsi arbitrio limitaverant. Scripsit hoc ipsum et P. Ignatius, ut scilicet non de privilegiis approbandis, quia, cum essent a Sede Apostolica concessa, non poterant ab aliis limitari, sed tantum de collegiis admittendis, ageretur [1].

653. Protractum est hoc negotium apud Universitatem fere septem menses, et interim Decanus theologorum persuadere nitebatur ne aliud Societas peteret quam facultatem instituendi

---

[1] Ita in litteris a P. Polanco, *ex com.*, Patri Paschasio Broët datis 28 Julii.

collegii, et ut nostri possent admitti ad theologiae cursum et doctoratus lauream accipere. Sed intellexit a P. Paschasio nos potius de bona et sana doctrina praedicanda quam de hujusmodi gradibus suscipiendis esse sollicitos. Et cum dicerent nonnulli nunc quidem Societatem se bene gerere sed postea degeneraturam, sicut et aliae religiones, his cum sua humilitate P. Paschasius respondit posse etiam per Dei gratiam in bono perseverare; et, quamvis res in dubio esset an temporis successu degeneratura esset, bonum fore si, quamdiu bene se gerit, ejus ministerio Ecclesia utatur. Addidit etiam eos, quibus subjici nostros volebant, posse et ipsos deficere non minus facile quam nos. Declarabant suum animum nihilominus, quod nostra privilegia approbanda non erant, cum Ecclesia, id est, Concilium ea non approbasset; et Decanus expresse dixit non posse Pontificem dare privilegium contra ordinem hierarchicum et in praejudicium episcoporum et curatorum. Et cum rationes redderet P. Paschasius, dicebant, quae in sacris conciliis statuta erant, esse observanda.

654. Demum, postquam septem menses fere patientiam cum bonis his doctoribus exercuit, P. Paschasius privilegia omnia nostra ac reliqua, quae Senatui videnda tradiderat, sub initium Novembris a Decano theologiae recuperavit, hoc dicendo, quandoquidem illi rem tam difficilem inveniebant ut eam non possent constituere, nos exspectaturos donec aliud Divinae Majestati placeret. Ut id faceret movit etiam pestis, quae saevire coeperat vehementer Parisiis, propter quam nostros extra Lutetiam mittendos censuit, et ipse in Arverniam, ut mox dicemus, iturus erat.

655. Ante tamen quam a Decano recederet, postulavit, nomine Cardinalium Inquisitorum, ut annotationes, quas fecerant in Biblia Roberti Stephani describi permitterent, quia excusae non erant; ille autem sine congregatione theologorum id faciendum non censuit; sed theologica Facultas excusationem quamdam obtendens, quod scilicet oporteret litteras a Senatu obtineri, quae id praeciperent Facultati theologiae (id autem facturus Senatus numquam credebatur) curiali quodam modo, quod petebatur, negavit [1].

---

[1] In iis Polanci verbis haud facile discerni potest quis harum in Roberti Stephani Biblia annotationum, Facultatis Theologiae Parisiensis jussu factarum, auctor fuerit:

656. Cum P. Ludovicus Gonzalez nostros parisienses inviseret, antequam in Italiam veniret, suadebat P. Paschasio, ut scholas italico more Parisiis inchoaret; et ita P. Paschasius ea de re Romam scripsit et cum Episcopo etiam Claramontano contulit. Probavit rem magnopere Episcopus; nec solum domum se daturum, etiam ante admissionem Societatis a Senatu Parisiensi, aut Episcopo et Facultate theologica, impetrandam, sed reditus etiam quadringentorum francorum ad nostros alendos pollicebatur. Sed si schola aperiri debebat more italico, aliqui nominatim a P. Paschasio ex Italia remittendi petebantur, inter quos P. Everardum et Pelletarium nominabat. Sed P. Ignatio visum est prius negotium illud admissionis confiendum esse quam scholae aperirentur; et etiam si hoc impetraretur, eos minime remittendos, qui petebantur, censebat, sed ut Parisiis, eorum opera, quos habebat, P. Paschasius uteretur [1].

657. Non deserebat confessionum occupationes propter jam dicta negotia P. Paschasius, et multos colloquiis familiaribus in spiritu adjuvare pergebat. Effecit tamen pestis saevitia ut messis poenitentium, praecipue apud S.tum Germanum, relin-

---

certo autem constat earum auctorem non fuisse Patrem Broët. Litteris enim ad eum 6 Aug., *ex com.*, datis ait Polancus: "Qui sono prohibite quelle Biblie molto belle, che stampò Roberto Stephano, et havendo portate alcune li nostri fratelli venuti di Parigi, le habbiamo portate alli Cardinali Inquisitori; et dicendoli che in Parigi non erano prohibite, benche s' erano fatte certe emendationi per la Facoltà di Theologia; ci hanno raccomandato l' Inquisitori che procurassimo havere dette emendationi o scholia. V. R. di gratia procuri col primo mandarcile, perche sarebbe forse questa fatica di quelli, che hanno notato li errori, bastante per non lasciar quel libro fra li prohibiti; conciosiache habbia molte cose buone quella Biblia e sia molto atta a portare.„ Et 13 Sept.: "V. R. se può trovare quelle annotationi sopra la Biblia di Roberto Stefano, dove si notano li suoi errori, di gratia ci le mandi.„—Antonius Perragues, Tergestinus Episcopus, postea Calaritanus Archiepiscopus, de quo plura supra, n. 564, pag. 251, in litteris ad Sancti Officii Inquisitionis Matriti Praesidem 9 Jan. 1560 datis ait: "Agora quando vine de Flandes traxe entre otros una Biblia de Roberto Stephano; en el Viejo Testamento no hallo cosa mala, en el Nuevo bien hay que reprender. Este y otros que me han venido á las manos prohibidos de V. S. Revma., como aquí (in urbe Cagliari) no hay Inquisidor, no los he dado; quando V. S. Revma. lo proveyerá, los daré ó haré dellos lo que mandare....„ TODA Y GÜELL, *Bibliografía Española de Cerdeña*, p. 27.

1 "Circa le scuole V. R. tocca bene, come mi pare, di finir prima questa controversia et poi trattar del resto; et forse in questo mezzo si degnarà Iddio N. S. dar più serenità universale di pace et si potrà mandare qualche agiuto di lettori. Se, senza aspettar altro di qua, trovassi V. R. verso di cominciar (benche per il basso come usamo qua cominciare), io penso saria meglio, et poi crescere di mano in mano et non calare. Pur il tutto si rimette alla discretione di V. R. et parer del Rmo. Monsignor di Claramonte.„ Polancus, *ex com.*, Patri Paschasio Broët, 28 Julii.

queretur, quia nec poenitentibus ipsis nec confessario tutus ad id patebat accessus.

658. Familia nostrorum parum erat numerosa, et, propter crebras multorum obtrectationes, mirum non erat si pauci ad Societatem nostram animum applicarent; duo tamen Societatem ingressi sunt; alter juvenis erat novendecim annos natus, honestis in Burgundia parentibus ortus, quem, decedentes ex hac vita, haeredem reliquerant, magnae modestiae et pietatis juvenis, et in litteris latinis, graecis et hebraicis mediocriter versatus. Hic, post exercitia suscepta, spreta honorum civilium spe et Abbatiae promissione certa, a quodam sibi juncto sanguine oblata, Societati se addixit et, jejuniis ac mortificationi deditus, et in obedientia non vulgari proficiens, ad perfectionem non poenitendos progressus faciebat [1].

659. Alter fuit P. Hieronymus Bassius, natione belga, qui detractionum, quas contra Societatem audiebat, multitudine commotus, daemone instigante, a proposito, quod in exercitiis conceperat, Societatem ingrediendi, revocatus fuerat, ut ipse ingenue P. Paschasio confessus est; sed ad orationem se colligens, et divinam vocationem sentiens, in eadem confirmatus, Societatem ingressus est. Dum haesitabat, in xenodochio pauperibus Christi inserviebat, et ea charitatis functio ad beneficium Dei excipiendum hominem disposuit. Ubi autem in collegium admissus est, omnes in admirationem ejus obedientia et vera religio ac spiritus Domini convertebat [2]. Cum autem [esset dissolvenda], familia propter pestem, quae super nonaginta hominum millia dicitur consumpsisse, paucis domi relictis, quibus etiam praeceptum erat ut parum admodum cum externis versarentur, alii extra urbem missi sunt.

660. Contulerat se ad ecclesiam suam Claramontensem

---

[1] Cave ne hunc Burgundum Robertum Clayssonium putes delusus verbis Patris Prat, qui, dum de rebus hoc anno gestis agit, haec scribit: "Les Pères Everard Mercurien, Eleuthère du Pont et Olivier Manare, que S. Ignace avait appelés à Rome, avaient été dignement remplacés à l'Hôtel de Clermont, par d'autres étudiants venus aussi de Belgique à l'Université de Paris. Parmi eux, se trouvait Robert Claysson, qui fut suivi de près par Jérôme le Bas." *Memoires*, part. III, lib. I.—At Robertus Clayssonius non burgundus, sed belga erat, et, licet, juxta Delplace, l. c. Societatem non ingressus sit nisi anno 1549, jam inde ab anno 1547 Societati se adjungere decreverat, ut asserit Polancus, supra, t. I, pag. 246, n. 207.– Quis autem burgundus hic fuerit affirmare certo non valemus.

[2] Vide supra, n. 644, pag. 287.

Episcopus, et aliquos de Societati ad se mitti postulabat, ut in confessionibus ac praedicationibus et aliis functionibus charitatis hospitale claramontanum juvarent. Scripsit et ipse litteras, ipso in autumno, ad P. Ignatium, quibus significabat in votis sibi diu fuisse ut in oppido suae dioecesis (quod Billomum incolae vocant) Universitatem pene collapsam instaurare possent; et cum eo usque conatus ipsius infeliciter cessissent, sperare se scribebat quod, si aliquos eruditos ac pios viros P. Ignatius ad se mitteret, tres aut quatuor numero, divina bonitas illam esset Universitatem, jam quodammodo intermortuam, suscitatura: jampridem se aedes emptas illo in oppido curavisse, quas Societati dare vellet; et interim missis ad se fratribus, ne quid illis rerum necessariarum deesset, se effecturum. Affirmabat interim cum protrahi diu videret Societatis admissionem, se omnino decrevisse, ea non exspectata, domum suam, ubi Lutetiam repeteret, in usum Collegii Parisiensis donare [1].

661. Tantumdem scripsit P. Paschasio, qui, initio Septembris, cum magistro Roberto Clayssonio egressus erat in pagum quemdam, Rocefontanam [2] nomine, et miserat [3] sub Augusti finem, rogatu ejusdem Episcopi Claramontani, P. Hieronymum cum fratre Jacobo Morelio [4], partim ut pestis periculum vitarent, partim ut, juxta postulationem Episcopi, in muneribus pietatis nostrae vocationi consentaneis se exercerent. Tam ille quam magister Robertus domi, in latinis et gallicis concionibus, pro more Societatis, se exercentes, hujus talenti specimen dederant. Dum ergo in illo pago P. ipse Paschasius confessiones audit, coepit et Magister Robertus in publicum prodire, et diebus dominicis ac festis concionari. Erat is pagus amici cujusdam, qui Angelus Cognetus dicebatur et palatinus advocatus erat. Eleemosynae tam spirituales quam corporales pau-

---

[1] Episcopi Claramontani litteras 3 Kal. Octobris hujus anni datas habes in *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. VII, Comm. praev., § XLIII, n. 448 et 449.

[2] *Rochefontaine?* Infra, n. 664 vocatur pagus *Crucifontanus, Croixfontaine.*

[3] In Arverniam; infra, n. sequenti.

[4] De hoc jam mentio facta est supra, t. II, pag. 88 et 94, et in *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 624 et 653, eumque esse suspicamur illum, quem Prat *Aurelium* nominat, dum ait: "Il (Jérôme le Bas) n'y était que depuis quinze mois, et déjà il était pour tous un modèle de dévouement, de mortification et de charité; le Père Broet l'accorda, dès lors, aux demandes de l'évêque de Clermont, *avec un Frère, nommé Aurelle*, probablement natif de ce diocèse." *Mémoires pour servir à l'histoire du P. Broet et des origines de la Compagnie de Jésus en France*, part. III, lib. I.

peribus curabantur; et trimestri fere spatio, quo ibi versatus est Magister Robertus, cum auditorum frequentia in illo et in pagis circumvicinis, cum magno fervore, ecclesiastes munere fungebatur; et aliquando uno et eodem die in diversis locis. Sed cum recusaret pecuniam et etiam convivia oblata, et cerneretur crebro ad confessionem et communionem accedere, non minus rusticos illos exemplo quam verbo aedificare videbatur. Interim cum apud dominum illius pagi amanter nostri hospitio essent excepti, filio cuidam hospitis erudiendo operam dedit, et quasdam ei lectiones in rhetoricis, dialecticis et graecis litteris praelegebat.

662. Sed P. Hieronymus Bassius in Arverniam missus, et fere quatuor menses ibidem versatus, cum majori etiam fructu in ampliori messe laboravit, amanter ab Episcopo admissus. Ipso die Nativitatis B. Virginis, eodem praesente, in pago Beoregardi [1], ubi arcem habebat Episcopus, concionatus est, et dominica sequenti in altero pago vicino, et utrobique cum spirituali fructu et consolatione auditorum, suae praedicationis et ipse deposuit tirocinia. Missus est deinde cum socio ab Episcopo ad visitandos infirmos et in carcere detentos, et ad pauperes, per pagos circumvicinos, quibus per decem dies tum exhortationem concionemque salutarem, tum eleemosynas ab Episcopo subministratas impendendo, animis corporibusque eorum perutilem operam impenderunt.

663. Post haec, imminente sacrorum ordinum collatione, jussu Episcopi, ad Claramontanam urbem proficiscentis, eumdem subsequuti sunt. Xenodochium uterque adiit (quod in urbe illa amplum est) infirmos consolaturus, quibus corpore ac spiritu suppetias tulere. Missae enim sacrificio celebrato coram aegrotantibus, ad eos et alios auditores adstantes concionem habuit, quod singulis diebus stata hora ante prandium praestabat, et christianam etiam doctrinam, concurrente populo simul cum aegrotantibus, explicabat; qua absoluta, quia eo tempore Adventus jam celebrabatur, evangelia et epistolas occurrentes declarabat. Nec post concionem publicam cessabat singulos infirmos privatim erudire, donec ad prandium ab hoc pio opere revocabatur; quod tamen simul cum infirmis jam convalescen-

---

[1] Beauregard.

tibus illi erat commune, quos piis colloquiis ad meliorem frugem movebat. A prandio, quantum infirmorum necessitas patiebatur, sacrae lectioni concionique vacabat. Duos menses cum dimidio in hoc exercitio quotidiano perseveravit, crescente in dies numero hominum utriusque sexus in xenodochium confluentium, non modo popularium, sed et nobilium virorum ac matronarum, inter quos erant domini officiales Cancellarii, canonici ecclesiae cathedralis et aliarum, qui ad sacrum et concionem ipsius audiendam accedebant; et ipsum recusantem modeste, ad honorarium convivium deducere nitebantur, qui miro affectu P. Hieronymum diligere coeperunt.

664. Habuit in festo D. Lucae orationem synodalem, Episcopi hortatu, in Claramontensi ecclesia cathedrali. Aderat Episcopus et Abbates ornatu suo insigniti, cum canonicis et universo clero (erat autem parochorum numerus circiter octingentorum) et cum magna audientium admiratione eo officio functus est, et odorem Societatis latissime sparsit ad Dei gloriam. Tam diligentem autem gerebat aegrotantium curam et tam non parcebat suo labori, ut, ad quemdam militem curandum, sex ipsemet medicos et chirurgos quaesitos adduxerit, et pharmaca, partim pretio, partim precibus, a pharmacopolis comparaverit; qui tamen miles, semel atque iterum eidem P. Hieronymo peccata sua confessus, eodem praesente, spiritum Domino reddidit. Alios quoque utriusque sexus aegrotantes ad feliciter migrandum ex hac vita, post eorum auditas confessiones, [adjuvit]; et creditur Reverendissimum Episcopum Claramontanum, fama et bono odore P. Hieronymi excitatum, domum Claramontensem, non expectata definitione Facultatis theologicae, in usum Collegii Parisiensis donare pollicitum esse, et evocasse P. Paschasium, qui extra Lutetiam in pago Crucifontano propter pestem versabatur, misso comitatu equestri et propria mula, ut communi decreto mutuoque consilio collegium Societati in Academia Billiomensi erigeretur. Crescebat enim Episcopi animus dum spiritualem ex uno vel altero operario provenientem [fructum] cerneret.

665. Profectus autem est ad eum P. Paschasius, ineunte Novembri mense, et occupatissimus ibi in vinea Domini fuit. Ipse autem P. Hieronymus Bassius interim, rogatus a Domino Cancellario Claramontano, in solemnitate Omnium Sanctorum

celebravit sacrum et concionatus est in ipsius paroecia cum summo populi gaudio; et cum pecuniam oblatam admittere recusasset, omnibus admirationi et aedificationi fuit. Proximo die dominico infra octavam et alio consequente, in eadem et alia quadam parochia, frequentissimo populi concursu, concionari debuit; et pro affectus sui ardore obnixe [ab eo] efflagitabant auditores ut diebus singulis, Adventus tempore, ibidem concionaretur; et cum P. Paschasius, qui eo jam pervenerat, reditus ipsius P. Hieronymi in Parisiensem Academiam mentionem faceret, summo studio ac precibus aliqui nobiles eum deprecabantur ne eum Claramonte abduceret. Cancellarius etiam praebendam pollicebatur, si sedem figere in Claramontensi civitate vellet, ut lectionem Scripturae sacrae praelegeret et concionem ad populum haberet. Et cum talem de eo existimationem concepissent, ipse nihilominus philosophiae curriculum non absolverat, nec scholasticae theologiae limen attigerat; sed unctio Sancti Spiritus id efficiebat, ut theologi et ecclesiastae muneri egregie satisfacere posse crederetur. Canonici etiam vicinae urbis Montis Feranii [1], ejus fama ducti, diligenter orabant ut feriis Conceptionis Virginis Mariae in ipsorum templo concionaretur, quamvis excusatione modesta apud eos usus est, ne claramontanos cives concione privaret; et ita in solita paroecia, sacro peracto, concionem eo in festo habuit.

666. Testabantur multi utriusque sexus animi sui affectum multa munera offerendo; sed cum necessaria ad vitam sustentandam in xenodochio ei subministrarentur, pecuniam, ornamenta et alia omnia dona, constanter recusavit; et cum aliqui urgerent ut, si sibi impendere nollet, pauperibus erogaret illa, quae offerebant, respondit ut ipsi suis manibus pauperibus distribuerent, si quid ipsis largiri decrevissent; quae res mire Episcopo Claramontensi placuit, ita ut palam, coram aliis tunc praesentibus, hoc exemplum, ab omni avaritiae specie alienum, commendaverit.

667. Cum autem secunda dominica Adventus, sacro et concione peractis in xenodochio, valediceret auditoribus et infirmis, obedientiae auctoritatem reditus sui causam praetexens, plurimorum lacrymae et suspiria eorum dilectionem, qua

---

[1] Montferrand, Clermont-Ferrand.

ipsum prosequebantur, prodebant; quos ille sui reditus [spe], accedente sui superioris voluntate, afflictos solabatur; et in recessu, quae matronae piae offerebant in viaticum, prout et alia munera, cum admiratione omnium recusavit. Cancellarius autem, postquam eum convivio honoravit, cum aliis multis extra civitatem eum deduxit; et ne equum quidem, a pluribus oblatum, admittens, Belligardum, vix remissis amicis, qui eum comitabantur non sine multis lacrymis, ad Episcopum et ad P. Paschasium venit, et ibi, acceptis necessariis, Lutetiam cum socio, pridie Natalis Domini, pervenit, quo prius redierat Magister Robertus ut sua studia theologica prosequeretur; haerente adhuc apud Episcopum Claramontanum et in ejus dioecesi P. Paschasio, et aliis negotiis partim ad ecclesiae illius, partim ad Societatis, partim ad ipsiusmet Episcopi spirituale auxilium [districto].

668. Praeses gymnasii Petragoricensis [1], doctor theologus, legationem ad nostros Lutetiae agentes hoc anno destinavit, cujus summa haec erat: "Utinam Reverendus P. Ignatius aliquos ex suis fratribus in has regiones mittere in animum induceret; non dubito quin potius promoverent Dei gloriam quam in quibusvis regionibus etiam Indicis. Usque adeo cultus Dei et doctrina tenebris quibusdam in hac regione, in qua commoror, obsolevit; plebs nostra in his, quae ad fidem pertinent, garamantis [2] imperitior est. Prope Burdigalam autem saltuosae quaedam regiones sunt, fere triginta leucarum, [quarum incolae], ob ignorationem verbi Dei, pecudes potius quam homines videri feruntur. Sunt illic jam quinquagenarii, qui numquam Missam audierunt nec de Deo aliquid acceperunt." Addebat autem, si venirent aliqui ex nostris, omnia necessaria se ad eorum sustentationem suppeditaturum; sed messis quidem multa, operarii pauci. Accessit etiam ad aedes nostras praefectus libellorum [3] Reginae, postulans aliquot Societatis nostrae religiosos ad cujusdam Abbatiae suae, undecim millibus passuum Lutetia distantis, [auxilium], qui insignem affectum erga instituti nostri

---

1 Sic; rectius *Petrocoriensis* et *Petrocoricensis*, de Perigueux.

2 Garamantes, populi Lybiae interioris... circa ortum Cinyphi fluvii incolentes, Syrtimque parvam attingentes. FERRARIUS, *Lexic. Geogr.*

3 Chancelier? Cancellarius?

formam prae se ferebat. Sed cum nostros pestis parisiensis dissipasset, hoc fieri, quod postulabat, non potuit.

669. Oppidum illud Billomum, in quo collegium instituere Episcopus Claramontanus cupiebat, sub ejus et temporali et spirituali ditione erat. Cum plura ibi loca P. Paschasius considerasset, facile intellexit non unum tantum commodum fore ad nostri instituti ministeria. Solebant enim sexcenti scholastici et eo amplius ad illam Academiam convenire, quae si meliorem in formam esset redacta, frequentiores etiam venturi credebantur; et quamvis dotationem ad bonum scholasticorum numerum alendum facere cogitasset, illos tamen tres vel quatuor praemitti a P. Ignatio cupiebat, inter quos unus theologicam lectionem (nulla enim erat Billomi) interpretaretur. Res etiam satis dispositae videbantur P. Paschasio ad spiritualem fructum uberem capiendum. Hortatus est Episcopum P. Paschasius ut prius collegium aedificaret, quam nostri accerserentur; sed melius fore censebat Episcopus si prius nostri venirent, et collegium ipsum juxta Societatis nostrae arbitrium et formulam, ipsis praesentibus, aedificaretur; nec inde incommodum ullum ad Collegium Parisiense rediturum affirmabat, cui, praeter domum Claramontanam, reditus etiam se adjuncturum significabat; et augendus videbatur ipsius animus, qui alioqui sponte sua crescebat, hos operarios Billomum mittendo, sicut P. Hieronymus Bassius his pietatis functionibus, de quibus superius egimus, nom parum auxerat [1].

Et haec de Collegio Parisiensi.

---

[1] Quae de Billomensi Collegio cum Claramontano Episcopo egit P. Paschasius Broët, omnia ab Ignatio acceperat litteris toto hoc anno a Polanco, *ex com.*, scriptis.

DE PROVINCIA CASTELLAE

AC PRIMO

DE COLLEGIO SALMANTICENSI

670. Initio hujus anni haec provincia, quae sub P. Antonio Araoz, Provinciali, erat, in sex collegiis, vel potius collegiorum initiis, residebat: Salmanticae, scilicet, Methymnae Campi, Vallisoleti, Burgis, Ognati et Compluti.

671. Rector Salmanticensis, P. Michaël Torres, magnam partem hujus anni, propter varia negotia Societatis, praesertim in Portugallia, extra suum Collegium exegit, cui praefuit ejus loco P. Hernandez [1]. Versabantur initio hujus anni ibidem quindecim ex nostris, inter quos quinque sacerdotes erant et undecim theologi. Alii non pauci nec parum idonei ad Societatem adspirabant; sed loci angustia ne admitterentur efficiebat. Admissi sunt tamen aliqui in aliquo progressu, ut quidam juris canonici studiosus et sacerdos quidam atque alius theologus; et sub finem anni tres alii sacerdotes sunt admissi. Unus eorum, qui theologiae cursum absolverat, et in latinis litteris adeo egregie versatus erat, Methymnam Campi, ut eas doceret, missus est; reliqui duo sacerdotes Conimbricam missi sunt, cum ad eos Salmanticae alendos facultas non suppeteret. Paucis diebus ante idus Septembris, tres theologi, magnae exspectationis viri, et quartus cum illis adolescens, bene doctus et specta-

---

[1] P. Bartholomaeus Hernandez. — P. VALDIVIA, *Historia* ms. *de la Provincia de Castilla,* dum de iis, quae Salmanticae hoc tempore gesta sunt, agit, non hunc P. Hernandez sed fratrem Gundisalvum Gonzalez Collegii Salmantini Vice-Rectorem, loco Patris Torres absentis, facit. Sed narrationi Patris Polanco suffragatur vetus Salmantini Collegii codex ms., qui inscribitur *Antiguo libro primero de los que en este Colegio de la Compañia de Jesús de Salamanca han sido recibidos desde el año 1554 hasta el de 1589 y 28 dias de Abril.*

tae indolis, admissi sunt. Hi autem, praeter studia pietatis, diligenter etiam in studiis theologicis exercebantur, et octavo quoque die positiones facultatis unus eorum defendebat, et diligentia praelegendi, audiendi et disputandi, ad profectum eorum non parum faciebat.

672. Quidam ex eis peregrinatum missi, non solum ad propriam, sed aliorum etiam aedificationem, profecerunt; et pluribus in locis confraternitatem nominis Dei, quae ad corrigendum juramentorum abusum perutilis fuit, instituerunt; et ex mendicato viventes, et in hospitalibus divertentes, et cum se offerebat concionantes, de multis bene mereri pergebant.

673. Vocati ad infirmorum domos saepe occurrebant, noctem aliquando pervigilem ducentes, quando necessitas et charitas id exigere videbatur. Solebat autem Dominus, ut experimento comperiebatur, partim morientium periculo, partim admonentium nostrorum exhortatione, aliquos circumstantium ad poenitentiam vitae praeteritae, correctionem futurae, et ad rectam denique viam interni profectus adducere; ex quibus aliqui ad confessiones, alii ad exercitia spiritualia, alii etiam ad statum religionis capessendum excitabantur.

674. Domi autem magna erat eorum frequentia, qui ad sacramenta confessionis et communionis accedebant. Hi autem fere scholastici erant; nam cum mulieribus id temporis, cum pauci essent sacerdotes et exiguum sacellum, non magnopere occupabantur. Quamvis et hoc ipsum sacellum initio hujus anni auctum est; domum enim quamdam ei, quam inhabitabant, vicinam emerant, quae situm habebat amplum, et inter caetera atrium quoddam erat satis magnum, quod ad publicam viam exitum habebat, et hoc cum sacello commutarunt (quod majus erat alio in inferiori parte domus reposito), ad quod coëgit frequentia hominum, quos locus ille angustus non capiebat.

675. Praeterea fratres christianam doctrinam quotidie pueros docebant, et diebus dominicis majores natu etiam complures accedebant. Hoc ipsum in tribus pagis Salmanticae vicinis fiebat, ad quam [1] cum devotione et fructu magno homines confluebant. Colloquia spiritualia, domi et extra domum habita,

---

[1] Christianae doctrinae expositionem.

multis ad profectum perutilia fuerunt; sed majorem ex eo auctoritatem et gratiam habebant, quod conciliati jam essent hominum animi, dum nostros tam sollicite puerorum institutioni vacantes, et interim quaedam ad captum provectiorum accommodata dicentes, observarent. In his enim, quae pertinent ad orationem, sanctissimae Eucharistiae adorationem, crucis et imaginum venerationem, et sacris locis exhibendam reverentiam, non pauci inveniebantur, qui vel ignorarent, vel quod pejus est, circa ipsa errarent, quamvis aetate maturi essent. Dominicis diebus, a prandio, domi etiam christiana doctrina explicabatur; et tam multi confluebant, ut eos omnino sacellum non caperet. Quidam autem presbyteri et alii viri nobiles, per colloquia sancta excitati, religionem ingressi sunt; alii autem ex hujusmodi presbyteris, quamvis suum statum retinuerint, non solum ipsi profecerunt, sed alios etiam ad viam Domini alliciebant, adeo ut eorum spiritualis fervor et ecclesiasticis et laicis admirationi merito esset.

676. Quod attinet ad spiritualia exercitia, varii etiam fructus ex eis proponebantur; aliquando enim sex, septem et octo simul domi in meditationibus his excolebantur, et fere in omnibus profectus non poenitendus cernebatur. Vir quidam in regnis Hispaniae insignis, qui ab uxore sua jam diu sejunctus fuerat, post primae hebdomadae peracta exercitia et generalem confessionem, relictis principum atriis, in gratiam et domum uxoris rediit. Episcopus ipse Salmanticensis, novum erga nostros prae se ferens amorem, librum exercitationum perlegendum postulavit. Dissensiones, divortia, et lites inter aliquos compositae sunt; et inter duas familias, quae gravem simultatem exercebant, cum primores earum domi nostrae peccata confessi essent, inter seipsos etiam conciliati sunt.

677. In generalibus confessionibus non exiguus fructus cernebatur. Vir quidam sanguine et divitiis et favore in regia curia florebat, et in vestimentorum ornamentis variis ad invidiam usque nimius erat, et in omnium ore versabatur; ab ipsa domo regia ad collegiolum nostrum ut ad asylum profugit, et ad exercitia spiritualia inductus, sic in novum hominem mutatus est, ut cunctos in sui admirationem, tam saeculares quam religiosos, excitaret. Relicta enim curia, numerosam famulorum turbam reliquit, et in remotam quamdam atque adeo

ignotam regionunculam *(sic)*, ut melius Deo vacare posset, se contulit.

678. Redierat P. Joannes Alvarez Granata Salmanticam, et ibidem multorum animos in Societatem valde affectos reliquit, et qui magnopere collegium Societatis ibidem instituere cuperent [1].

679. Sub finem mensis Julii, cum Salmanticam P. Franciscus Borgia venisset ea occasione, de qua postea dicemus, simul cum fratre Antonio de Cordova, Comitis Feriae fratre, multum consolationis nostris attulit, et ad aemulationem virtutis ac spiritus, et veram Christi imitationem, omnes plurimum excitavit. Bis concionatus est; primo quidem in nostro sacello, in quo, ad hoc usque tempus, nullus concionatus fuerat; et tam ex illis, quam ex colloquiis, quae cum multis utriusque sexus hominibus primariis et doctis ejus civitatis habuit, fructus ad Dei gloriam eximius est consequutus.

DE COLLEGIO METHYMNAE CAMPI

680. Methymnae Campi, ubi P. Seviglianus Rector erat, viginti duo aut viginti tres ex Societate nostra versabantur. Septem ex illis sacerdotes erant, et ex parte litteris humanioribus, quae ibidem praelegebantur, ex parte philosophiae, operam dabant; nam artium liberalium cursus ibidem institutus erat. Cum tres ibi fratres, filii Domini Antonii de Acosta, Societatem essent ingressi, quartus se illis adjunxit; nec parentibus, qui cives erant Methymnae, id displicebat, immo filiorum piam animi propensionem parentum pietas confirmabat [2]. Et omnes illi, bono ingenio praediti, mirum in modum proficiebant in virtute, et fere omnes in litteris. Et mirum erat quod, cum exerci-

---

[1] Vide supra, t. II, passim, sed praecipue pag. 328, nn. 334 et seq.; item litteras a P. Polanco, *ex com.*, datas Patri Antonio de Araoz, 20 Aug.

[2] Hi fuerunt: primus Hieronymus, secundus Jacobus, tertius Christophorus, quartus, cujus expressa mentio fit infra, n. 699, Josephus; quibus etiam se adjunxit quintus Bernardinus. Moxzox, *Menologio*, ms.

tia spiritualia non parum temporis sibi vindicarent, tamen et in philosophia et in humanioribus litteris occupati magnos progressus in eruditione faciebant.

681. Impetrarunt aliqui ex his a Rectore ut ad peregrinandum facultatem ipsis concederet; et non ipsis solum, sed et multis aliis eorum peregrinatio utilis fuit; exemplum enim modestiae ac virtutum reliquarum, et colloquia spiritualia, magnopere eorum benevolentiam, apud quos divertebant et quibuscum loquebantur, conciliabat, nec minorem auctoritatem; nam vix quisquam inveniebatur, qui, semel ab eis admonitus, a verbis parum decoris, nedum a factis inhonestis, non abstineret; et hoc ex toto itineris progressu constabat. Duo tamen vel tria sigillatim perstringam. Dum quodam festo die per pagum quemdam transirent, in coetu hominum rusticorum inciderunt, qui eo tempore, quo sacra solemnia agebantur, ludo chartarum operam dabant; ad quos propius accedentes, benigne hortabantur et rogabant ut, ab ejusmodi lusibus abstinentes, Dei templum adirent et divina officia audirent; statim autem rustici paruerunt et in ecclesiam confluxerunt. Sic die sequenti, cum populi cujusdam magna pars choreis et saltationibus indulgeret, coepit unus ex peregrinis de regno Dei verba facere. Saltantes vero, rei novitate attoniti, non solum contemptui concionantem non habuerunt, sed, relictis choreis et genibus flexis, summa cum attentione ac reverentia semen verbi Dei, quod proponebatur, suscipiebant. Aderat forte eorum parochus, jam senex et canitie venerandus, qui rem omnem contemplans, tantopere commotus fuit ut, adiens fratres illos peregrinantes, ad eorum genua provolveretur, fusisque lacrymis, se ut peccatorem humillime profitendo, supplex precabatur ut preces ad Deum fundere pro eo dignarentur, adjiciens quod, nisi quibusdam impedimentis detineretur, ipsos quocumque irent esset secuturus. Postridie, cum ad alium pagum pervenissent, mulierem quamdam ibi esse audierunt, quae totos septem annos vehemens odium contra alios fovebat, nec inventus erat qui mulierculae duritiem posset emollire. Accedunt eam fratres illi pannosi et mendici, ut in peregrinatione fieri solet, quorum mentibus et linguis id gratiae contulit divina bonitas, ut cordis illius adamantinam duritiem penitus frangerent; et cum lacrymis et ardenti amore eos complexa est, quos paulo ante capitali odio prosequebatur; et

cum magna adstantium admiratione et totius populi laetitia in gratiam omnes redierunt.

682. Admiranda vitae mutatio in civibus methymnensibus visa est, postquam nostri apud eos versari coeperunt; et centuplum videbatur ex semine verbi sui fructum colligere Dominus; ipsis etiam [1] videbatur quod ex tenebris ad lucem emersissent; et multi omnibus diebus dominicis confitebantur et communicabant apud nostros, qui nec Paschae quidem tempore id [antea] faciebant; et mercatores, qui, ut ipsi fatebantur, nihil aliud agebant (praeter suorum negotiorum emolumenta) quam ludis et vestium et epularum expensis bona sua dilapidare, jam modeste admodum induti, et resecatis superfluis, ad pauperes et infirmos visitandos per seipsos accedebant. Inveniebatur inter eos aliquis, qui, dum non vacaret interdiu propter occupationes alias, noctu cum laterna ad visitandos aegrotos se conferebat; et multi largas eleemosynas in hoc genus hominum, pauperum scilicet et aegrotantium, conferebant; et qui prius in multiplicibus vestibus ac pretiosis, serico suffultis et auro et argento ornatis, maximas pecuniae summas expendebant, haec omnia in indumenta pauperum et eorumdem lectulos et res alias necessarias coëmendas convertebant. Accidit cuidam ex his, qui tam ornati et compti incedere solebant, ut, cum aegrotantem quemdam inviseret, cui indusio aliquo opus erat, in angulum quemdam recedens, proprio se indusio nudaret et eodem pauperem indueret; et ad magnam populi aedificationem cedebat hoc genus hominum videre, qui, ludis, deliciis et periculosis negotiis relictis, se totos pietatis functionibus impendebant. Hi autem fructus erant sacramentorum et concionum, nam P. Baptista Sanchez, tam in ecclesiis quam in platea vel via publica, in quam negotiatores et nobiles convenire solebant, contra haec peccata strenue certabat. Privatae etiam illius et aliorum exhortationes multum ad hanc mutationem morum conferebant.

683. Erat autem in dies major numerus eorum, qui concionesnes hujusmodi frequentabant. Inter alios vir quidam nobilis, qui, cum in sacris ordinibus esset constitutus et canonica dignitate in ecclesia Salmanticensi decoratus, cum magna hominum of-

---

[1] Methymnensibus civibus.

fensione in habitu laico vitam pessimo cum exemplo degebat (nec occultum id erat, sed toti populo notissimum); hic ergo, pridie Incarnationis dominicae, divini amoris jaculo vulneratus, in animum induxit pompis hujus saeculi valedicere et ad Deum ex animo se convertere; et sic ad nostros se contulit, aut mansurus perpetuo apud ipsos, aut certe rectius vivendi formam in posterum suscepturus. Placebant ei mirum in modum, etiam ante conversionem suam, P. Baptistae [1] conciones; et cum a quopiam interrogaretur cur non potius audiret quemdam alium eximium praedicatorem, qui id temporis Methymnae verbum Dei praedicabat, respondit se affectu singulari P. Baptistae sermonibus affici, quod sciret eum prius operi manum adhibuisse quam os ad loquendum aperiret [2].

684. Dominicis etiam et festis diebus domi nostrae post meridiem spiritualia colloquia vel exhortationes fiebant externis, qui frequenter eo conveniebant. Illis quod interesse non possent foeminae moleste ferebant, et aliquae prope ostium, in ipsa via publica, aliqua saltem verba audire studebant. Sed, praeter hujusmodi conciones, aliae singulis dominicis et festis diebus habebantur, inter quas hae potissimum fructuosae inveniebantur, quae in platea publica fiebant, et ideo sollicitior erat Satanas ad eas impediendas, et Abbas Methymnae (diximus quod Episcopi loco Abbati Methymna in spiritualibus subest [3]) minabatur eas se sublaturum; sed Rector gubernatorem ejus oppidi allocutus est et facultatem, quam habebat Societas, ei significavit; qui respondit, quod licet a Summo Pontifice hanc facultatem Societas non obtinuisset, justum erat nihilominus ut tantae pietatis operi favor impenderetur. Addebat et gubernator quod ipsemet vellet socius esse P. Baptistae, cum ille in platea concionaretur, et prope ipsum sedere; et si Abbas aliquid tentasset, se curaturum ut patienter conciones hujusmodi fieri permitteret [4].

---

[1] P. Joannes Baptista Sanchez.

[2] His adnecte, quae infra, nn. 686 et 689 narrantur.

[3] Vide supra, t. II, ann. 1552, n. 481, pag. 626. Erat is Joannes de Rivera et Morejon, postremus Abbas; ejus namque tempore institutus Vallisoletanus Episcopatus eique adnexa Methymnensis collegiata et abbatialis ecclesia. *Historia de Sarabis ó Medina del Campo, por* JUAN LOPEZ OSORNO. Ms.

[4] Saepius de iis controversiis scripsit toto hoc anno Ignatius et, *ex* ejus *com.*, Polancus, tum Patri Araoz, Castellae Provinciali, tum etiam fratri Sevillano, Rectori Methymnensis Collegii, illi quidem ut Societatis jura et privilegia ipsi ab Apostolica

685. Erat quidam religiosus ordinis Sancti Dominici et monasterii ejusdem ordinis Prior, Abbatis amicus, qui, cum ipso die Circumcisionis in concione diceret ut caverent a novis doctrinis, significavit deinde libenter se cum Rectore collegii nostri locuturum; quod cum P. Sevillanus intellexisset, ad eum se contulit. Imprimis autem religiosus ille excusavit verba, quae in suggestu dixerat, contra lutheranos dicta esse et non contra nostros affirmans; verum quaedam ad se deferri dixit, quibus fidem quidem non adhibebat ipse, sed nostros, ut amicos, admonere de his, quae circumferebantur, volebat. Inter ea autem quae dixit, praecipua capita haec erant: quod juxta traditiones seniorum Societas viveret, nec ulla statuta haberet [1]; quod penetrarent domos viduarum; quod comederent et biberent et lineis uterentur, sine castigatione corporis religiosa, scilicet, flagellis, ciliciis, et jejuniis, et nihilominus macilenti et pallidi cernebantur; quod reditus admitterent, et quod aliquos, qui aliquot annos in Societate fuerant, dimitterent; et pauca quaedam hujus generis, quibus abunde satisfactum est ipsi a P. Sevillano.

686. Ventum est deinde ad conciones in platea habitas, et dixit Prior quod quandoquidem templa inveniebantur, et in Hispania usu receptum non erat in plateis concionari, non sibi id magnopere probari, quod nostri facere solebant; sed cum intellexisset eos, qui conciones audiebant in platea, ad ecclesias non ituros, et quae inde utilitas spiritualis ad multos rediret, et Prior ipse in sententiam Rectoris descendit, et probavit hujusmodi conciones in plateis, dummodo illis horis fierent, in quibus concio in ecclesia non habebatur. Obtulit etiam suam operam erga Abbatem, et quod re ipsa nostri intellecturi essent, quo erga illum officio fungeretur. Et partim hujus Prioris, qui apud illum auctoritatem habebat, colloquium, partim illius nobilis, de quo mentio superius facta est [2], vitae mutatio, animum Abbatis non solum placavit, sed et conciliavit Societati. Cum enim domi nostrae aliquot hebdomadas praedictus nobilis exegisset et vitam reformare constituisset, judicatum est expedi-

---

Sede concessa propugnaret; huic vero ut jurium et privilegiorum usum, quoad fieri posset, prudentum judicio et majoris boni obtinendi spe metiretur.

[1] Nondum perfectae, nedum promulgatae, initio hujus anni fuerant Societatis Constitutiones et Regulae.

[2] Supra, n. 683, pag. 307.

re ut, qui subdiaconus erat, ad diaconatum et sacerdotium promoveretur. Ipse ergo Abbas methymnensis, qui nostros aliquandiu exercuerat, voluit ei sacros ordines in nostro sacello conferre. Quosdam etiam alios ad ordines ibidem promovit; deinde omnibus nostris benedictionem impendit, et, quos oporteret ex nostris initiari sacris, se etiam eos promoturum obtulit, et per quemdam suum sacerdotem nostris renunciavit ut ab eo peterent si quid vellent.

687. Quidam ex his, qui bancharii munus exercebant, omnino ab eo in posterum abstinuerunt, quamvis et utile et honorificum inter mercatores, qui plurimi Methymnam conveniunt, illis esset. Alii etiam plurimi, qui ad sacramenta crebro sumenda prius adducti fuerant, in dies spiritu et virtute se ipsos majores fieri cernebantur.

688. In quadragesima audierunt nostri omnium fere mendicorum totius civitatis confessiones et eorum qui in carcere detinebantur; nec exiguus ex hoc labore fructus provenit, cum ex his nonnulli reperti sint, qui quindecim et viginti annis confessi non fuerant.

689. Ille, quem domi nostrae ab Abbate promotum ad sacros ordines diximus, postquam apud nostros sacrum celebravit et domum suam rediit, tanta honestate ac morum probitate vitam agebat, ut amici et omnes, quibus notus erat, in maximam admirationem adducerentur; et qui prius equorum strepitu et hominum comitantium turba incedere solitus erat, cum unico tantum famulo per loca publica incedebat.

690. Idem P. Baptista Sanchez ad oppidum quoddam undecim leucis distans, quod Methymnam de Rio sicco vocant, in quo etiam magnae nundinae fieri solent, rogatus a plurimis se contulit; et quamdiu ibidem commoratus est, quotidie concionabatur, et bis interdum eodem die; et tanta erat hominum frequentia et commotio, ut ejus auditores nullum templum caperet. Admirallus etiam, qui et dux est ejusdem oppidi, ipso die Ascensionis eum rogavit, ut in monasterio Sti. Francisci concionaretur, et magistratus scripserunt ad Rectorem Methymnae Campi ac rogarunt ut diutius eum apud se manere permitteret, et collegium se velle Societati instituere affirmabant [1].

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 620, n. 469, et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro* t. I, pag. 108.

691. Idem P. Baptista post aliquot dies Vallisoletum se contulit, ubi concionibus et colloquiis ipsius complures animas Dominus compunxit; et inter caeteros primariam quamdam matronam, quae nullum gemmis, auro vestibusque pretiosis modum imponeret, perinde atque si in ornatu summam felicitatem constitueret; quae, audito P. Baptista, magno suae vanitatis dolore stimulata, eidem confiteri voluit.

692. Abulam etiam, quae nobilis est civitas Castellae, adiit, ubi a toto capitulo rogatus, in ecclesia cathedrali concionem admirando spiritu et fervore habuit; et ipso die Sti. Aegidii, id est, kalendis Septembris, quod sanctus is patronus esset templi, quod Societati tribuebatur, ipsemet Episcopus illum audire jam in dicto templo Sti. Aegidii voluit; et mirum quantum benevolentiae et charitatis in ea urbe erga Societatem reliquerit, quamvis prius satis erat benevola; sed erga ipsum P. Baptistam tam saeculares quam religiosi sic sentiebant, ut religiosus quidam, et in primis doctus concionator, cum in populi mores gravibus verbis inveheretur, ut durae cervicis eos esse convinceret, dixit: Si vir ille sanctus (de P. Baptista intelligendo) duros Abulae silices emollire non potuit, ut quid nos frustra huc venimus?

693. Sed Methymnam redeundo, quo et ipse P. Baptista rediit, hoc observarunt prudentes quidam viri, quod quorumdam obtrectationes et latratus contra novum collegium nihil aliud efficiebant, quam quod solent guttulae aquae ignitis carbonibus admixtae, quae, non solum ignem non extinguunt, sed ipsi etiam majorem vim addunt. Quo enim plus aliqui concionatores obviam ire et nostros oppugnare verbis suis nitebantur, eo magis et ingredientium in Societatem, et ejus doctrinam profitentium, numerus et vires augebantur, quamvis tam serio aliquis obloqueretur, ut quidam religiosus concionator, qui, vehementi animo et suspirio ab immo pectore educto, plebem monebat ut caveret eos qui, brevi temporis spatio, citra ullam asperitatem ac disciplinam, sanctitatem promittebant, illud Pauli adducens [1]: *nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi.* Qui tantum hoc profecit suis exclamationibus et minis, ut messem nostris et spiritualem fructum augeret. Ex his, qui Salmanticae versabantur, quidam ex nostris Methymnam venit;

---

[1] Ad Philip., c. III, v. 18.

et concionibus, tum in templo tum in foro habitis, et magna homines consolatione affecit et ad Dei amorem inflammavit. Ex vicinis locis, magna cum devotione, aliqui ex nostris, concionum gratia, ad se mitti flagitabant; sed ad messem tam amplam operarii pauci erant.

694. In Societatem aliqui admitti petebant; et quamvis paucis sit satisfactum, admissus tamen fuit nobilis ille sacerdos, quem superius ad Dominum conversum fuisse diximus; quamvis ut se expediret et populum aedificaret, domum suam remissus esset.

695. Prope nostrorum habitationem templum quoddam erat militum Sti. Joannis, ubi optabant quidem cives Methymnenses situs ampli, quem habebat, partem, ad collegii nostri institutionem donari, ut ibidem collegium erigeretur. Sed res Domino Roderico de Dueñas, qui nostros Methymnam evocaverat, impetrari posse non videbatur; ipsimet tamen, ad quos pertinebat, nostros rogarunt ut situm illum admitterent, et ipsimet instrumentum quoddam confecerunt hujus donationis, qua etiam offerebant portam ad ipsam ecclesiam, quae parochialis erat, se fieri permissuros, ut ibi verbum Dei praedicare et sacramenta ministrare possent; nec nostris onus ullum imponebant.

696. Sed divina bonitas situm alium liberum, sub finem Julii, per Dominum Rodericum de Dueñas, qui die ipso Sti. Petri donationem fecit, nostris providit, ad aedificandum collegium valde idoneum, tum propter amplitudinem, tum propter aëris salubritatem; et ipso die commemorationis D. Pauli, ejus possesionem nostri acceperunt. Initio autem Augusti aedificium coeptum est. Opportune autem P. Franciscus Borgia et P. Antonius de Cordova sub idem tempus Methymnam venerant; et post orationem ad Deum fusam et ad Dei Genitricem Mariam, ac processionem cum litaniis circa situm aedificii peractam, P. Franciscus primum lapidem fundamenti posuit, P. Antonius de Cordova secundum, deinde reliqui Patres et fratres omnes, peculiari aliquo Sancto invocato, secuti sunt, et singulos lateres adaptabant, nihil aliud in publicis et privatis orationibus petendo, nisi ut collegium hoc ad perpetuam nominis Jesu gloriam aedificaretur [1]. Ipsam autem aedificii formulam vel ideam

[1] Peracta sunt haec die Sanctorum Petri et Pauli, 29 Junii. VALDIVIA, *Historia* ms. *de la Provincia de Castilla.*

ipsemet P. Franciscus simul cum P. Bartholomaeo de Bustamante confecerant [1], et ejus mittendae ad P. Ignatium curam susceperant; et quamvis aliqui timebant ne fratres Ordinis Sancti Augustini et moniales Sti. Dominici et vicina parochia Sti. Jacobi impedire vellent aedificationem collegii, nullam tamen eo tempore nostri contradictionem habuerunt.

697. Quidam autem ex nostris fratribus magno ardore ad infima quaeque ministeria in hoc aedificio se promptos offerebant et latomis et coementariis se adjutores praebebant; quae exercitatio externa non ipsis tantum spiritualem fructum, sed etiam spectantibus, afferebat; cum enim plurimi ex methymnensibus ad aedificium, quod fiebat, confluerent, et nostros involutos lateribus, calce et arena viderent, rei novitate admirabundi et exemplo commoti, depositis palliis et inauratis ensibus licet induti sericis vestibus, socios fratribus nostris se addebant, pro maximo honore ducentes tum lateres, tum arenam et alia comportare; et multi eorum saepe dicebant, prae animi consolatione, operarios ibi haudquaquam mercede conducendos; sed, inverso ordine, pretium ipsos solvere oportere, ut ad tale tantumque opus admitterentur. His ergo et aliis multis suppetias ferentibus, effectum est ut ipsius domus fundamenta emergerent et se super terram erigerent.

698. Sed praetermittendum non est, quod summopere animos ejus urbis P. Francisci Borgiae et doctrina et inauditum illo saeculo exemplum tam domesticos quam externos magnopere excitabat; et ejus convictus et colloquia gaudio et aedificatione omnes perfundebant. Habuit aliquas conciones, paucis illis diebus, quos Methymnae exegit, partim domi nostrae, partim in aliis templis, tanto spiritu ac pietate abundantes, ut cives Methymnenses et ad confusionem adduceret, et ad summam admirationem, et ad insignem in amore Dei profectum. Domesticis etiam animos faciebat ad Dei gloriam et sui abnegationem curandam, cum utriusque ille se vivum exemplum praeberet. Postquam autem ipse recessit, P. Baptista Sanchez et alii ex nostris et conciones publicas et exhortationes domesticas, ad quas plurimi conveniebant, prosequebantur.

---

[1] Peritiam in aedificandi arte haud vulgarem habebat Bustamante, qua usi saepe sunt tum Toletanus Archiepiscopus, Joannes Siliceus, tum etiam Hispaniarum Princeps Philippus.

699. Cum autem hoc autumno philosophiae curriculum jam nostri emensi essent, P. Maximilianus Capella duas theologiae lectiones eisdem praelegere coepit; sed et duae lectiones litterarum humaniorum praelegebantur; et cum Josephus de Acosta, minimus natu ex quatuor fratribus [1], carmina quaedam, quibus Christi beneficia complectebatur, recitaret, tantam ei copiam spiritus Dominus dedit ad auditorum animos in Dei amorem rapiendos, ut acciderit aliquem ex auditoribus sic in lacrymas resolvi, ut ab eis prius non destiterit, quam ad confessarii pedes se provolvens et anteactae vitae peccata evomens, vitam in melius commutare coeperit; plures etiam solito eodem die ad sacram synaxim accesserunt.

700. Sub anni finem sacerdos quidam in linguis eruditus et etiam in sacra theologia, qui, tum propter vitae exemplum, tum propter doctrinam illis in locis erat conspicuus, cum Methymnae spiritualia exercitia suscepisset, Societatis instituto sese addixit.

DE COLLEGIO VALLISOLETANO

701. Pauci ex nostris, sed non otiosi, in collegiolo Vallisoletano versabantur; et P. Gonzalez [2] aliis praeerat, qui primis mensibus hujus anni parum prospera valetudine usus est, cujus tamen rationem magnam non habebat; et ut operarius strenuus in piis negotiis crebras admodum occupationes, easque ad Dei gloriam utiles, habebat; et in multis [3] cernebatur copiosus gratiae Dei proventus ex his, qui nostrorum opera utebantur. Inter caetera refertur de nobili quodam cantabro, in carcerem conjecto et capitis damnato, qui ut inimicis parceret persuaderi non potuerat ab Abbate Vallisoleti (jurisdictionem episcopalem is habet in eo oppido), nec ab ejus Vicario aut

---

[1] Vide supra, n. 680, pag. 305.
[2] P. Joannes Gonzalez.
[3] Hic ms. habet *non* cernebatur. Sed error ex contextu videtur manifestus.

aliis religiosis ad confessionem adduci poterat; sed cum in morbum incidisset, quem ad ipsius spiritualem salutem Dominus immiserat, invisit eum P. Gonzalez, qui, talem nactus occasionem, sic eum allocutus est, ut cor ejus ad poenitentiam emolliret; et eidem confiteri voluit ac postulavit, cum per aliquot annos ab eo sacramento abstinuisset; et statim promptum se ad omnia, quae ipsi injungerentur, exhibuit; et si mors ipsi esset subeunda, modo illi P. Gonzalez adesset, aequo et libenti animo eam se suscepturum affirmabat.

702. In quadragesima plurimae quidem confessiones exceptae sunt, sed multae earum generales, in quibus fructus eximius capiebatur. Post Pascha etiam plurimae hujusmodi etiam generales auditae fuerunt; aliqui autem singulis mensibus, plerique decimo quinto quoque die, alii octavo, confitendi consuetudinem susceperunt.

703. Quidam per quadriennium tanto odio in alium excaecatus erat, ut obsequium se praestare Deo existimaret, si, quae magna nocumenta potuisset, inimico inferret. Hic ad nostros adductus confessionis gratia, primo ingressu mitis effectus, deinde omnem offensam adversario condonavit; et tantum animi gaudium ex eo sentire coepit, ut qui a gravissimo onere, quo opprimeretur, liberatus esset. Alii etiam peccata et peccati occasionem, quam domi habebant, reliquerunt. Offerebat autem se tam ampla messis quotidie, quod ad confessiones attinet, ut in proprio templo Sti. Antonii oporteret unum ex nostris singulis dominicis ac festivis diebus fere usque ad meridiem administrationi Smae. Eucharistiae vacare.

704. In festis autem majoribus, ut B. Virginis, multo plures conveniebant ex his, qui non octavo quoque die communicabant. Horum autem tam copiosus numerus erat ut, a vigilia ipsius festi usque ad octavam, oporteret sacerdotes nostros in hanc tantum occupationem incumbere, sacramentum scilicet confessionis et communionis impendendi; et in dies augebatur hominum ad nostros confluentium frequentia.

705. Cum autem venit Vallisoletum P. Baptista, de quo superius mentio facta est [1], ea benevolentia hominum exceptus est, ut, si diutius in eo munere perstitisset, suis auditoribus

---

[1] Dum de Collegio Methymnensi agitur.

alios concionatores spoliaturus diceretur, quod partim doctrinae et fervori concionatoris tribuendum, partim populi erga nostros optime affecti studio, sed potius divinae gratiae, quae inutilibus usa instrumentis, magis in suis effectibus erat conspicua. Cum autem idem Pater in quodam monasterio monialium, viro nobili, Priorissae et fundatricis consanguineo, id impetrante, concionatus esset, mittebat ille, absoluta concione, duos famulos donis onustos ad collegium, quos cum remitteret P. Gonzalez simul cum suis donis, exemplum illud ad magnam aedificationem cessit apud eos, qui nostros pauperes esse sciebant. Ubique demum observatum hoc est, in his regionibus munerum aut pecuniae recusationem, quae propter ministeria nostra offerri solent, plurimum ad populi aedificationem valere.

706. Quatuor fratres ex Collegio Salmanticensi, ut sacris ordinibus initiarentur, Vallisoletum venerunt; quod ubi intellectum est, quidam, qui hospitalibus praeerant, statim ad concliones eorum postulandas accesserunt. Inter nostros, ipso die invocationis nostri templi (quod S.to Antonio de Padua sacrum est), P. Benedictus, natione catalanus [1], cum magna frequentia et acceptatione hominum concionatus est; at cum ejus conciones ex aliis locis peterentur, quia videbatur Patri Gonzalez eum non esse in praedicatione occupandum donec sua studia absolveret, id non concessit.

707. Dominicani Patres Collegium insigne habent Vallisoleti [2], ubi nostri theologicas suas lectiones audiebant; benevolentiam illi Patres nostris et amicitiam exhibebant, et familiariter cum eisdem conferre sermones solebant.

708. Alia ministeria Societati consueta, cujusmodi sunt infirmorum in hospitalibus visitationes et vinctorum et retentorum in custodiis publicis, non solum intermissa non sunt hoc anno, sed etiam aucta. Parochi etiam, et quibus animarum cura incumbebat, non raro eos, de quibus rationem erant Deo reddituri, ad nostros destinare solebant, eosdemque hortabantur ut libenter, quae a nostris dicerentur, audirent.

709. Tres sacerdotes ex nostris ibi residebant; praeter

---

[1] Hunc nullibi alias appellatum reperimus nisi hoc nomine *P. Benedicto*, "maestro de menores y famoso predicador del Evangelio." RIVADENEIRA, ROA, etc.

[2] Collegium Sancti Gregorii multis vere rationibus celebre. Vide LA FUENTE, *Historia de las Universidades en España*.

P. Gonzalez Rectorem, P. Joannes de Valderravano et P. Petrus Domenech; erat et quartus, P. Benedictus, sed alio ex obedientia missus est; fratres autem non sacerdotes totidem erant. Crescere potuisset pusillus hic grex, si admissi fuissent qui in Societatem admitti petebant; sed quamvis aliquot sacerdotes et scholastici se totos in Patris Gonzalez arbitrio posuissent, et ex eis aliqui ut admitterentur instarent, domus angustia effecit ut hos et alios, qui spiritualia exercitia suscipere cupiebant, ad alias domos Societatis transmiserint. P. tamen Gonzalez unus trium vel quatuor operariorum officiis fungebatur, et dabat illi Dominus gratiam ut omnibus satisfaceret. Cum autem Princeps Hispaniarum Philippus Vallisoletum veniret cum sua curia, occupationum spiritualium messis augebatur. Ipse etiam P. Provincialis [1] Octobri mense Vallisoletum venit, cujus adventus a multis expetebatur, et fructum spiritualem auxit.

DE COLLEGIO BURGENSI

710. Sub finem anni praecedentis agebatur de hospitali quodam obtinendo, et, si alia ratione fieri non posset, emendo. Sed cum notarii ejus urbis jus habere ad illud praetenderent, demum quamdam aliam domum, quae in optimo loco et valde nobili civitatis erat *(hortum regium* vocant [2]), emerunt mille et sexcentis ducatis, et, habita ratione reparationum, ad tria millia fere ascendit, quae ex eleemosynis collecta sunt; et primo die Decembris, possessione ejus accepta, ad eam nostri migraverant; et quia Dominus Benedictus Uguccionius et pecunia et opera atque industria sua prae caeteris ad ejus domus emptionem laboravit, eumdem inter benefactores Domino commendandum P. Strada, scribens P. Ignatio, suggessit. Sed quia publica illa via primariorum civium domibus plena erat, cum

---

[1] P. Antonius de Araoz.

[2] "En el Huerto del Rey, que es una de las principales calles de Burgos.„ Rivadeneira, *Hist.* ms. *de la asistencia de España*, lib. 1, cap. 20.

animadverterent aliqui eorum partem emptae domus dirui, ut sacellum et habitatio nostris commodior efficeretur, parum aequo animo id tulerunt, et ad gubernatorem et senatum urbis rem detulerunt, et aedificationem impediri fabris et coementariis impetrarunt.

711. Id autem causae afferebant, quod locus ille valde nobilis erat in urbe, et facile collegium, si ibi pedem fixisset, alias domos occupare potuisset; et prae caeteris urgebat unus ex senatoribus, quos *Rectores* vocant, qui huic nostrae domui suam habebat contiguam; sed Dominus Ferdinandus de Mendoza, frater Cardinalis Burgensis, his se disceptationibus interposuit, et hanc concordiae rationem inivit, promittendo quod intra tres vel quatuor menses sacellum ibi non fieret, ad quod populus confloeret, nec Sanctissimum Sacramentum ibidem collocaretur; et hoc tempore, si vellent ad Pontificem rem referre vel ad Regem, quod ipsis licebat. Et ita effectum est, ut in aedificio collegii progredi nostri non permitterentur; quamvis id utilitatis elici potuit ex hac controversia, ut in posterum a Rege concessio aliqua curaretur, ne aedificia domorum aut collegiorum nostrorum impediri possent.

712. Interim, dum quatuor illi menses labebantur, privatum sacellum in interiori aula novae domus praeparatum fuit. Ibi privatim nostri celebrabant et illud ipsum cives apposite ornaverunt. Sed non diu perseverarunt, qui adversarii videbantur, in impedimento, quod dare coeperant, immo et ipsi laetari videbantur cum egregie concinnari domum et satis pulchram evasisse cernerent et magna claritate illustratam, nam timebatur ne obscurior esset aliquantulum; et multi ex civibus ad aedificium opem afferebant. P. autem Strada non existimabat in usum collegii sed professorum hanc domum convertendam esse; nam, quod ad collegiales attinet nostros, collegium illud a Comite stabili aedificatum cum suis reditibus tandem obtinendum sperabat [1].

---

[1] "Acerca de la casa de Burgos ya se ha escrito que no se llame casa sino colegio, hasta que haya colegio distinto; y querria Nuestro Padre se diese en él algun principio en la escuela como sea posible. El lugar no agrada por no se poder ensanchar. No sé cómo se ha embarazado el P. Strada en aquella casa con tanta costa; parece que su bendito celo se puede fácilmente más alabar que el haber acertado en lo que convenia á nuestra Compañía para mayor bien comun; porque tener allí casa con tantos sacerdotes y tales á la ciudad torna muy bien y al Cardenal, mas no al bien universal (á lo

713. Prosequebatur interim suas conciones P. Strada in parochia Sancti Aegidii, quae domui novae vicina erat, et frequentia auditorum nullo modo imminuta per illam contradictionem fuit; sed nec poenitentium qui ad confessionem accedebant; viri quidem ad domum nostram, foeminae autem ad vicinas domui parochias S.ti Aegidii et S.ti Laurentii, ubi a nostris audiebantur. Erant autem tres sacerdotes tantum in hujus anni initio, et ideo, habita jam domo, plures operarii a P. Strada petebantur, et quidem non vulgares, cum ad eam urbem ex singulis religionibus primarii concionatores mitti et confessarii ibi constitui soleant. Illud autem observatum est quod, eo tempore, quo nonnulli nostris conatibus se opponebant, in urbem eam venerat ille ipse religiosus, qui nostros Salmanticae exercuerat; si tamen aliquid ille Burgis tentavit, parum profecit [1].

714. Egressus est a parochia Sancti Aegidii in alias, concionandi gratia, P. Strada; nam id Dominus Ferdinandus de Mendoza ad populi postulationem expetere videbatur. Allocuti sunt etiam eumdem tres canonici cathedralis ecclesiae, inter quos erat qui magistralem cathedram tenebat, et nomine ipsius ecclesiae postularunt ut in quadragesima sequenti semel in hebdomada apud ipsos concionaretur, prout anno praecedenti fecerat. Recepit autem se id facturum P. Strada, et nihilominus alio hebdomadae die, alio apud Sanctum Aegidium, alio apud S. Laurentium, alio apud Sanctum Nicolaum, et aliis apud alias ecclesias; itaque singulis diebus concionatus est. Et cum in diversis ecclesiis id faceret per totam urbem, magna in po-

---

que acá parece), á quien sirve la Compañía; pues »para colegio véese cuán apto sea el lugar, y decir que habrá casa y colegio juntamente parece demasiado en tanta carestía de suppósitos. Pero, finalmente, allá verán VV. RR. mejor lo que cumple y así procederán como les pareciere mejor.„ Polancus, *ex com.,* Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.—"De Burgos aviso á V. R. que hay poco contentamiento del modo de proceder que se ha tenido, haciendo casa con tanta costa y trabajo, la cual por ventura, si dada se ofreciera, no era de aceptar, y sobre el haber tomado allá no sé qué dineros que dejaba mi padre *secundum carnem* á mi disposicion.... Esto porque esté V. R. prevenido; que estos ángeles locales son terrible gente y todo lo querrian para lo que tratan y veyn, y el amor de lo presente y particular les hace no ser cuási aptos á entender lo universal.„ Polancus, *ex com.,* Patri Hieronymo Natali; 27 Oct.—Vide etiam supra, t. II, pag. 317 et 318, nn. 302, 303 et 304, et *Cartas de San Ignacio,* t. V, pag. 541 et seq.

[1] Melchior Canus, jam Canariensis Episcopus. Nihil de hac ejus commoratione in urbe Burgensi reperimus in *Vida de Melchor Cano,* auctore FIRMINO CABALLERO; qui tamen de hoc tempore haec scribit: "Duróle la posesión *(del Obispado)* los veinte meses y siete días, que median desde el 24 de Agosto de 1552 al 30 de Abril de 1554; período en que se le ve discurrir por Toledo, Tarancón, Pinto, Valladolid y Salamanca, sin salir del territorio de Castilla.„ Cap. VI.

pulo sequebatur commotio, quam multis lacrymis testabantur, et Dominus Ferdinandus de Mendoza, cum semper conciones audiret, magnopere laetabatur, dum populi commotionem suis oculis cerneret. Additus est et quartus sacerdos tribus praedictis, et praeter P. Stradam ac P. Ferdinandum Alvarez, P. S.ta Crux et P. Pozo in illa vinea Domini laborare coeperunt [1].

715. In sacello, quod confectum est, non multi concionem audire poterant; sed tamen in duplici choro et atrio domus, immo in tota domo audiri poterat, qui in sacello concionaretur. Est ergo altare in sacello constitutum, et fenestrae versus publicam viam occlusae ad strepitum vitandum, cum ab interiori parte satis lucis haberet; et fere quingentos auditores capere poterat. Qui autem sacellum visuri veniebant, non parum admirabantur quod eo in situ tale quid confici potuisset.

716. In toto quadragesimae tempore maxima hominum frequentia Patris Stradae conciones secuta est, majori cum affectu ac devotione quam facile explicari possit. Alii vero, et praecipue P. Ferdinandus Alvarez, in ministerio sacramentorum, colloquiis spiritualibus et aliis pietatis operibus, maximo etiam cum fructu versabantur. Post Pascha vero, multi ex primariis, qui interpellare P. Stradam in quadragesima noluerant, ut ejus colloquiis frui possent, frequentes admodum conveniebant.

717. Post octavam Paschae P. Franciscus Borgia ex provincia Burgos venit, aliquoties concionatus est, et non minus exemplo quam ipsa praedicatione magnopere civitatem illam commovit, et ad optima quaeque excitavit. Cum autem jam omnes contradictiones cessassent et in aedificationem conversae fuissent, et novae domui nomen Jesu fuisset impositum, ipso die Sanctissimae Trinitatis primum Missae Sacrificium in novo sacello jam absoluto et ornato oblatum est. Quidam autem Episcopus, qui Cardinalis loco pontificalia in illa dioecesi ut suffraganeus exercebat, primam Missam celebravit, et aliqui canonici cathedralis ecclesiae illi in sacro ministerio inservierunt, et concionatus est P. Franciscus Borgia. Adfuit autem huic solemnitati dedicationis primaria fere omnis nobilitas

---

[1] Quartus hic sacerdos esse videtur P. Joannes de Santa Cruz, qui nondum sacris initiatus erat, cum primum Burgos cum P. Petro del Pozo venerat; quique proinde hujus anni initio sacros ordines suscipere debuit.

urbis, et cum diversis instrumentorum et cantuum generibus positum est in sacello Sanctissimum Sacramentum. In eadem autem domo nostra, sacris absolutis, invitavit Dominus Ferdinandus de Mendoza multos ex primoribus tam ecclesiasticis quam saecularibus, in quo convivio multi viri docti erant, et colloquia spiritualia habita sunt, et alia multa interrogata et responsa, quae ad jurisdictionem pertinebant; et toto illo die sacellum Jesu, quod in ima parte illius domus aedificatum erat et portam versus publicam viam habebat, magna hominum frequentia et devotione visitatum fuit.

718. Cum autem evocatus esset ex Collegio Ognatensi Dominus Antonius de Cordova, ut ad sacros ordines promoveretur, pridie solemnitatis Corporis Christi domi nostrae, postquam celebrasset idem Episcopus, ad sacerdotium promotus est [1]; et postridie, qui dies erat Corporis Christi, cum innotuisset civitati in sacello Jesu indulgentias obtineri, et novum sacerdotem P. Antonium de Cordova suas primitias Domino oblaturum, ac P. Stradam concionaturum, tanta eo confluxit multitudo, ut, cum sacellum capere illam non posset, multis esset recedendum. Fuit autem concio P. Stradae admirandae doctrinae, et quae summopere hominum animos ad sacramentorum frequentiam excitavit; et toto eo die, sicut et praecedentibus, ex quo Sanctissimum Sacramentum fuerat ibi repositum, multi ibidem sanctissimam communionem susceperunt, et per totam octavam Corporis Christi alternatim P. Franciscus Borgia et P. Strada in novo sacello sunt concionati, et undecumque fructus ibidem et Dei gloria crescere videbatur; et Patrum Francisci de Borgia et Antonii de Corduba praesentia omnia magnopere illustravit, ac praesertim P. Francisci, qui multas habuit conciones cum magna utilitate animarum; et quibusdam gravibus et primariis personis spiritualia exercitia idem proposuit, quiae mirum in modum sub eo profecerunt; et ex quo ipso die Trinitatis domi nostrae concionatus est cum doctrina et aedificatione singulari audientium, animos summopere affectos erga Societatem nostram redegit, et crevit [hic affectus] quamdiu ibidem ipse versatus est. Domina Ducissa de Frias, Comitis stabilis uxor, et Comitissa de Osorno curam ceperunt ornandi sacellum et al-

[1] Vide infra, n. 760.

taria, ut Sanctissimum Sacramentum decenter teneretur; ipse etiam Comes stabilis suis peristromatis et muros sacelli et atrium domus, ex quo concio audiri poterat, ornavit. Sub finem Junii mensis P. Franciscus Methymnam cum P. Antonio profectus est.

DE COLLEGIO COMPLUTENSI

719. Initio hujus anni, sub P. Francisco Villanova Rectore, triginta collegiales in Collegio Complutensi versabantur, qui in abnegatione sui diligenter exercebantur et etiam in litteris. Ter in hebdomada propositiones in collegio aliquis sustentabat; unas quidem theologiae, alteras philosophiae, tertias logices; nam ex nostris aliqui in singulis istis facultatibus exercebantur. Plurimi quidem alii admitti in Societatem optabant; sed cum jam satis multi domi essent, animabat eos P. Villanova ut in litteris et virtute proficerent, et paulatim aliquos admittebat in locum eorum, qui alio mittebantur. Aliquando, etiam ipso in initio, ad alias domos admittendi mittebantur.

720. Inter eos, qui philosophiae dabant operam id temporis, D. Theutonius cum aedificatione versabatur. Is ex Portugallia Salmanticam et inde Complutum missus fuerat, sed hoc ipso anno Romam venit [1]. Adfuit et illis, initio hujus anni, P. Simon, qui ex provincia Aragoniae, propter adversam valetudinem, in Lusitaniam ex medicorum consilio se conferebat, et non parum consolationis nostris attulit, cum aliquem ex primis Patribus Societatis videre magnopere nostri optarent. Fuit etiam primis mensibus hujus anni P. Provincialis Araoz, cujus et conciones et colloquia toti Universitati et populo gratissima fuerunt; et quamvis ab eo multum homines sperarent, longo tamen intervallo omnium exspectationem vicit. In duobus primariis locis, scilicet, summi templi et Sti. Ildefonsi, cum satisfactione et aedificatione frequentis auditorii ecclesia-

---

1 Vide infra, n. 967, et *Cartas de San Ignacio*, t. III et IV, passim.

stes munere functus est, et importune quodammodo ab eo contendebant ut in quadragesima ibidem concionaretur; sed Cardinalis Poggius, Legatus Sedis Apostolicae, ejus operam utiliorem fore in curia Regis etiam in concionando censebat; et ita eo se debuit conferre, quamvis post quadragesimam Complutum rediit.

721. Domi nostrae viri litterati et aliis dotibus egregiis praediti fere semper in spiritualibus exercitiis versabantur. Quidam illustris vir, qui dignitatem in primaria quadam ecclesia illius regni obtinebat, et alii non pauci nobiles, ex hujusmodi exercitiis magnam utilitatem spiritualem retulerunt; et tantopere haec augebantur in dies, et frequentia auditorum apud nostros, dum alii alios invitant et ad Christum trahunt, ut nostri sacerdotes satisfacere studiosorum fervori non possent, quod ad confessionem attinet, et minus quoad exercitia spiritualia. Multa sunt Compluti collegia saecularia; et prius collegiales ipsorum cum magna licentia vitam agere ferebantur; ut fere in tota Universitate nulli minus studiosi quam hi viderentur; sed postquam colloquiis, concionibus, sacramentis et exemplis aliorum, sese ipsi colligere coeperunt, tam pie jam vivebant et tam multi ad Societatis nostrae institutum movebantur, ut collegia illa pro seminariis nostrae Societatis haberi possent, ubi, et in litteris et in virtutibus progressum in dies facientes, ad vocationem Dei ad nostram Societatem se disponebant [1]. Extra Complutum etiam aliqui venire non cessabant ad haec ipsa spiritualia exercitia sumenda.

722. Ex oppido, quod Burgum Osmae vocant, domum et necessaria ad collegium Societatis inchoandum postulabant; et tamen alia praeferenda videbantur, quae prius hoc ipsum postulaverant.

723. Quamvis autem P. Araoz sub aestatis ingressum in provinciam Guipuscoae se contulerat, sub hyemem Complutum rediit; et ita, partim ipsius concionibus, partim exhortationibus P. Emmanuelis Lopez, et populus et scholastici ad optima quaeque excitari et instrui pergebant.

724. Hoc ipso autumno duae lectiones domi nostrae praele-

---

[1] Qui originem, naturam, mores, vicissitudines, etc., horum Collegiorum intelligere cupiat, videat Lafuente, *Historia de las Universidades en España.*

gebantur, quamvis sex theologi et duodecim philosophi ex nostris ad publicas lectiones Universitatis se conferrent. Unus tantum humanarum litterarum erat auditor, nam ejus socii Cordubam missi erant. Altera ergo ex lectionibus, quae domi fiebat, theologica erat, altera philosophica.

725. Sed P. Villanova, Rector, postquam ex gravissimo morbo, qui ad portas usque mortis eum deduxit, convaluit, mense Septembri cum quodam fratre, quem licentiatum Lopez vocabant [1], Cordubam profectus est, ubi diu exspectatus fuerat a P. Antonio de Corduba et ab ipsius matre, Marchionissa de Pliego, immo et a tota civitate, ut initium daretur Collegio Cordubensi, de quo inferius agetur. Hoc tamen dicam, quod ita Dominus ejus conatus Cordubae promovit, ut in illa civitate admiranda quaedam mutatio fuerit consecuta. Decanus autem illius cathedralis ecclesiae, Dominus Joannes de Corduba, vir admodum illustris et potens, domi suae hospitem illum habere voluit; nec latum digitum ab eo quodammodo recedere volebat. Sic colloquiis et exemplo commotus erat, ut nec diu nec noctu eum relinquere posset; nec conquievit donec ad Collegii Cordubae instituendi fundationem domum suam donavit, quae plusquam viginti millia ducatorum valebat, et ecclesiae ac scholarum suis expensis aedificandarum curam suscepit, et ditissima vasa et ornamenta sacra, quae longe in alium usum ipse paraverat, cum magna omnium admiratione dedit. Non rediit hoc anno Complutum P. Villanova [2].

726. Missus est autem mense Novembri Compluto Magister Dionysius Vazquez cum alio quodam fratre in Collegium Gandiae; et tertius adjunctus est illis doctor theologus Christophorus Rodriguez, qui hoc anno Societatem ingressus erat, ut theologiae lectionem ea in Universitate praelegeret, quam Doctor Baptista de Barma legere solitus erat; nam ipse Cordubam evocabatur. Eodem die tres ex eodem Collegio Complutensi Cordubam missi fuerunt, quos comitatus est quartus, Dr. Joannes de Plaza, qui hoc eodem autumno Societatem

---

[1] "El Licenciado Alonso Lopez, natural de Corella en Navarra, discípulo del Doctor Lartaun, tambien estudiante, que llevó segundo en sus licencias. Luego que entró, hizo oficio de comprador; despues fué con el P. Villanueva á la fundacion del Colegio de Córdoba.„ CASTRO, *Historia* ms. *del Colegio de la Compañia de Jesús de Alcalá*, lib. I, cap. 11.

[2] Vide infra, a n. 794 ad 801.

ingressus est, et Collegii Siguntini collegialis fuerat et ibidem in theologia gradum acceperat, et jam publice concionari incipiebat, et ante ingressum magnum virtutis specimen praebuerat. Duo vel tres alii Romam missi sunt, et alii alio; sed tam multi admitti postulabant, ut locum unius recedentis plures occupare vellent [1]; ex quibus aliqui in exercitiis spiritualibus, alii extra illa Superiorem urgebant; sed ut eorum constantia probaretur, et ut studia prosequerentur, admissio eorum differebatur. Aliqui tamen ex eis morae impatientes, vel quod forte non sperarent in Societatem se admittendos, ad alias se religiones contulerunt. Inter eos, qui se post exercitia spiritualia Societati offerebant, eremita quidam fuit raro spiritu et raris Dei donis praeditus, qui summopere sub obedientia vivere cupiebat, et tamen ad eremum redivit, cum id genus hominum Societas non admittat.

727. Admissus est etiam hoc anno Compluti Doctor Salinas, qui tres ante annos exercitiis spiritualibus excultus fuerat; et cum ad dignitatem brevi promovendus videretur, quod ejus doctrina et peculiare praedicandi donum eam promereri constabat, vocationi tamen Christi, ad majorem dignitatem evocantis, sibi, scilicet, in humilitate et paupertate serviendi, rebellis non fuit. Simul atque in collegium admissus est, in culi-

---

[1] Quinque supra viginti in Societatem Compluti admissi hoc anno fuere; quorum insigniores sunt:

P. Antonius Lariz seu Larez, Complutensis.
P. Dr. Alphonsus de Pisa, Toletanus.
Fr. Alphonsus Fernandez, artium auditor.
P. Ignatius Oruño.
P. N. Cámara, ex oppido Yanguas, Dioecesis Segoviensis.
P. N. Arboleda, Conchensis.
P. Ludovicus de Molina, item Conchensis.
P. Hurtado Perez, ex oppido Mula, Dioecesis Carthaginensis.
P. Dr. Petrus de Parra, ex urbe Sanlucar, Dioecesis Hispalensis.
P. Petrus Gomez, Antequeranus, Dioecesis Malacensis.
P. Ludovicus de Guzman, ex oppido Alarcon, Dioecesis Conchensis.
P. Dr. Blasius Rengifo, Abulensis.
P. Mag. Joannes de Castañeda, Guadalaxarensis, Dioecesis Toletanae.
P. Franciscus Gonzalez. ex opido Aleson, Dioecesis Calagurritanae.
P. Dr. Joannes de la Plaza, ex urbe Medinaceli, Dioecesis Siguntinae.
P. Dr. Christophorus Rodriguez, ex oppido Hita, Dioecesis Toletanae.
P. Dr. Marcus de Salinas, sic dictus quia natus in oppido Salinas, Dioecesis Calagurritanae; quem tamen anno sequenti ingressum ait ALCAZAR, *Chronohistoria de la Provincia de Toledo*, dec. II, ann. IV. cap. I, § 3.

nae et refectorii officiis tam humiliter et patienter se gessit, ut ipsius exemplum veteranis etiam perutile esset. Affirmabat Dr. Torres, Siguntini Collegii lector, et postea Canariae Episcopus [1], hunc doctorem Salinatem theologiam publice docere recte posse; et experientia id docebat; fuerat collegialis et Rector Collegii Siguntini. In Collegio autem nostro Complutensi theologicam lectionem explicabat, de qua superius mentionem fecimus. Alius etiam theologiae licentiatus in exercitiis versabatur, qui tres jam vel quatuor annos perseveranter in Societatem admitti petebat, sed exspectare jussus fuerat; et ita demum admitti meruit. Locum honestum inter suos condiscipulos habuerat, sextum videlicet inter triginta quatuor.

728. Sub anni finem quidam etiam, qui ad artium magisterium promotus erat, et inter triginta sex condiscipulos tertium obtinuerat locum, et primum meruisse dicebatur, et, cum sese opponeret aliis, idem petentibus, ad ingressum in quoddam collegium theologorum, insigne specimen suae eruditionis dederat, in Societatem admissus est. Ejus autem pater secundum carnem id aegre ferens, cum id rescivisset sua in patria, Complutum statim se contulit ut eum a Societate, si posset, educeret. Cum autem ei permitteretur quaecumque vellet cum filio loqui, quicquid potuit et rationibus et lacrymis et querelis tentavit, et nobiles aliquot, et doctores etiam, in suffragium suae postulationis adducebat. Sed nullo modo a proposito filium suum dimovere potuit; immo quo magis pater movebat lapidem ut eum avelleret, eo magis ille suo in proposito firmabatur. Erat enim juvenis claro ingenio et studiosus, nam viginti duos annos natus, et jam annum unum theologiae dederat. Ipsis festis Natalitiis tres collegiales, qui jam in quarto anno philosophiae versabantur, et praeclaris ingeniis praediti erant, in Societatem nostram sunt admissi; omnes ejusdem fere aetatis, viginti duorum annorum; et optime se in probationibus gerere coeperunt.

729. Ecclesia auctior effecta jam erat, et prope illam habitationes quaedam in usum eorum, qui spiritualia exercitia suscipiebant, confectae sunt, quod valde conveniebat, cum ante id tempus nostris sese necessario immiscerent, qui ad hujusmo-

---

[1] Erat is Doctor Bartholomaeus de Torres, de quo plura in *Historia Societatis*

di exercitia admittebantur, quod nostrorum et ipsorum quieti minus conveniebat.

730. In frequentia magna hominum, qui ad P. Provincialis Araoz conciones et lectiones P. Emmanuelis Lopez de christiana doctrina diebus festis a prandio conveniebant, plurimi studiosi et doctores etiam aderant; et ex eo ac etiam ex familiaritate cum nostris et sacramentorum usu tam multi ad religiosum institutum, ac praesertim Societatis nostrae, excitabantur, ut aliqui, praesertim ex lectoribus Universitatis, parum aequo animo id ferrent, quod optimis ex numero scholasticorum suorum usque ad cursus confectos privari nollent. Sed ut aliqui hoc modo obloquebantur, ita alii publice probabant quod fiebat; inter quos erat religiosus quidam Ordinis cisterciensis (quem S.ti Bernardi in Hispania vocant), qui suis in concionibus Societatem magnopere laudabat, et quos Dominus ad illam vocaret, ne vocationem negligerent, hortabatur, et eos qui impedimentum afferebant, reprehendebat [1]. Et consideratione dignum est quod religiosi, qui Societati conatibus sese opponere soliti erant, jam nostris favebant ac benevolentiam exhibebant, quod vel ex eo proficiscebatur quod melius intellexissent quae prius non bene intellexerant, vel quod ex his, qui nostrorum concionibus et aliis functionibus charitatis ad perfectionis statum capescendum movebantur, eorum monasteria replebantur, vel fortassis quod eas radices egerat existimatio Societatis, ut eam elevare se non posse facile viderent. Scripsit et ipsa Universitas Patri Ignatio quoddam illius negotium commendans, ut ei, scilicet, apud Summum Pontificem favorem praestaret, et suis litteris multum se Societati debere et magno in pretio eam habere testantur, et quod ex eorum exemplo et quod videant clarissima ingenia Universitatis et alios viros graves ad nostros accedere, non solum rem admirabantur, sed certi erant quod Dei opus esset, et ad ipsius gloriam et Reipublicae utilitatem institutum, et sub hac consideratione collegium nostrum a tota illa Universitate respici.

731. Erat ibidem Comes Melitensis, socer Domini Rui Gomez de Silva, qui etiam, gener scilicet cum socero, familiarissime et peramanter cum nostris agebant, ac praecipue cum

---

[1] Is erat P. Ludovicus de Strada, de quo vide *Cartas de San Ignacio.*

P. Araoz, cujus consilio Dominus Rui Gomez (qui etiam tunc primum locum apud Principem Hispaniarum Philippum habebat) in rebus etiam gravissimis, et ad commune bonum pertinentibus, plurimum tribuebat; et fructus magni momenti ex hujusmodi consiliis consequi cernebatur [1].

732. Aliis de rebus, quae fieri in hoc collegio et in aliis solent, ut de concordiis et aliis operibus pietatis, sigillatim persequi longum esset.

Et haec de Complutensi Collegio sufficiant.

DE P. PROVINCIALI ARAOZ

733. Mense Decembri proxime elapso venerat Complutum P. Provincialis Araoz, cum in itinere illustres quasdam personas utriusque sexus cum ipsarum consolatione ac fructu visitasset. Spiritualibus exhortationibus et colloquiis quotidie fratres nostros, ex quo pervenit, magnopere et consolatus est et ad optima quaeque excitavit. Statim autem Comes Melitensis et filius Ducis Nagerae et alii viri magnae auctoritatis, ipsum adeuntes, impetrarunt ut in festis Natalis Domini concionaretur, quod, ut paulo ante diximus, fecit, et usque ad quadragesimam conciones est prosecutus. Sed ipso die Circumcisionis, qui primus erat hujus anni, cum de Nomine Jesu ageretur, tanto cum spiritu et fervore munus obivit ecclesiasticum, ut visum fuerit auditoribus, et ab eisdem dictum, eo in suggestu ac templo talem concionem numquam fuisse habitam, cum tamen id templum esset summum Compluti. Coeperat autem tam esse gratus illi Universitati, ut acerbe admodum tulerit quod inde ad Principis curiam avocandus a Legato diceretur. Cum autem Inquisitor quidam Toleto venisset Complutum, ut edictum quoddam in ecclesia Sti. Justi promulgaret, rogavit Patrem Araoz ut ibi, ipso die Purificationis B. Virginis, concionaretur. Invitatus fue-

---

[1] Vide infra, n. 750, et litteras, quas Polancus, *ex com.*, dedit Patri Francisco de Villanueva, 19 Aug., et *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 350.

rat a quodam alio concionatore Pater Araoz ut ipsius audiret concionem, quod et promiserat se facturum. Sed, cum urgeret Inquisitor, parendum ipsi fuit, et licet tempus perbreve ad se praeparandum habuerit, dedit Dominus gratiam ut sic verbum Dei praedicaret, ut cum magna admiratione omnes reliquerit.

734. Cum autem Legato postulanti suam operam denegare non posset P. Araoz, non parum ipsemet sensit messem illam relinquere, quae copiosa admodum parari videbatur. Eam tamen Dominus compensavit, non minus uberem in curia Principis segetem offerendo [1]. Designavit autem Legatus primarium templum quoddam Madridii, ubi coepit diebus dominicis, mercurii ac veneris concionari. Cum autem Princeps Philippus a Legato intellexisset quod Provincialis Societatis Jesu Madridii concionaretur, interrogavit num ille esset Araoz, quia hoc nomine, potius quam Provincialis, Principi notus erat, quod cum intellexisset ita esse, laetatus est, et ei significandum curavit ne se ad multas conciones obligaret, donec ipse decerneret quoties in palatio ipsi esset concionaturus. Misit ergo primarium quemdam suae capellae virum, Comitis Lunae fratrem, qui renunciaret Patri Araoz ut die lunae in palatio concionaretur; gratum enim id Principi fore; quod cum fecisset, magnatibus curiae et praelatis et aliis viris nobilibus praesentibus, et illis magnopere placuisset, denuo misit Princeps qui hoc ipsum ei significaret, et quod eum vellet habere concionatorem in quadragesima illa; quod cum magna ipsius et aliorum satisfactione praestitit. Sed et diem aliquem Cardinali Legato reservavit; et quamvis ampla esset ecclesia, ex maximis scilicet ejus oppidi, aliquandiu ante concionem auditores non capiebat, non vulgares, sed ex primoribus ejus curiae. Ad hospitium etiam ipsius tam multi eumdem Patrem visitabant, ut vix ad parandas conciones tempus relinquerent.

---

[1] Haud libens Principis curiam adiit Araoz, exemplo praecipue Portugalliae permotus, ubi nimia cum Rege et Regina et eorum curia familiaritas nonnihil Societati nocuisse ab aliquibus ferebatur. Ideo litteris 3 Aprilis scriptis consuluit Ignatium, a quo hoc per Polancum responsi habuit: "Acerca del estar algun tiempo en la corte, viendo el ánimo *(Principis)* tan benigno y tan inclinado á favorecer la Compañía, y que se quiere servir de V. R. en cosas de cualidad, parece á Nuestro Padre sea bien. En Portugal puede haber otros humores á los cuales el acomodarse podría ser mejor; así que, sin condenar el parecer de ellos en aquel Reino, podrá V. R. en ese, el tiempo que le pareciere será mayor servicio de Dios N. S. residir en la corte; pues la medida de nuestras acciones se ha de tomar de este fin, *id est,* del mayor divino servicio. 14 Aug.„—Vide infra, n. 811.

735. Inter hos nobiles erant et aliqui etiam illustres, nec deerant ex illis, qui in Societatem admitti petebant; quibus aegre persuaderi poterat, ut tamdiu exspectarent, donec ex curia ipse recederet. Inter alios qui eum invisebant, aliquando Dominus Rui Gomez quinque vel sex horas eum detinebat, de rebus utique gravibus cum illo agens; sed et Comes Feriae, qui ex dominis erat, quos *magnos* in eo regno vocant [1], et Principi Philippo valde charus, eumdem invisebat, et ad domum nostram ventitabat, Societatem nostram in visceribus gerens, quamvis aliud vitae institutum sequeretur quam ipsius frater, de quo superius mentio facta est, scilicet, P. Antonius de Cordova.

736. Comitabatur Patrem Araoz et adjuvabat in his, quae ad nostrum institutum pertinent, P. Petrus de Tablares; et effectum est in curia tota ut longe aliter de Societate nostra homines sentirent quam aliquando sentiebant, cum non deessent qui de nostris curarent sinistras opiniones serere quibusdam in rebus; et ad Dei providentiam referendum videtur, ut, quemadmodum Societas nostra in romana curia sedem initio fixit, ut, ibi cognita et approbata, quasi in omnium oculis, ab aliis provinciis huic Sedi Apostolicae obedientiam exhibentibus, facilius admitteretur, et contra oppugnatores defenderetur, ita in regnis Hispaniarum ex directione Dei effectum videtur, ut [2] in curia Regis aliqui ex nostris specimen nostri instituti eis hominibus praeberent, quorum favor et auxilium ad benemerendum de illis provinciis juxta instituti nostri rationem, erat necessarium. Comites melitenses [3], qui Compluti versabantur, eumdem P. Provincialem Madridii concionantem sequi voluerunt. Tam devote se gerebant, ut domi suae Comes constitueret ut aliquis ex sua familia in quadragesima communicaret; et ita singulis singulos dies distribuit, ut non deesset quotidie qui ad sacramenta accederet.

---

[1] *Magni domini, Grandes de Castilla, Grandes de España*, dicebantur qui primas inter nobiles tenebant, quia regio sanguine nati, aut quia opibus et praesertim *vassallorum* numero caeteris anteibant: aliis etiam, ut quibusdam Episcopis, dignitas haec quandoque ejusque *praerogativae* concedebantur: iidem ferme ac *Peers of the realm* Angliae, *Pairs de France*, etc. Vide *Origen de la Dignidad de Grande de Castilla, preeminencias*, etc., por DON ALONSO CARRILLO, Madrid, MDCLVII.

[2] Verba haec *ex directione Dei effectum videtur ut*, vere redundant; non enim aliud sunt quam leviter mutata iteratio superiorum *ad Dei providentiam referendum videtur ut*.

[3] Comes de Melito, postea Dux de Francavila, ejusque uxor.

737. Scripserat P. Avila [1], de quo non semel mentio facta est, cum Patres Doctorem Loartem et Didacum de Guzman ad Societatem mitteret, Patri Provinciali de collegiis in Baetica instituendis, ac nominatim Baëzae ac Cordubae; sed aliquos de Societate viros egregio talento, et praecipue concionandi, praeditos, eo mittendos censebat, quod non defuturos esse aliquos, qui se Societati opponerent, arbitrabatur. Sed P. Provincialis ei rescripsit, ejusmodi operariorum penuriam adhuc magnam in Societate esse, habita praesertim ratione locorum, a quibus Societas expetebatur, et ubi pauci nostri operarii, praesertim concionatores, satis utiliter erant occupati; et suggerebat interim quod expediret magis, quemadmodum alibi fecit Societas, operando potius et charitatis et humilitatis functiones exercendo, quam concionando, in hujusmodi loca ingredi; quod minor occasio interpretationibus hominum daretur tacendo, quam alias docendo; quandoquidem qui verbo non offendit, perfectus est vir; et facilius capitur homo in sermone quam in opere; ac praecipue in initio, donec desinant rationem novitatis sibi homines timere. Hoc autem melius pietatis opera quam praedicatio praestarė solent; et in Baetica, quae praedicatoribus aliarum religionum abundabat, minus esse necessarium nostros initio concionari judicabat.

738. De Collegio etiam Baëzae dubitabat an esset admittendum P. Araoz, tum quia ex duobus patronis alter erat magister Avila, et alteri suum suffragium erat reservatum, qui tamen subscribebat sententiae P. Avilae, partim quia aliquos discipulos ipsius P. Avilae simul cum collegio in Societatem admittere oportebat; et id non conveniėbat id temporis sine delectu fieri, cum aliqui ex eis ab Inquisitionis officio in carcerem ducti fuissent, et adhuc id temporis detineretur, qui primas inter alios tenebat, scilicet, magister Charlavar [2], primarius

---

[1] Joannes de Avila, saecularis sacerdos, nuper a Summo Pontifice Leone XIII Beatorum laurea donatus. De eo saepius mentio facta est in hoc *Chronico* et in *Cartas de San Ignacio*.

[2] Sic; rectius tamen *Carleval*. "El Doctor Bernardino de Carleval, uno de los de mayor nombre, de mayor caudal y letras de los discípulos que tuvo el Venerable Maestro Avila. Siendo Colegial y Rector del Colegio Real de Granada..., habiéndose fundado años despues la Universidad de Baeza, le trajo el Venerable Maestro Avila para que fuese la piedra fundamental de estos estudios, como de verdad lo fué, y el primero que se graduó de Licenciado, Maestro y Doctor: leyó en ella la sagrada Teología muchos años...„ Muñoz. *Vida y virtudes del Venerable Maestro, Juan de Avila,* lib. II, cap. 1.

theologiae lector in eo collegio; nec satis constabat quorsum res esset evasura; et id in causa fuerat ut multum decederet illius Collegii auctoritati ac splendori; et existimabant aliqui ea de causa Societati se velle omnes illos conjungere ut eorum partes tueretur. Dubitabat etiam de duobus, scilicet, N. et N. admittendis, quod prior illorum nuper ab eadem Inquisitione captus fuisset propter quamdam oppositionem, quamvis liber et sine poenitentia, ut innocens, esset dimissus; et ideo ipsemet Magister Avila non videbatur judicare quod in Societatem essent admittendi [1].

739. Cum P. Simon, qui Regni Aragoniae Provincialis institutus fuerat (ea ratione, de qua superiori anno dictum est [2], si videlicet necessarium videretur iis, qui in Portugallia res Societatis administrabant), et ita missus fuerat, et aliquandiu Barchinonae et Valentiae resederat, cum, inquam, P. Simon ex medici praescripto in Portugalliam rediret, commisit P. Ignatius novae illius provinciae curam Patri Araoz, ut eam gereret perinde ut ante divisionem gerebat; et ut illa divisio quibusdam perparum placuerat, ita eisdem pergratum fuit ad Patris Araoz gubernationem ea collegia reduci. Non tamen a P. Ignatio ea collegia Provinciae Castellae reunita fuerunt; sed tota ipsa provincia Aragoniae, ut erat distincta, propter operariorum penuriam et ad tempus eidem Patri Araoz commissa fuit. Et cum non posset curiam relinquere idem P. Araoz, ut Aragoniae collegia visitaret, eo mittendum existimavit P. Emmanuelem Lopez ut videret quomodo se res haberent, et ad ipsum referret. Cum autem nominasset P. Ignatius decem ex nostris, qui in Hispania versabantur, ut Romam mitterentur (inter hos erant illi tres, de quibus superius est actum, scilicet Patres Guttanus, Coviglion et Canalis), eos P. Araoz mittendos cu-

---

[1] "Del Doctor Loarte y tambien de D. Diego de Guzman ha visto Nuestro Padre lo que V. R. escribe; y á la verdad es cosa de consideracion, por estar preso el maestro del uno y compañero íntimo de entrambos en la Inquisicion; pero ya están aceptados, y el medio que ha escrito el P. Mtro. Avila que se detengan en el Obispado de Calahorra está mucho bien, y Nuestro Padre holgaría de tenerlos entrambos por acá, si allá no parece que estén tanto bien; y por decir la verdad, no le pesa á Nuestro Padre de haberlos aceptado, aunque digo que pudiera proceder con ellos de otra manera, si estuviera informado.„ Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.—"En lo que toca á D. Diego de Guzman y al Dr. Loarte, Nuestro Padre se ha remitido al parecer del P. Francisco con el P. Nadal, y ellos tendrán ya entendido el de V. R.„ Eidem, 6 Nov.

[2] Supra, ann. 1552, n. 624 et seq., t. II, pag. 701 et seq.

ravit; quamvis, itinere impedito, non omnes Romam pervenerunt.

740. Admonuit inter caetera P. Araoz durum sibi videri et incommodis obnoxium quorumdam, qui in Societatem admittebantur, patrimonia ab eis oblata admittere; si enim recte in probationibus se non gererent, non sine difficultate dimitti possunt, cum reddi oporteat quod ab eis sit acceptum; quod si retinerentur ob eamdem difficultatem, incommodum etiam gravius esset; ex his tamen, quod potuit, Collegium Complutense adjuvit [1].

741. Duo sacerdotes in Societatem admissi fuerant qui non inutiles operarii videbantur, quorum alter Mendez, alter Bernardinus, dicebantur, et dispensandum cum eis visum fuerat, quod alterius religionis habitum aliquandiu tulissent; ipsa tamen docuit experientia paucos ex hujusmodi ad Societatis institutum satis idoneos fore; et ita prior, dimissionem timens, sponte sua recessit, et secundus dimissus est [2].

742. Rediit Complutum ex curia Principis Pater Araoz, postquam ibidem concionatoris munere functus esset cum magna et Principis et aliorum satisfactione; et saepius de rebus, ad Regni spirituale bonum pertinentibus, acturum privatim Princeps eumdem Patrem Araoz audivit, et magnam erga Societatem benevolentiam ostendit. Quia tamen ophthalmia laborare coeperat Madridii, et graves occupationes vacare curationi eorum et recuperandae valetudini non permitterent, Complutum se recepit, ubi sanitatem et vires recuperavit. Quamdiu autem in curia fuit, Legatus pro suo more omnia ad vitam ducendam subministrabat. Non omittam autem quod inter caetera, quae privatim egit cum Principe P. Araoz, illud non exigui momenti fuit, quod eidem supplicavit ut Episcoporum opera extra suam dioecesim non uteretur; quin potius ut curaret ut praelati in suis ecclesiis residerent; et ita Princeps promisit, et per Dominum Rui Gomez, qui Complutum venit, se id facturum confirmavit [3]. Dum autem versaretur Compluti P. Araoz, eo pervenit P. Natalis, qui in Portugalliam propera-

---

[1] Vide infra, n. 759.

[2] De iis plura in Ignatii et *ex* ejus *com.*, Polanci litteris toto hoc anno et sequenti scriptis, necnon Patris Araoz.

[3] Vide quae ex OLIVERII MANAREI, *Comm. de rebus Societatis Jesu*, cap. VIII, § 6 et 7 in t. IV *Cartas de San Ignacio*, pag. 371, retulimus.

bat; sed tres tantum dies vel quatuor ibidem commoratus, cum multam omnibus consolationem dedisset, ulterius progressus est. Prius tamen contulit cum eo P. Araoz rationem et modum procedendi, quem in sua administratione tenebat, et ad quem scopum universalia et particularia omnia referret; et omnia P. Natalis probavit, ut ipsemet scribit Araoz; qui confirmatus tamquam P. Ignatii nomine, prout coeperat, perrexit [1].

743. Agebatur de magistro Infanti Carolo, Principis Hispaniarum filio, eligendo; et propter propensiones animi et vivacitates Infantis, satis erat Rex sollicitus de aliquo, qui idoneus esset futurus, eligendo [2]; et tam de hac, quam de aliis electionibus ad officia publica et eminentia, ipsius Patris Araoz sententia exquirebatur; quae res, ut ardua et magni momenti, ita difficultatis plurimum habebat; et ideo consuluit P. Ignatium Araoz, ut quid sibi faciendum esset praescriberet. Consuluit idem de quodam licentiato in Sacra Theologia, cognomine Migaon, praecipui Collegii Complutensis, qui philosophiae et theologiae cursum absolverat, et in linguis eruditus erat, an in Societatem esset admittendus, cum impedimentum quoddam haberet, quod scilicet religionem S.ti Hieronymi esset ingressus, et propter adversam valetudinem dimissus ante professionem, et, quantumvis postea ab eisdem libenter fuisset receptus, cum interim Societatem novisset, quatuor annos in ea petenda perseveravit; sacerdos alioqui, et qui virtutis exemplo illi Universitati non parum probatus esset. Quod ad consilium attinet, quaestionem esse difficilem P. Ignatius respondit; et tamen ipsius P. Araoz prudentiae id commisit: de admittendo illo theologo tantumdem, si existimaret ejus admissionem in Societatem multum utilitatis ad Dei gloriam esse allaturam. Suggessit tamen eo in loco admittendum illum esse, ubi de impedimento non constaret, et nomen etiam mutandum [3].

---

[1] Vide tamen infra, nn. 809 et 951.

[2] Quicumque, hac vel alia quavis occasione arrepta, de his animi propensionibus et vivacitatibus Caroli deque his, quae erga eum egit ejus pater Philippus, fusius aliquantulum disserere velit, caveat diligenter oportet ne a poëtis et *romanensium,* quas vocant, fabularum scriptoribus ficta, neve a veritatis osoribus in *Dictionariis historicis* ad nauseam usque iterata, pleno ore et absque discrimine accipiat; sed potius accurate perpendat quae afferunt GACHARD, in opere *Don Carlos et Philippe II,* et FERNANDEZ MONTAÑA, *Nueva luz* et *Más luz sobre Felipe II.*

[3] Vide Ignatii litteras in *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 349, et adverte nomen quod ibi est *Migazon* et hic *Migaon,* in *Regesto* reperiri, nostro quidem judicio recte, *Migajon.*

744. Res itaque Societatis cum in regno Castellae prospere succederent, P. Araoz in provinciam Guipuzcoae, sub finem Junii mensis, se contulit cum sociis ac fratribus Antonio Gou et Juliano de Eguzchiza [1]. Cupiebat P. Franciscum Borgiam convenire, et, ut eum Burgis inveniret, eo se contulit; non tamen eum invenit, nam Methymnam progressus erat, sperans P. Natalem ibidem se consequi posse, ut ageret cum eo de profectione in Portugalliam, ad quam urgebatur, nec illa aestate in provinciam rediit. Pampilonam autem, ad quaedam negotia a Principe Philippo commissa, ire debuit, cum ea magni essent momenti. Concionatus est autem in oppido Vergarae aliquoties, et ad negotia ibi expedienda properabat ut in Castellam sub autumni initium rediret; quamvis aliquot dies exspectare debuit, in gratiam Episcopi Calagurritani, qui eo venturus erat. P. Casellas et alii ex nostris Ognatensibus per varia loca ejus provinciae versabantur, de quibus inferius agetur.

745. Rediens ergo P. Araoz, invisit in oppido, quod Domum Reginae vocant, Ducissam de Frias et Comitissam de Osorno et religiosas illas, quae Gandia venerant ad monasterium Ordinis S.ti Francisci instituendum; et cupiebant illae quidem retinere aliquandiu P. Provincialem, ex cujus colloquiis multum spiritualis consolationis et doctrinae capiebant. Ille tamen inde se breviter expedivit, et ad civitatem, quam S.ti Dominici de la Calzada vocant, ut inviseret P. Didacum de Guzman et P. Loartem, qui in ea vinea Domini utiliter laborabant, se contulit, et eos admodum consolatus est. Sed et Burgos veniens, praeter nostros, Comitem stabilem et alios primarios viros invisit, qui, quamvis eum retinere cupiebant, Complutum nihilominus propere venit, ubi Dominus Ruigomez eum ad negotia quaedam gravia exspectabat, ex quibus ad Regni bonum non parum utilitatis redundabat.

746. Cum tranquille satis res Societatis hoc anno fuissent, tempestas quaedam sub ejus finem oriri coepit, contra scilicet spiritualia exercitia. Librum eorum Archiepiscopus Toletanus aliunde obtinuerat, quae quibusdam religiosis S.ti Dominici videuda tradidit. Inter hos erat Magister Mancius, professor theologiae, Societati quidem nostrae amicus, sed Archiepiscopo

---

[1] Rectius *Eguzquiza*.

Toletano valde conjunctus. Annotaverat ille [1] quasdam propositiones, inter quas praecipua erat quod, cum agitur in regulis ad bene sentiendum cum Ecclesia catholica, haec habentur verba: *etiam si plane compertum definitumque* ESSET *salutem nemini contingere, nisi praedestinato* [2]. Hinc inferebat ille: ergo hic habetur quod non praedestinati possint salutem consequi juxta opinionem fratris Ambrosii Catherini. Sed hic nodus facile solvi poterat ex autographo hispanico, cujus verba sonant: *etiam si compertum definitumque* SIT. Aliae etiam notabantur propositiones ut quod in fundamento habetur circa affectum ad creaturas; quamvis enim sensus sit bonus, non bene littera illum exprimit. Tertia erat 14.ª regula exercitiorum, qua dicitur melius esse ne ad vota emittenda homines incitentur. 4.ª quod ibidem dicitur ut quaeratur citra medium voluntas Domini. Tales enim propositiones vicinas illis esse, quae olim in quibusdam haereticis, quos illuminatos vocaverant, damnatae fuerant.

747. Triplex hujus agitationis causa esse intelligebatur;

---

[1] Qui ad marginem paginarum in hoc Chronico quaedam scripsit, sequentia hic verba, signo addito ut insererentur textui, apposuit: *id est, Archiepiscopus, non Mancius, qui anno superiore dicitur favisse Exercitiis.* Recte quidem quatenus negat Mancium harum in Exercitia animadversionum auctorem; is enim, non solum superiore, sed etiam hoc anno, tantum abfuit ut Exercitia reprehenderet, ut eorum causam apud Archiepiscopum ageret. Vide RIVADENEIRA, *Historia de la Asistencia de España,* ms., lib. I, cap. 22; CASTRO, *Historia del Colegio de la Compañia de Jesús de Alcalá,* ms., lib. IV, cap. 15; ALCÁZAR, *Chronohistoria de la Compañía de Jesús en la provincia de Toledo,* parte I, dec. II, an. III, cap. I, § 1.—Archiepiscopus earum annotationum auctor ea tantum ratione asseri potest quatenus eas, licet ab aliis factas, auctoritate sua firmavit et Inquisitoribus obtulit. Facta autem fuere a Fr. Melchiore Cano, qui, ut ait ALCÁZAR, l. c., acerbis scholiis paginarum oram in Exercitiorum libro occupaverat, *le habia margenado con agrios Escolios,* et a Fr. Thoma de Pedroche, Theologiae lectore in Collegio Sancti Petri Martyris in urbe Toleti. Illius scholia nondum reperire valuimus; hujus vero animadversiones, quas ad nos usque servavit *Historia varia,* ad calcem hujus voluminis in Appendice exhibebimus.

[2] Ita quidem in veteri codice, ante annum, ut videtur, 1546 exarato, cui titulus: *Exercitia || R. P. Petri Fabri, || Soc. Jesu Theologi, || quibus uti solebat ad alios instruendos et || manuducendos in vita spirituali, cum || Coloniae habitaret inter Carthusianos;* et in veteribus editionibus, iis saltem, quae ante annum 1575 factae fuere. Exstat tamen exemplum anno 1574 Burgis per Philippum Junta excusum, plurimis annotationibus et additionibus, Patris Antonii Cordeses manu et aliorum scriptis, ornatum, in quo, verbum *esset,* quod typographus cusit, manu rasum et calamo emendatum est, ita ut legatur non *esset,* sed *sit.* Et haec emendatio in recentioribus editionibus jugiter perseveravit ab anno saltem 1598.—Alia post primam Pragensem *Instituti* editionem inducta est mutatio in illis verbis *etiamsi plane compertum definitumque esset;* eorum enim loco nunc legimus *quamquam verissimum sit;* quod quidem propius accedit hispanico *dado que sea mucha verdad.*—Sed de his plenius fusiusque, cum volumen alterum operis *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro,* Deo volente, in lucem edemus.—Vide *Cartas de San Ignacio,* t. v, pag. 36.

prima, quod opiniones Fratris Ambrosii Catherini in Hispania apud religiosos sui Ordinis male audiebant [1]; 2.ª, quod cum animadverterent nostros Principi Hispaniarum gratos esse, et in rebus gravibus ab eo consuli, enervare sibi videbantur aliquo modo eorum [2] auctoritatem, dum suspectam ipsorum doctrinam aliquo modo faciunt; 3.ª causa mihi videtur etiam praecipua, scilicet, daemonis invidia, qui per hujusmodi exercitia plurimos non solum a peccatis recedere, sed egregios operarios fieri, et in Societate et in aliis religionibus, videbat.

748. Dominus Ruy Gomez suadebat ut nostri serio se opponerent hujusmodi calumniis, et se facile cognoscere perturbatum animum eorum, qui hac de re loquebantur, fatebatur. Curatum est etiam a P. Araoz ut Dr. Cuesta, postea Legionensis Episcopus, et Universitas Complutensis, decerneret quid sibi videretur; et ut Infans Cardinalis Portugalliae tantumdem cum Universitate Conimbricensi efficeret; nam Sedes quidem Apostolica per suas litteras librum illum comprobaverat, diligenti examinatione praevia et Inquisitorum et Magistri Sacri Palatii et Vicarii. Sed eo usque progrediebatur malus animi affectus, ut cum parum illis haec testimonia, alioqui certissima, satisfacerent, alia quaererentur.

749. Accessit ad haec quod P. Canus, qui Episcopatum Canariae recusaverat, denuo contra nostros fremere coeperat. Quid autem ad retundendos hujusmodi obtrectatores sit factum, quoniam ad sequentem annum pertinet, ad illum rejicietur.

750. Hoc tamen dicam, quod existimatus est interfuisse Comes Melitensis aliquantulum, quod Archiepiscopo Toletano esset conjunctissimus; non ita tamen ut desineret erga Societatem se benevolum praestare. Cum tamen P. Ignatius litteras scripsisset, quibus ei persuadebat ut Collegio Romano faveret et id eleemosyna juvaret, et has litteras P. Natali Commissario apertas misisset ut daret, si ipsi videretur, judicavit P. Araoz nullo modo has litteras Comiti dandas esse, cum ea ipsa, quae Collegio Complutensi dederat, eidem restituenda visa essent;

---

[1] Vide QUETIF ET ECHARD, *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, t. II, pag. 144 et seq.

[2] Scilicet *nostrorum*.

quamvis non propter defectum benevolentiae factum id est, sed propterea quod aere alieno gravatus erat [1].

Et haec de P. Araoz hoc anno dicta sint.

---

[1] "Aquí va una letra (con su copia que vea V. R.) para el Conde de Melito. Nuestro Padre, sin remitirse á lo que allá pareciere, se ha determinado de escribirla, pareciéndole que así convenia sin dudar en ello, y enderezarla á V. R. que se la dé, si se halla donde pueda cómodamente, *id est,* en Castilla; si no, podrá dar órden que el P. Francisco, ó el P. Doctor Araoz, ó quien pareciere á V. R., se la dé; y como quiera que sea esto, hágase ayudar de los dos nombrados que tienen autoridad con el Conde, y diga V. R. al Doctor Araoz ó escríbale que nuestro Padre estará á ver lo que hace en este caso, porque como viejo no quiere creer ya sino á las obras.„ Polancus, *ex com.,* Patri Hieronymo Natali, Commissario, 6 Novembris.—Vide supra, n. 731, pag. 327.—Ignatii litterae, de quibus hic est sermo, datae sunt 6 Nov.—Vide etiam in *Cartas de San Ignacio,* t. IV, pag. 222 et 224.

DE P. FRANCISCO BORGIA

ET

DE COLLEGIO OGNATENSI

ET

INITIIS COLLEGII CORDUBENSIS

751. Redierat P. Franciscus Borgia ex Collegio Burgensi, sub finem anni praecedentis, in Provinciam Guipuzcoae, ut in quibusdam locis, praesertim maritimis, a quartanae molestia sublevaretur; et ita accidit, Deo propitio. Recurrebat nihilominus aliquando; sed, quia remissa satis erat, signum fuit quod brevi prorsus esset recessura; et vires interim relinquebat mediocres, quarum praesidio audebat discurrere per primaria oppida ejus provinciae; et id potissimum agebat, ut ad reverentiam exhibendam sanctissimo sacramento Eucharistiae, cum aegrotantibus ministrabatur, homines excitaret. Parum enim reverenter deportabatur ad villas, quibus plena est illa provincia, quod multae illarum a parochiali ecclesia procul abessent. Unus enim sacerdos, quodam puero comitante, ad aegrotantes Sanctissimum Sacramentum deferebat. Persuasum est autem, P. Francisci opera, oppido Ognati, Vergarae et aliis, in quibus hac de re actum est, ut dotatio aliqua certa institueretur, saltem ad duos vel tres sacerdotes stipendio alendos in singulis parochialibus ecclesiis, qui simul cum Vicario ad villas jam dictas Sanctissimam Eucharistiam decenter deferrent.

752. Et ad hanc venerationem peculiarem hujus sacramen-

ti augendam id movit potissimum, quod in Portugallia, praesente Rege, Regina, cum omnibus suis filiis et nobilium maxima parte, celebrante Missam in pontificali quodam praelato, nobilibus etiam Castellae multis praesentibus, qui Joannam, Imperatoris Caroli filiam, in Portugalliam deduxerant ut nuberet Principi Portugalliae, coram his omnibus, inquam, postquam sanguinem Christi consecrasset Episcopus, anglus quidam, qui in gradibus altaris se fingebat orare, nobilium habitu ornatus, propere gradus conscendit, et calicem atque hostiam arripuit, et, effuso sanguine et hostia comminuta, frusta per terram sparserat; quae sacrilega insania curiam et regnum luctu implevit. Et quamvis infelix ille diro supplicio fuerit affectus, hanc occasionem sumendam censuit P. Franciscus ut populos magis ad venerandum Sanctissimam Eucharistiam animaret. Verum nec satis habuit, quocumque ipse poterat ire, populos ad hunc pium cultum promovere, sed sparsit alios ex Ognatensi Collegio per diversa alia loca ut tantumdem facerent ad majorem Dei et hujus Sanctissimi Sacramenti honorem.

753. Venerant ad P. Franciscum Patres Dr. Loarte et Didacus de Guzman, quos missos esse a P. Avila superius meminimus [1]. Sub initium autem hujus anni, in eremitorio B. Magdalenae, ubi nostri Ognatenses habitabant, spiritualia exercitia eis P. Franciscus proposuit, et Societatem ingredi cum magna spiritus pace et consolatione constituerunt; et de quibusdam ipsorum reditibus Hispali collegium inchoare cogitabant; quamvis id postea, cum ipsi in Italiam venissent, cessavit, et ad Collegium Romanum reditus illi fere ducentorum ducatorum annuorum conversi sunt.

754. Erat in eodem collegio Dominus Sanctius de Castella, postea Ambrosius nominatus; eodem Dominus Antonius de Cordova anno praeterito se contulerat, ibidemque hujus anni [primis] mensibus mansit; quidam etiam licentiatus Hernani, theologus, et natione cantaber, Patrem Franciscum Borgiam comitari solebat, et in cantabrica lingua populo rudiori conciones ejusdem Patris, quas in castellano idiomate habebat, vulgo non intelligenti hoc idioma, in cantabrico ipsis vernaculo declarabat.

---

[1] N. 738, pag. 331.

755. Redierat ex Concilio Tridentino Episcopus Calagurritanus [1]. Sub ejus dioecesi Ognatense oppidum et alia complura ex ea provincia continebantur. Pastor ille magno cum labore et sollicitudine ad gregem suum pascendum incumbebat; scripsit autem statim P. Francisco Borgiae, cujus charitati et aliorum Societatis nostrae operariorum plurimum se debere testabatur, qui tam diligenter, praedicatione verbi Dei et aliis Societatis ministeriis, animarum utilitatem promoverent; nam de fructu qui consequebatur, satis multa ad eum perferebantur: suam etiam operam ad omnia offerebat.

756. Ex civitate Pampilonensi, quae alium ab hoc Episcopum habebat, P. Michaël Ochioa, navarrus, vel aliquis alius de Societate, a P. Francisco expetebatur ut christianam doctrinam ibi doceret; nam eo in regno homines plurimi in magna illius ignorantia versabantur. Missus est ergo praedictus P. Michaël, in quadragesima hujus anni, simul cum P. Didaco de Guzman, qui jam inde ab eo tempore peculiare talentum ad id pium opus sortitus erat, et secum deduxit duos juvenes, quos ex Baetica, bene instructos in eadem doctrina, secum adduxerat. Simul atque Pampilonam pervenerunt, Pro-rex, ad quem P. Franciscus scripserat, amanter eos excepit; et cum ad hospitium commodum deduci juberet, illi affirmabant hospitium religiosorum Societatis esse hospitale. Sic ergo Pro-rex suae domus oeconomum misit ad praefectum hospitalis, et per eum de rebus omnibus necessariis providit, quamdiu ibi sunt versati. Postridie, quae dominica quinquagesimae fuit, ipsemet Pro-rex cum aliis nobilibus eos in hospitali invisit, et eodem die, post meridiem, in quadam ex primariis parochiis ejus urbis coeperunt fidei rudimenta interpretari; et aderant fere trecenti pueri et magnus aliorum hominum concursus; et delectabatur Pro-rex modum illum ac dexteritatem considerando, quem in tradenda christiana doctrina P. Didacus cum suis duobus pueris tenebat; et gratiam addebat apud eum, quod ipsius [2] nobilitas, quae illustris admodum erat in Hispania, perspecta erat, et plurimum se laetari quod ad eam urbem ad hoc pium opus exercendum venisset.

---

[1] Vide Cartas de San Ignacio passim, praesertim t. II, pag. 245, et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro,* t. I, pag. 107.

[2] Patris Didaci de Guzman.

757. Cum diebus illis ante quadragesimam multi personati, prout assolet, per urbem discurrerent, et vana quaedam inventa et parum honesta in ea cernerentur, constituerunt nostri quamdam puerorum processionem, qui crucifixi imaginem praeferentes, per omnes publicas vias ejus urbis incedentes, ecclesias visitabant, et in singulis earum, genibus flexis, alta voce Dei misericordiam implorabant. Et tanta fuit hominum commotio consecuta, ut quocumque illi pergerent, non solum pueri, desertis personatis et aliis spectaculis, sed provectae etiam aetatis homines processionem sequerentur; et de multis compertum est, quod egredi domo volebant personati et cum variis quibusdam ac novis inventis, qui tamen id omiserunt post visam et auditam processionem. Aliqui autem tota quadragesima in ea civitate manserunt ut, quod coeptum erat exercitium christianae doctrinae docendae, prosequerentur; et unus eorum erat ex pueris P. Didaci; alii per alia loca sparsi fuerunt. Concionabatur in quadragesima eadem Pampilonae P. Michaël Navarrus diebus dominicis mane et a prandio, praeter christianae doctrinae lectiones et exercitationes, et rarus fructus animarum ex ejus et sociorum opera provenire cernebatur; et tanto affectu dilectionis eumdem Patrem prosequebantur, praesertim pueri ac puellae, qui doctrinam addiscebant, ut, cum ipsum recessurum esse intelligerent, magnis fletibus ac lacrymis suum dolorem testarentur; et multi pecunias offerebant ut sacra a sacerdotibus dicerentur, quibus a Domino gratiam impetrarent ut nostri eo redirent.

758. In arce doctrinam etiam milites praesidiarios docebant mane; et prima hora post meridiem, in aula Pro-regis, pueros nobiles, qui ipsi inserviebant, et alios ex familia ipsius eamdem docebant; et ipse Pro-rex adesse fere semper, et quidem cum consolationis significatione, solebat; deinde sub vesperam in primaria parochia hoc ipsum praestabant; itaque ter eodem die in hoc pio labore se exercebant. Utebatur etiam P. Michaël gratia sanitatum etiam in hac civitate, aliquos, cum sola impositione manuum, sanitati per Dei gratiam restituens [1].

759. Comitabatur P. Bartholomaeus Bustamante, qui anno superiori ad Ognatense Collegium venerat, P. Franciscum

---

[1] Vide supra, t. I, pag. 269, n. 232.

Borgiam ; et quia magna pietate, prudentia et eruditione praeditus erat, et dono praedicandi ac zelo animas juvandi valebat, quam gratissimus ipsi erat et utilissimus. Affectum etiam suum erga Societatem testatus ille fuerat, cum ea, quae potuerat, ex bonis suis in Collegii Complutensis commodum converterat [1]. Et cum praeter virtutem maturam quinquagenarius esset, postulavit P. Franciscus et, ut ipse scribebat, genibus flexis supplicavit, ut facultatem ad professionem emittendam P. Ignatius ei mitteret, vel tempus definiendo, vel arbitrio ipsius P. Francisci relinquendo [2].

760. Et quia Marchionissa de Pliego, mater Antonii de Corduba, optabat filium suum sacerdotem videre [3], et ad id facultatem Pater Araoz jam dederat, quod idem Antonius mirum in modum in litteris, humilitate et spiritu crevisset, adeo ut quodammodo nostri omnes Dei gratiam obstupescerent; pro hoc, inquam, postulavit a P. Ignatio ut a Summo Pontifice aliquam indulgentiam, cum primum ille sacrum celebraret, pro his, qui ei assisterent, impetraret. Quamvis autem P. Ignatius indulgentiam curasset, exspectata illa non est, forte ex causa alicujus momenti; nimis tamen eos properasse notavit P. Ignatius et admonuit [4].

761. Invisit P. Franciscum P. Ludovicus Gonzalez, cum iter Romam versus per Galliam institueret, et litteras Regis Portugalliae ad eumdem P. Franciscum attulit, quibus eum rogabat ut in Portugalliam veniret, cum multa ad Dei honorem et Societatis utilitatem pertinentia cum eo conferre vellet; sed

---

[1] "Ha parecido bien negociar por via del Legado la aplicacion y donacion del P. Bustamante; y así otras cosas, que se pueden allá hacer, no es bien enviarlas acá, en especial no habiendo Procurador general, que tenga tal assumpto como propio, en Roma.„ Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Villanueva, 15 Aug.

[2] "Acerca del P. Bustamante, con la informacion que daba el P. Francisco, halo Nuestro Padre remitido á él; pero se le ha escrito comunique la cosa con V. R., si le parece, y así creo lo hará.„ Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz.—Professionem emisit Bustamante in oppido Tordesillas in manibus P. Francisci Borgia 8 Aprilis sequentis anni 1554.

[3] Scilicet, optabat filium suum sacris initiari seu sacerdotem fieri, et, postquam sacerdos esset, sibi videndum praeberi.

[4] "Parece á Nuestro Padre que se haya usado mucha priesa en la Misa primera del P. D. Antonio sin esperar de acá respuesta ni la gracia del Jubileo, que para su primera Misa se habia pedido conforme á las letras de V. R.; pero no se piensa que el autor de la priesa haya seydo V. R. y tiénese por cierto que no habrán faltado algunos buenos motivos al que lo fué.„ Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Borja, 13 Aug.—Vide supra, n. 718, pag. 321.

cum P. Provincialem ille [1] consuluisset, non judicavit ille expedire ut id laboris tunc assumeret, cum nondum confirmatam haberet valetudinem. At cum exemplum vidisset quarumdam litterarum P. Ignatii ad P. Mironem, quibus significabat sibi displicuisse quod anno praecedenti profectionem ipsius P. Francisci in Portugalliam impedissent, cum ad illud iter Salmanticam usque progressus esset, suspicabatur merito P. Franciscus P. Ignatii voluntatem hanc fore, ut Regi morem gereret, et ita se ad iter accinxit antequam responsum P. Provincialis acciperet [2].

762. Prius tamen satisfaciendum fuit Calagurritano Episcopo, qui postulaverat obnixe ut suam ille cathedralem ecclesiam inviseret. Calagurrim ergo ipsa vigilia Resurrectionis Domini pervenit. Fuerat olim amicitia conjunctus P. Francisco, et ita eum amantissime excepit; et tam in concionando quam in confessionibus audiendis perutiliter ibidem versatus est; nam miro affectu Societatem bonus ille praelatus prosequebatur, et cum ipsius auxilio multa ad aedificationem illius ecclesiae et dioecesis facere cogitabat [3]. Vix autem credi potuisset quanta ejus civitatis commotio facta fuerit; nec quid simile ibi visum fuisse ferebatur; paces quaedam opera ipsius perfectae fuerunt, Domino adjuvante, inter viros ejus urbis primarios, in quibus Episcopus non parum laboraverat, et tamen ad effectum eas non deduxerat; quaedam etiam alia pietatis opera magni momenti inter privatas personas effecta fuerunt, ex quibus magna ad totam urbem aedificatio se extendebat. Quinque aut sex dies ibidem haesit, et in cathedrali ecclesia cum tam magno auditorio est concionatus, ut vix multitudinem templum caperet; et tam paucis diebus nullibi se vidisse tam uberem fructum affirmabat. Expetebat civitas magno cum affectu aliquos ex nostris, qui apud ipsos residerent; sed eis gratificari

---

[1] Videlicet, P. Franciscus Borgia.

[2] "Del P. Francisco hemos entendido por las mesmas letras que era ido á Medina del Campo y de allí iría al Andalucía por ventura y á Portugal. Nuestro Padre holgaría que haga aquella jornada por satisfaccion del Rey y por ayudar en lo que hay que hacer; y V. R. no le muestre otra voluntad, si no hubiese causas por donde sea cierto V R. que Nuestro Padre tendria otro parecer del que ahora tiene.„ Polancus *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 23 Sept.—Vide infra, n. 767 et *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 278.

[3] Vide *Cartas de San Ignacio*, passim, et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pag. 107.

P. Franciscus non potuit, cum sparsi jam essent per latissimam illam dioecesim fere omnes operarii, qui ex Ognatensi Collegio mitti potuerant, et P. Michaël ac P. Gaspar [1] cum magna aedificatione, praedicando et christianam doctrinam docendo et confessiones audiendo et alia pietatis opera exercendo, in Biscaiae et Navarrae locis fere sex menses perutiliter consumpserant.

763. P. autem Loarte et P. Didacus de Guzman per varios populos et urbem ipsam Sti. Dominici de la Calzada diligenter semen verbi Dei spargebant, et in animis hominum imprimebant, adeo ut in viis publicis et in domibus privatis non aliae cantilenae quam doctrinae et rerum piarum audirentur; et pueri, ab eis edocti, parentes suos docebant. Ad frequentiam etiam sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae quosdam populos adduxerunt. Alii etiam aliis in locis amplissimae illius vineae laborabant, in qua et ipsemet Episcopus, ut bonus operarius, populos per seipsum visitando, se exercebat.

764. Sed ad P. Franciscum redeundo, qui hoc anno ad Collegium Ognatense non rediit, fere decem et septem dies apud Episcopum mansit; nam ad civitatem etiam Logroniensem ejusdem dioecesis cum ipso venit. Ibi autem litteras P. Ignatii accepit, quibus ei significatum est Cardinalem Burgensem optare magnopere ut Burgis aliquandiu haereret, et ad onus illud humeris ipsius impositum ferendum se juvaret; et ita Burgos progressus est eo tempore quod superius diximus [2], scilicet, 15.ª Aprilis; nam exspectabat etiam tunc Patris Provincialis responsum de profectione in Lusitaniam [3], et interim satisfacere cupiebat et voluntati P. Ignatii et Cardinalis etiam Burgensis; et affirmabat P. Bustamante, peregrinationis socius, quod in concionibus Calagurri et Burgis habitis agnoscebat peculiare donum, quod a Domino circa praedicandi

---

[1] Tres hoc nomine Socii in septemtrionalibus his Hispaniae provinciis versabantur: P. Gaspar Loarte, recens in Societatem admissus; P. Gaspar de Acebedo, sub finem hujus anni Burgensi Collegio Rector praeficiendus; et P. Gaspar Fernandez, in eodem Collegio non multo post rhetorices lector futurus. Vide RIVADENEIRA, *Historia de la Asistencia de España, de la Compañia de Jesús,* lib. I, cap. 20, et *Cartas de San Ignacio* t. V, pag. 543. Primum, scilicet, Gasparem Loarte non cum P. Ochoa sed cum P. Guzman hoc tempore esse affirmat Polancus n. sequenti. Unde solum remanet inquirendum quis ex aliis duobus, Acebedo et Hernandez, Patrem Ochoa comitabatur.

[2] N. 717, pag. 320.

[3] Vide supra, n. 761, et infra, n. 766.

facultatem acceperat; nam actionem et affectus significationem, quae in eo prius desiderari solebant, consecutus videbatur; et ita ipsius doctrina utilius et efficacius solito in animas auditorum se insinuabat, et visa est divina bonitas id ei voluisse tribuere, ut cum tali vitae exemplo donum etiam verbi conjunctum esset. Burgis autem reliquit eum P. Bustamante ad tempus, ut quaedam alia pietatis opera in regno Toleti exerceret [1].

765. Cum ex urbe Logronio ad Burgensem veniret, et per oppidum, quod Reginae Domum vocant, transeundum esset, ubi Comes-stabilis cum Ducissa [2], uxore sua, tunc versabatur, triduo haerere debuit, nec amplius, quamvis Ducissa confiteri vellet (quoniam illa jam crebro id factitabat). Semel tamen his concionatus est cum magna Comitis-stabilis consolatione, qui cum ipso ad animae suae quietem conferre voluit multis de rebus, ad gubernationem suorum subditorum pertinentibus, et postulavit ab eodem P. Francisco librum, quem ipsum scribere id temporis intellexerat, de ratione, qua domini temporales subditos suos gubernare debeant. Quia tamen eum non absolverat, relinquendum eum ipsi non judicavit [3]. Et, Burgos perveniens, plusquam duos menses ibidem exegit, et sexdecim conciones in templis, praeter multas alias exhortationes spirituales, habuit.

766. Ibidem autem r esponsum P. Provincialis Araoz accepit, cujus sententia erat, ut diximus [4], ne in regnum Portugalliae tunc iret; et sic respondit Regis litteris quod, obedire cupiens ejus praescripto, iter aggressus fuerat, licet ex quartana febri recens convaluerat; et quod in adversam valetudinem denuo inciderat (quod alioqui verum erat), ita ut medicus cor-

---

1 Magis perspicue sic: Burgis autem ad tempus reliquit eum P. Bustamante, qui in regnum Toleti, ut quaedam alia pietatis opera ibidem exerceret. profectus est.

2 Ducissa de Frias. Vide supra, t. II. pag. 318.

3 Sermo est de opere, quod inscribitur: *Instruccion para el buen gobierno de un Señor en sus Estados, dirigida al Excelentisimo Señor D. Carlos de Borja, Duque de Gandia.* Id operis scribere aggressus erat P. Franciscus Borgia 22 Januarii anni 1552.— Exstat hispanice, prout a P. Borgia confectus fuit, ad calcem operis *Vida del Santo Padre y gran siervo de Dios, el B. Francisco de Borja,* por el P. JUAN EUSEBIO NIEREMBERG; latine autem in *Sancti Francisci Borgiae, Societatis Jesu tertii Praepositi Generalis, Excellentissimi quondam Gandiae Ducis, Opera omnia,* quae Bruxellis edidit Dr. D. Franciscus Borgia, ex Sancti Ducis stirpe pronepos, anno MDCLXXV.

4 Supra, n. 761, pag. 343.

poris facultatem ei ad hoc iter faciendum negaverit, donec vires resumeret; sed medicum spiritualem hoc praescribere, quod, si ipsi videretur Regi hanc debilem ipsius valetudinem labori et periculo exponendam, id omnino fieret; et ita se paratum ad ejus jussionem offerebat. Perseveravit aliquot dies, post has litteras scriptas, Burgis, et quibusdam spiritualia exercitia tradidit. Casum etiam quemdam ad pastoris conscientiam pertinentem, non exigui momenti, tractavit ac decidit. Et cum mulier quaedam, quae, propter odium quoddam intimum, ad confessionem accedere nolebat, a Domino Ferdinando de Mendoza ad ipsum missa esset, Deo adjuvante, disposita fuit ut, odio a se abdicato, confiteretur.

767. Simul cum responso de profectione in Portugalliam excusanda, per litteras suas Pater Araoz scripserat Patri Francisco ut statim in Collegium Ognatense rediret, quandoquidem litterae P. Ignatii non ipsum ulla obedientia obligarent ut, scilicet, Burgis aliquandiu commoraretur. Et quamvis P. Franciscus intelligebat ad suam consolationem haec a P. Provinciali scribi, nihilominus, cum litteras accepisset a P. Ignatio, quibus secundo idipsum significabatur, ut aliquandiu Burgis Cardinalem absentem sublevaret, existimavit P. Franciscus non obedientiam tantum, sed ipsam voluntatem Patris esse exequendam, immo eo magis ad eam implendam teneri, quo suavius ea insinuabatur, nullo praecepto addito. Judicabat etiam suo in spiritu coram Domino hujusmodi discursus extra illud Collegium Ognatense juxta P. Ignatii mentem esse; quamvis, cum Provincialis aliter sentire videretur, in dubitationem aliquando ducebatur [1].

768. Cum adhuc Calagurri ageret [2], P. Franciscus de Rojas, Caesaraugusta profectus, ad eum pervenit. Perturbatus is accesserat, quod a P. Ignatio litteras accepisset, quibus significabatur studium litterarum ipsi suscipiendum esse ut ad professionem Societatis admitti posset. Sed consolatus illum est P. Franciscus, et ad perseverandum in vocatione animavit, et ut in Collegium Ognatense veniret, cum primum ipsius loco

---

[1] Haec, quae subobscure dicta sunt, perspicua fient litteris Patris Francisci Borgia et Patris Araoz.

[2] P. Franciscus Borgia.

alius Caesaraugustam missus esset, ut, juxta praescriptum P. Ignatii, litteris daret operam [1].

769. Et quia suggerebatur a quibusdam collegium e civitate Caesaraugusta educendum esse quod nec domum nec dotationem idoneam haberet, supplicavit idem P. Franciscus P. Ignatio per viscera misericordiae Dei nostri ne ea de re ageretur, affirmans quod ex Comitissa Rivagorzae, sorore sua, intellexerat opera Societatis fructum ibi uberem provenire; conciliatam esse totius urbis benevolentiam, et ipsum Archiepiscopum magis quam solebat fautorem effectum esse, et jam fere duo millia ducatorum ad domum emendam nostri se habituros dicebant; locum autem magni momenti esse; et si tunc desereretur, non facile rem Societatis eo perduci posse quo tunc pervenerat [2]. Fatebatur idem P. Franciscus gratum sibi esse collegia super debili etiam fundamento inchoare in magnis locis, in quibus coepta augeri possunt; et ita, cum P. Bustamantem Toletum misisset ad quaedam pietatis opera, ut superius diximus [3], eidem commendavit ut, de inchoando in illa insigni civitate collegium, videret num aliqua se ratio offerret.

770. Majo mense Doctor Vergara, magistralis Conchensis canonicus, de quo saepius mentio facta est, Burgos ad P. Franciscum venit, qui spiritualia exercitia in domo quadam Comitis-stabilis extra urbem (quam [4] *de la Vega* vocant) ei per viginti dies tradidit, cum eximio profectu spirituali; et generalem vitae confessionem fecit, et in electionibus a Deo peculiariter adjutus est, nec ullo modo vocationi Dei resistere volebat.

771. Accepit deinde secundas litteras a Rege Portugalliae, quibus ei significabat quod cuperet quidem ut magnam haberet valetudinis rationem; sed cum illa id permitteret, adventum ipsius in illud regnum se exspectaturum, cum impedimentum cessasset. Eo tempore intellexerat P. Franciscus adventum P. Natalis in Portugalliam; et quia per Methymnam Campi

---

[1] Vide infra, n. 806.

[2] "Sobre el P. Rojas se escribe de parte de Nuestro Padre lo que por la copia verá aquí V. R.; y cuanto á Zaragoza, si los nuestros han de quedar, menester sería otro recado del que hay al presente. Parece que la Sra. Condesa de Rivagorza habla harto largo, pero allá se verá más de cerca lo que se ha de creer, y consiguientemente de hacer." Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.—Vide infra, n. 807.

[3] Supra, n. 764, pag. 345.

[4] Domum.

transeundum illi esse opinabatur, eo se conferre constituit, ut agere cum eodem posset, an eo tempore, quo negotia Societatis ipse P. Natalis in Portugallia tractaturus esset, ipse P. Franciscus, hac occasione accepta, quod a Rege vocabatur, utiliter ei assistere posset. Et magis ad id movebatur, quod litteras a primario quodam viro illius curiae acceperat, quibus ei significabatur res Societatis auxilio [ejus] indigere [1].

772. Ante tamen quam ex Episcopatu Burgensi recederet, in locum quemdam *Palacios* [2] nuncupatum, tribus leucis Burgis distantem, venit, ubi monasterium quoddam erat monialium Episcopo subditarum, cujus visitationem cum recusarent, ad Consilium Regium, quasi vim patientes, appellaverant; et ita se subtrahere obedientiae sui Episcopi nitebantur. Curavit autem P. Franciscus, quacumque ratione potuit, ut suum illae officium facerent; et res eo deducta est, ut moniales se Episcopo subderent, et ab ejus visitatore leges convenientes ad rerum spiritualium et temporalium reformationem admitterent.

773. Et sic progressus est in itinere coepto et Methymnam venit, ubi ea, quae de Methymnensi Collegio diximus, gesta sunt. Hoc tantum hic addam, quod cum Domino Roderico de Dueñas effecit P. Franciscus ut reditus quosdam, promissos quidem, sed quos non assignaverat, nostro Collegio firmos assignaret, scripto propriae manus id contestans. Domum etiam aliam contiguam situi, quem donaverat, ab eodem obtinuit et formulam illius collegii, quam diximus cum P. Bustamante factam, eo consilio misit, ut, si idea P. Ignatio probaretur, secundum illam alia nova aedificia fieri possent. Comes Feriae [3] ibidem invisit P. Franciscum cum P. Antonio de Cordova, et quia aedificium ex eleemosynis conficiebatur, centum ipse aureos ad opus illud prosequendum in eleemosynam reliquit. Dum ibidem versaretur P. Franciscus, rediens ex Portugallia Romam versus P. Simon, aliquot dies cum mutua conso-

---

1 Vide infra, n. 775.

2 Palacios de Venaver.

3 D. Gomez Suarez de Figueroa, secundo loco natus ex Laurentio Suarez de Figueroa et Catharina Fernandez de Cordoba, nunc Comes quintus, sed ab anno 1567 Dux de Feria. Hic ille est, Ignatii observantissimus et Patri Rivadeneira valde familiaris, necnon Philippo II Hispaniarum Regi, de quo usque ad annum 1571, in quo obiit, frequens in *Historia Societatis* occurrit mentio.

latione ibidem substitit, et P. Ignatio [1] supplicavit ut qua solitus erat benignitate eum [2] exciperet.

774. Urgebat Marchionissa de Pliego negotium Collegii Cordubensis, et P. Francisci ac filii sui adventum in Baeticam exoptabat; nec sine nova occasione, cum post mortem primogeniti sui Comitis Feriae [3], ejus, de quo nunc mentio fiebat, fratris, ejus uxor in monasterium monialium consiliorum Christi sectandorum desiderio ingressa est; et ita novus Comes de Feria obnixe rogabat P. Franciscum, ut cum P. Antonio de Cordova ad Marchionissam in Baetica accederet. Dignitatem quamdam primariam et canonicatum habebat idem P. Antonius de Cordova cum Societatem ingrederetur, et permutare cum simplicibus beneficiis ad ejus collegii dotationem cupiebat [4]. Interim autem, dum hi reditus auctoritate apostolica applicarentur, obtulerat Marchionissa quantum satis esset ad praeceptorum novarum scholarum Cordubae, et aliorum, qui de Societate eo mitterentur, sustentationem, praeter reditus dignitatis jam dictae, quibus, etiam ante permutationem, novi collegiales frui poterant. Civitas etiam ipsa offerebat fere tria millia ducatorum ut aedificium inchoaretur; sed et ipsa Marchionissa situm egregium, in quo collegium aedificaretur, obtulerat, facultate a Principe obtenta, ut a suo majoricatu illud membrum avelleret. Interim autem, dum aedificabatur collegium, P. Antonius de Cordova domum habebat commodam, ubi nostri possent Cordubae divertere. Designati sunt itaque lectores cum reliquis ad inchoandum collegium necessariis; et initio quidem litteras humaniores et rhetoricam profiteri dumtaxat, sed in posterum facultatum superiorum lectiones esse addendas, facile conjiciebatur. Cum autem Marchio de Sarias [5], Imperatoris Legatus, Romam mitteretur, illi negotium

---

1 P. Franciscus Borgia.

2 Patrem Simonem Rodericium.

3 Hic, ex Laurentio et Catharina supra dictis primogenitus, dicebatur Petrus Fernandez de Cordoba et Figueroa. Obiit (BURGOS, *Blason de España,* t. III, pag. 13) anno 1551, eique successit supra nominatus Gomez. Petri uxor "Ana de la Cruz, hija de Don Rodrigo Ponce de Leon y D.ª María Tellez Giron, primeros Duques de Arcos..., tomó el hábito en el Monasterio de Santa Clara de Montilla, donde vivió muchos años y murió en opinion de santa en 1601 (BURGOS, l. c. pag. 13).

4 Quaenam haec fuerint beneficia habes in *Synopsis Actorum Sanctae Sedis in causa Societatis Jesu,* pag. 20, n. 5.

5 Sic; est autem Marchio de *Sarria*.

commiserunt unionem impetrandi fere octingentorum ducatorum a Summo Pontifice; et Princeps Hispaniarum litteras addidit ad id impetrandum; quae omnia Marchionissae et filiorum ejus sollicitudo curabat.

775. Cum igitur de profectione P. Francisci Cordubam versus ageretur, interim dum exspectabatur a P. Natali responsum, quem consuluerat P. Franciscus de sua in Portugalliam profectione (id enim, cum Methymnae esset, faciendum sibi censuit, quia fortassis cum Commissarius esset P. Natalis et plenam haberet facultatem, non erat quod amplius Rex Portugalliae adventum ipsius P. Francisci desideraret [1]), interim, inquam, dum ibat nuncius et responsum referebatur, rebus methymnensibus, ubi fere mensem exegit, satis bene constitutis, Salmanticam ire decrevit. Jam enim tum aliis in locis, tum etiam domi, in atrio ipsius, quo multi conveniebant, saepe concionatus fuerat. Ante tamen quam inde recederet, ex oppido Tordesillas venerant ad eum invisendum Episcopus Ovetensis et Comes de Lerma, ipsius [2] gener; et Episcopus quidem magnum desiderium instituendi collegii in sua civitate ostendebat, et se diligenter id curaturum recepit.

776. Profectus ergo Salmanticam, duodecim dies ibidem exegit, ut cum de Salmanticensi Collegio ageretur, diximus. Hoc tamen addam, quod cum concionem de Transfiguratione Domini ibidem haberet, magna nobilitate et clarissimis Universitatis viris praesentibus, visus est seipsum superasse; nec melius unquam, sive doctrina, sive actio et spiritus consideretur, fuisse concionatus; et ita cum magna commotione et satisfactione fuit auditus; et a tam multis conveniebatur ut, cum pro sua benignitate nemini suam operam vellet negare, vix ad cibum capiendum tempus haberet; sed ut aliorum consolationi consuleret, quivis ei labor facilis videbatur.

777. Inter multos, qui ejus opera valde commoti fuerunt, quidam Dominus Josephus de Guevara, spiritualia exercitia ab eo accipiens, quamdiu Salmanticae fuit, ad Societatem animum adjecit; quamvis usque ad reditum ipsius ex Portugallia executionem distulit. Quidam etiam theologiae professor ad

---

[1] Vide supra, n. 771.
[2] Patris Francisci Borgia.

hoc ipsum valde commotus fuit; duo etiam alii, quorum alter sacerdos erat et cantaber, et alii quidam Societatem ingredi constituerunt, quorum unus theologus erat. Sed aedificationi magnae fuit, quod monialis quaedam ordinis Stae. Clarae, cujus magna ratio in ea urbe habebatur, quae monasterio egressa fuerat obtentis quibusdam Apostolicis litteris, P. Francisci opera ad illud rediit. Comitissa Montis Regii et aliae nobiles foeminae rogaverant P. Franciscum ut eam alloqueretur; quia multi religiosi et graves homines id frustra tentaverant; sed in primo congressu usque adeo persuasione P. Francisci mota fuit, ut ab eo postulaverit ut suam confessionem generalem audiret; quo impetrato, perlibenter ad suam rediit religionem; quae res magni fuit aestimata Salmanticae, quod ab aliis obtineri non potuerat.

778. Dum esset Salmanticae, responsum a P. Natali accepit, quod Joannes Paulus, itineris socius [1], tulit, litteras Reginae [2] simul afferens, quae significabant Regi gratum fore si P. Francisci adventus non amplius differretur. Hanc quasi tertiam jussionem Regis accepit, et, accedente exhortatione P. Natalis, se ad iter statim accinxit [3], et Marchionissae de Pliego visitationem et Cordubensis Collegii initia rejecit in reditum regni Portugalliae; et interim P. Antonium de Cordova ad Marchionissam, matrem ipsius, et ad res praeparandas in Baeticam praemisit, quem P. Franciscus Villanova ex praescripto P. Provincialis ac P. Francisci [Borgia] consecutus est, ut cum ageretur de Collegio Complutensi diximus. Et cum quindecim fere dies Salmanticae exegisset, versus Lusitaniam profectus est, et Conimbrica iter agere constituit, quamvis non sine dispendio itineris id fieri poterat, quia in reditu brevior erat via per civitatem Evorensem Cordubam versus.

779. 16.ª Augusti, Salmantica recedens, in urbem, quae vulgo *Ciudad Rodrigo* dicitur, pervenit; et quamvis occulte illac transire cogitaverat, latere non potuit aliquos viros nobiles, qui ad diversorium statim accedentes, ad se reduxerunt,

---

1 Itineris socius Patri Natali.

2 Reginae Portugalliae.

3 "Lo que hay que decir es que, si V. R. juzga que conviene la venida del P. Francisco á Portugal, atento que el Rey se lo escribió y por las ocurrencias de allá, se lo haga saber por una letra que es la mente de Nuestro Padre, y no dudo que luego vendrá.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Natali, 23 Sept.

et Episcopo Domino Petro Ponce id renunciarunt, qui statim ad invisendum P. Franciscum venit et deducere domum suam voluit; sed rogavit P. Franciscus ne hospites deserere cogeret, qui cum magna charitate eum exceperant; et quamvis id permisit Episcopus, missis ex domo sua donis, ad refectionem idoneis, suam benevolentiam testatus est. Contendebant ut ibi octo vel decem dies subsisteret; sed quia properabat, ibi unum tantum diem substitit, in quo viros aliquos primarios invisit, inter quos erat frater Episcopi Zamorensis, morbo laborans. In domibus, quas ingressus est, spirituales exhortationes, ut ejus socius [1] scribit, admirandas habuit, quibus tantopere omnes commovebat, ut ipsum sequi velle viderentur. Solus ipsius aspectus, quocumque pergeret, multum aedificationis praestabat. Sciebant enim ex Ognatensi Eremitorio eum venire; et, postquam habitum mutaverat, eum non viderant; et facile cernebatur quod status ille humilitatis multo majorem venerationem et aedificationem omnium [ei conciliabat], quam quaevis alia dignitas, etiam Cardinalitia, ei conciliare potuisset. Sed nulla ratione ille hujusmodi hominum admirationibus commovebatur, qui in profunda cognitione sui et annihilatione coram Deo incedere semper conabatur.

780. Ex Civitate Roderici profectus Conimbricam in vigilia D. Bartholomaei pervenit cum P. Bustamante socio et quodam alio studioso, qui Salmanticae, post exercitia spiritualia, Societatem ingredi decernens, Conimbricam, ut ibi admitteretur, venit. Magna cum hilaritate a nostris omnibus eo in Collegio fuit admissus, et dominica sequenti in templo collegii concionatus est, quod magnum non erat; sed quotquot capere poterat, et multi etiam extra illud, eum audierunt; et inter auditores multi ex praecipuis lectoribus Universitatis fuerunt, qui omnes magna consolatione spirituali perfusi recesserunt. Mansit in eo Collegio sex dies, in quibus post prandium et coenam spiritualia colloquia habuit de excellentiis animae Christi, ut ad imitationem earum nostri studerent, quod omnibus et instructionis et commotionis magnae causa fuit, et puncta scripta retinuerunt. Retulit etiam non exiguam consolationem P. ipse Franciscus, cum unionem animorum in omni-

---

[1] P. Bartholomaeus Bustamante.

bus fratribus magnam observaret, licet numero multi essent; et hoc prae caeteris aedificationem dedit P. Francisco, quod Rector, qui tunc erat P. Leo Enriquez, ei retulit pridie quam recederet, quaesivisse se aliquem tentatum vel perturbatum inter collegiales ut ipsi curandum et tractandum offerret, et nullum se talem in toto Collegio invenisse.

781. Ulyssiponam inde pervenit ultima die Augusti, ubi cum fratribus collegialibus eamdem tenuit rationem quam Conimbricae. Cum enim avide ipsum exspectarent, et a Conimbricensibus, quae apud ipsos tractaverat, accepissent, de eisdem apud se agi impetrarunt. Agebat eo tempore P. Michaël Torres [Ulyssiponae]; P. autem Natalis et Miron agebant [Eborae] [1], quo statim missus est quidam ex fratribus, qui adventum P. Francisci eis significabat. Eodem die, quo Ulyssiponam pervenerat, missus est a Rege vir quidam nobilis [2] ut suo nomine eum salutaret; misit et alium Regina ad hoc ipsum; et nomine Principis Joannae venit Dominus Petrus de Mascaregnas, magister domus; et demum nobilissimi quique ex curia Regis Portugalliae ad eum salutandum, et de adventu gratulandum, venerunt; inter quos fuit Archiepiscopus Ulyssiponensis, Dux Averi, et Nuncius Apostolicus, et duo fratres Ducis Bergantiae; qui omnes magnam animi laetitiam ex ejus adventu significabant. Egit autem cum Domino Petro Mascaregnas, magistro domus Principis, ut sibi significaret, cum opportunum videretur, ad Regem salutandum accedere; nec enim ante quam vocaretur eundum sibi censebat.

782. Cum ergo diem unum, postquam accesserat, conquievisset domi, et visitantes excepisset, postridie a Rege in palatium fuit evocatus. Cum autem in ejus cubiculum ingressus esset, in quo tunc etiam erat Regina, insolito cum honore ab eis exceptus est; nam, surgens Rex et Regina, aliquot passus ei obviam processerunt, cum Rex caput etiam apertum haberet, quem honorem nulli ex magnis Dominis, etiam Ducibus, exhibere Reges solent. Sed non ut qui fuerat Dux Gandiae,

---

1 Verba *Ulyssiponae* et *Eborae,* quae Polanci librarius praetermisit, fortassis quia, dum haec *Chronici* pars exarabatur, nondum certo comperta erant, nos, ut sententia plena sit et perspicua, ex contextu ea depromentes, inseruimus. Vide infra, n. 958.

2 Petrus de Carvalho. Vide CIENFUEGOS, *Vida de San Francisco de Borja,* lib. IV, cap. 7, § 1.

sed Dei servum, qui Ducatum contempserat, exceperunt. Cum hac autem Regum benignitate certabat humilitas P. Francisci, cui cum sedem attulissent coram Regibus, et illi urgerent ut sederet, numquam id admisit; quin potius, genibus flexis, prout Principes illos alloqui etiam religiosi solent, loqui cum eis voluit; et hoc aliquo modo commodum ipsi erat, cum surdaster esset aliquantulum. Sic enim, cum magis accederet, melius Reginam audiebat. Post verba ergo magnae humanitatis ab illis Regibus dicta, qui gratias egerunt de labore, quem ad eos invisendos susceperat, postquam aliquandiu mutuis colloquiis ultro citroque variis de rebus egissent, dixit Rex se ferre non posse amplius ut sic genibus flexis maneret; et ita ei praecepit ut surgeret et Principem Joannam inviseret, quae in inferiori parte palatii habitabat; et ita, per ipsammet Regum habitationem, ad cubiculum, ubi erat Princeps Domina Joanna, deductus est, quae de ipsius adventu mirum in modum laetata est, et voluit et praescripsit ut fere quotidie ipsam inviseret; et aliquando bis et mane eum accersebat. Sed postquam primo illo die ab ipsa se expedisset, ad Infantas Dominam Mariam et Dominam Isabellam progressus est, et a singulis earum tam amanter et humaniter est exceptus, ut vix dici potest a qua melius. Invisit etiam Infantem Ludovicum [1], Regis fratrem, non solum animi magnitudine sed pietate insignem, qui familiariter admodum de suis rebus cum P. Francisco contulit, et bis idem ad collegium nostrum accessit, de rebus suae conscientiae cum eo confidenter et amanter agens, et cogitasse id temporis creditur et cum P. Francisco egisse de suo in Societatem ingressu, ad quam valde propensus erat. Multis autem sacrificiis et orationibus id Domino commendatum fuit, cum P. Franciscus id a P. Ignatio, persona tamen non nominata, postularet; sed visum est divinae bonitati ad coelestem Societatem Principem illum prius vocare quam hoc propositum exequeretur aut publicaret.

783. Eodem die, quo P. Franciscus Ulyssiponam venerat, misit Rex ad Rectorem Collegii nostri quemdam suae domus officialem, ut ab eo intelligeret quae in usum P. Francisci et so-

---

[1] De iis, quae ad Ludovicum, Portugalliae Principem, spectant, videndi, praeter *Cartas de San Ignacio,* TELLEZ ET CIENFUEGOS.

ciorum ejus necessaria aut commoda essent; et ita quotidie diligenter de his providebat, immo toti domui. Sed Regina seorsum prandium praeparatum quotidie nihilominus mittebat, et tantumdem Princeps Joanna; nec resisti his Principibus poterat, quamvis non ut religiosis conveniebat, sed ut Principes decebat, id facerent. Idem etiam Infantae Domina Maria et Domina Elisabeth; et quamvis P. Franciscus semper eodem victus genere, et in diversorio et inter has Principum [delicias] uteretur, uno vel altero ferculo semper contentus; haec tamen benevolentiam principum erga ipsum significabant; et quia intellexerant quadam corporis valetudine adversa P. Franciscum a longo tempore laborare, statim primarium suum medicum miserunt, et ei diligenter commendarunt ut magnam salutis ejus rationem haberet; et quia Regina intellexerat in quadam cella communi P. Franciscum collocatum fuisse, quae non erat alio modo ornata quam reliquae, misit ad socium ejusdem Patris papilionem [1] quemdam ex panno confectum; et dicebat se non Patri Francisco sed pulveri et vento, qui in ejus cella versabantur, illud se propugnaculum mittere; et non se mittere aureum vel sericum quod sciret a P. Francisco non esse admittendum. Et eo usque charitas Reginae descendebat, ut cum die sabbati jam noctu intellexisset P. Franciscum paululum impegisse capite in quodam ostio nostri Collegii, misit statim ut intelligeret quidnam illud esset; et cum intellexisset tumorem exigui momenti esse, statim ea ipsa nocte pileolum quoddam suffultum linea tela confici jussit, ut sub alio pileo illum P. Franciscus ferret. Et cum illa eadem nocte mitteret per nuncium, significavit quod die lunae quosdam alios esset missura. Quae sigillatim prosequutus sum, ut charitas Reginae et sollicitudo erga illum Dei servum cernatur; qui tamen otiosus Ulyssiponae non fuit.

784. Semel aut iterum quotidie evocatus ad palatium, cum pedes iret ac rediret, novem millia passuum in eundo et redeundo conficiebat, quos ille Deo omnes offerebat. Quotidie exhortationes spirituales et colloquia utilia et ad aedificationem pertinentia habebat; et tam laeto animo toto illo in palatio

---

1 Conopeum, hispanice *pabellon,* italice *padiglione, padiglione da letto;* velum circa lectum, ad arcendos praecipue culices, positum.

excipiebatur, ut quodammodo dilatari cor hominum cerneretur ad ipsius adventum; ad quod etiam hilaritas vultus ipsius invitabat, in qua illi magnum sanctitatis indicium se cernere dicebant. Ejus etiam humilitas et affabilitas, qua omnibus se subjiciebat, summopere eum amabilem reddebat. Nec mirum; cum, egrediens a Rege, qui aperto capite eum excipiebat, si cocum domus ipse alloqueretur, perinde ac aequalem sibi, aperto nihilominus capite, eum alloquebatur. Cum ad hanc animorum dispositionem exhortationes, consilia sana et doctrina salutis accederent, cernebatur eo in palatio insignis mutatio ac vitae in melius mutandae desiderium.

785. Anno praecedenti, cum in civitate Castellae (quam Torum vocant) P. Franciscus Infantem Joannam, quae postea Princeps Portugalliae, quod Principi nupsisset, dicta est, inviseret, curaverat ut chartarum ludus ab ejus palatio ablegaretur; nam plus satis ibidem usu inoleverat; tuncque, saltem ut id persuaderet facilius, receperat se ludum alium esse edocturum meliorem. Memor autem Princeps Joanna pollicitationis illius hoc tempore, postulavit ab eo ut fidem suam liberaret, quod P. Franciscus fecit, et chartas quadraginta octo sine ulla pictura accipiens, in viginti quatuor ex eis, viginti quatuor virtutes describi jussit, et in aliis viginti quatuor totidem vitia.

786. In chartis autem, quae titulum virtutis alicujus habebant, sententiam aliquam in commendationem ejus virtutis scribi jussit, et inferius dictum aliquod, quod ille diceret, cui talis charta obvenisset, quo confundi se significabat ob illius virtutis defectum; in aliis autem chartis, quae titulum vitiorum habebant, sententia brevis continebatur ad execrationem ejus vitii vel damni, quod ex eo manabat; et inferius dictum quoddam erat, quod contra se ipsum is, cui charta obtigisset, dicere debebat, quod in tali vitio se occupasset. Cum ergo ludebant, ea pars, quae plures virtutes in suis chartis habebat, vincebat; quae plura vitia, perdebat; et singuli alta voce dicere debebant quae in inferiori parte chartae scripta erant, ad sui confussionem quod tale vitium habuissent. Cum ergo Princeps Joanna ludere cum suis virginibus et aliis matronis nobilibus coepisset, aderat infans Ludovicus; et quidem magna cum devotione, ut si concionem egregiam audivisset, assistebat et laudabat. Ipsa etiam Princeps mire hoc ludo delectari coepit, sicut et

aliae, cum ludo seria admiscebantur; et quia publice dicta illa, ad mortificationem pertinentia, referre tenebantur, qui vincebantur, non minus vinci timebant, nec minus qui vicerat laetabatur, quam si multum pecuniae per victoriam aut amisisset aut lucraretur. P. autem Franciscus, qui aderat, seria, ut dixi, admiscebat, ut quomodo se haberet qui cum tali aliquo vitio moreretur; non enim ad sui mortificationem tantum hujusmodi verba dici sed ne mors illis aeterna subeunda esset. Regina curavit ea omnia dicta ex hujusmodi chartis transcribi ut similes chartas confici juberet. Petiit etiam Princeps Joanna ut aliae quadraginta octo chartae cum differentibus vitiis et virtutibus conficerentur, ut sic omnes virtutes exercere et omnia vitia detestari discerent.

787. Ipso die Natalis B. Virginis sortes quasdam instituit idem P. Franciscus, quas Princeps Joanna cum suo comitatu educeret; et in multis chartulis nomina virtutum B. Virginis seorsum continebantur; alio in loco chartae cum singulis nominibus omnium continebantur. Ex uno ergo loco nomen educebatur personae, ex alio nomen virtutis; et, quod sub ea scriptum erat, tenebatur exequi per totam octavam B. Virginis ea, cujus nomen eductum fuerat. Erant autem illae orationes breves ac devotae, quae tantopere et delectabant et juvabant nobiles illas foeminas, ut singulae suas sententias exscribi curarent in suis libris horariis, ut semper eas dicerent; et Regina ipsa exemplum etiam horum habere voluit et Infans Domina Maria, adeo ut quodammodo de nulla re alia in palatio loquerentur. Gaudebat autem in primis Rex, quod videbat post adventum P. Francisci magnopere laetam Principem Joannam cum ipsius comitatu esse, quia eatenus, forte ob mutationem provinciae et mores gentis diversos, aliquo modo eam [laetitiam] non ostenderat.

788. Concionatus est idem P. Franciscus tam Principi Joannae quam etiam Reginae in palatio; et ipsa in octava Nativitatis B. Virginis [1] communionem ministravit Principi; et cum Sanctissimum Sacramentum in manibus teneret, brevem concionem habuit, declarans quis esset is, quem manibus te-

---

[1] *in hoc festo* Smae. Virginis. Polancus paulo infra.
otro dia. CIENFUEGOS, l. c., lib. VI, cap. 7, § 2.
aquel dia del Nacimiento de la Madre de Dios. NIEREMBERG, lib. II, cap. 24.

nebat, et quis homo, cui se communicabat; et tantopere ad devotionem circumstantes movit, ut pauca verba instar multarum concionum fuisse dicerentur. Occasio hujus communionis fuit quod, cum intelligeret sortes placuisse Principi Joannae, postulavit ab ea et ab ejus comitatu ut ad compensationem boni illius operis, quod eis navaverat, omnes confiterentur et communicarent in hoc festo S.mae Virginis; et ita tam ipsa Princeps quam domus ejus fere tota id fecerunt. Voluit autem Princeps in scriptis habere colloquium illud spirituale, quod ad ipsam habuerat, cum teneret corpus Christi in manibus. Infantibus etiam D. Mariae ac D. Isabellae, id postulantibus, de re eadem verba facere debuit; et omnes in scriptis habere voluerunt aliquas considerationes, quas ipsis P. Franciscus proposuerat. Et illis diebus in palatio vix alia de re, quam de pertinentibus ad devotionem excitandam, agebatur. Nam praeter chartarum serium ludum et sortes, et ipsius P. Francisci exhortationes, etiam ipsius socius P. Bustamante conciones varias ac exhortationes illo in palatio habuit; et ex nobilibus foeminis aliae aliis, quae acceperant, communicabant, et de vanitate rerum hujus saeculi sic sentiebant et loquebantur, ut non deesset aliquis ex procuratoribus Satanae, qui obviam ire nimiae sanctitati vellet.

789. Paulo amplius quam mensem unum P. Franciscus Ulyssiponae exegit; quo tempore, princeps Joanna et ejus comitatus consuetudinem confitendi, partim octavo, partim decimo quinto quoque die, susceperunt; et palatium illud ingredi eo tempore religiosam quamdam domum ingredi erat; alias confitentes inveniebant, alias orantes, alias de rebus Dei loquentes; et magna desideria ipsi serviendi omnes prae se ferebant. Et quia inconstantia in omnibus, sed in sexu foemineo peculiari quodam modo, locum habere solet, curavit P. Franciscus ut haec consuetudo firmaretur, suo loco aliquem relinquendo, qui bene coepta prosequeretur; et ita prius cum ipsa Principe Joanna, deinde cum Regina convenit ut aliquis ex Societate nostra, singulis dominicis diebus et festis post meridiem, eo se conferret, ut nobiles illas virgines et alias matronas ac domesticas omnes christianam doctrinam doceret; et ante recessum ipsius P. Francisci haec consuetudo ad praxim aliquot diebus dominicis et festis deducta fuit; et omnes liben-

tius ad hujusmodi doctrinam accedebant, quam ad alia spectacula vana ire solitae fuerant; et videbantur deflere id tempus quo hac doctrina Patrum Societatis Jesu caruerant; et miro affectu charitatis erga Societatem se propensas ostendebant.

790. Bis hoc tempore in ecclesia nostri collegii concionatus est [1]; bis etiam coram Rege et Principe Joanna; et ne saepius id faceret, charitas illorum Principum efficiebat, qui laborem injungere eidem Patri, cujus imbecillam valetudinem sciebant, non nisi moderatissime volebant. Ipse tamen tantum aberat ut hujusmodi laboribus pejus haberet, ut potius ad valetudinem ac vires augendas facere viderentur; et ab aliis laboribus, quos curia secum afferebat, hac ratione conquiescere videbatur. Hoc clare satis Burgis visum est; cum adhuc quartanae reliquias haberet, concionando et varias exhortationes spirituales et colloquia habendo, illas a se expulit. Id rogabat P. Ignatium eo tempore, quo in Portugallia versabatur, per suas litteras, ut Dominum rogaret ne quid ex Aegypti pulvere ipsi adhaereret. Aliqua etiam spiritualia exercitia Principi Joannae proposuit. Rex etiam ipse, non verbis tantum, sed rebus ipsis, suam benevolentiam erga Societatem ostendit, ut, cum agetur de Portugalliae rebus, dicemus. Et certe, propter tempestatem, qua jactati nostri fuerant in illo regno, opportune admodum P. Franciscus in illud venit, qui demum, bona cum venia Regis et Reginae et reliquorum, quinta die Octobris Ulyssipona recessit Cordubam versus.

791. Sed cum Ebora transeundum esset, ibi a nostris amanter exceptus est, nec exiguam ipse consolationem accepit. Quamvis autem noctu Eboram pervenisset, praemonitus ab Infante Cardinali Rector Collegii, ei adventum P. Francisci significavit, et nomine ipsius P. Francisci percunctatus est an gratum ipsi foret, si eadem nocte ad ipsum salutandum accederet. Sed Cardinalis ad eum misit qui congratularetur de ipsius adventu; et ea nocte noluit ut laborem se invisendi subiret; si tamen die sequenti, qui dominicus erat, concionari in cathedrali ecclesia vellet, se libenter eum auditurum. Die igitur sequenti, antequam ad suggestum conscenderet, ad Cardinalis domum, quae summo templo vicina erat, ivit, ut

---

[1] P. Franciscus Borgia.

ejus benedictionem acciperet, qui, magna cum charitate et sua etiam consolatione, P. Franciscum vidit et allocutus est. Sed inde P. Franciscus ad ecclesiam accedens, egregiam habuit concionem, si unquam alias; et Cardinalis et reliqui canonici et auditores, qui frequentissimi aderant, et templum alioqui magnum implebant, eo audiendo multum consolationis spiritualis acceperunt. Statim post praedicationem ad Cardinalem, qui ex cortina [1], Principum more, audiebat, se contulit, et ibidem aliquandiu simul locuti sunt; sed, post prandium fusius locuturi, sejuncti sunt. Et quamvis ad domum Cardinalis iturum se receperat, ut ab eo benedictionem et recedendi facultatem acciperet, praevenit eumdem Cardinalis, ad collegium nostrum veniens, et totum fere illud pomeridianum tempus P. Franciscum mutuo in colloquio detinuit. Ivit deinde ad novum collegium, quod ibi tunc aedificabatur a Cardinali, videndum, quod potius ipsum Cardinalem decere quam paupertatem Societatis videbatur, cum opus magnificum, et non sine magnis sumptibus, extrui cerneretur.

792. Recedens Ebora nona die Octobris Cordubam versus, quo properabat, ad oppidum Ducis Bergantiae, nomine *Villaviciosa*, se convertit; prius tamen quam Ebora recederet, duos viros nobilissimos, qui pater et filius erant, amicitia olim P. Francisco conjuncti in aula Imperatricis, cui fllius, Georgius de Mello dictus [2], servievat. invisit, qui jamdiu morbo gravi tenebantur, membris ac praecipue pedibus capti. Tantum autem illi laetitiae ac consolationis ex aspectu P. Francisci ceperunt, ut Georgius, qui diu (ut dictum est) decubuerat surgere ex lecto tentaverit, quod et fecit; et aliqua spiritualia colloquia apud patrem et filium habuit, eos ad patientiam exhortando, quae mirum in modum eorum animos moverunt; et statim Georgius de Mello confessus est, et se ad communionem praeparavit; nam visitationum etiam officiosarum hic fere finis erat, ut eos, quos invisebat, in spiritu adjuvaret.

793. Ad Ducem ergo Bergantiae se inde contulit; nam,

---

[1] Ex eminentiori ornatiorique loco, qui Cardinali, ut Regibus Principibusque fieri honoris gratia solet, in templo erat assignatus. Ornatur autem hic locus umbella pensili, quae hispanice *cortina* dicitur; unde locutio haec *ex cortina, desde la cortina.*

[2] "Jorge de Melo, honra de su siglo y fiel amigo del Santo (Francisco de Borja)." Cienfuegos, l. c., lib. iv, cap. 7, § 4, qui rem hanc paulo aliter quam Polancus describit.

simul atque adventum P. Francisci Ulyssiponam ille intellexerat, ad eum salutandum et animi promptitudinem ac obsequium eidem praestandum misit, rogavitque ut in reditu suo versus Cordubam, quando prope ipsius ditionem transiturus erat, eidem significaret, ut, in itinere ei occurrendo, ejus conspectu frui posset; et si apud ipsum divertere placuisset, duplicem in eo gratiam se accepturum significabat. Ideo pergebat P. Franciscus recta ad praedictum oppidum; et tam diligenter exploraverat ejus recessum Dux ex urbe Ulyssipona et Ebora, ut occurreret ei, accessuro Villamviciosam, mediam fere leucam cum magno comitatu; et tam ab ipso quam a Ducissa, ipsius uxore, et a tota domo (quae magna est, ut Principis in Lusitania primarii), summa cum laetitia exceptus est. Celebravit sacrum in sacello Ducis; et post prandium, eodem id postulante, concionatus est in quodam monialium monasterio. Fuit autem concio de Dei et proximi dilectione, cum ejus dominicae evangelium fuisset *quod est mandatum in lege?* [1]. Fuit autem magnae aedificationis et spiritualis utilitatis ille sermo, cui Dux cum uxore et tota familia praesens fuit; sed cum eodem die Ducissam seniorem, et juniorem etiam, Ducis uxorem, inviseret, colloquiis spiritualibus, magno cum fructu, aliquid temporis impendit. Deinde Dux ipse in suo oratorio tres fere horas ipsum detinuit usque ad noctem, et de rebus ad animae suae salutem pertinentibus cum eo contulit, et, ut conjici potuit ex ejus verbis et litteris, non fuit ipsi parum utilis P. Francisci visitatio.

794. Postridie profectus, Cordubam pervenit ipso die Sancti Lucae; nec sciebat aliquos ex nostris ad collegii fundamenta jacienda venisse; et tamen in oppido Montillae jam aliqui sacerdotes et praeceptores futuri cum P. Antonio de Corduba versabantur. Distat autem illud oppidum sex leucis Corduba, ubi postea collegium aedificatum est a Marchionissa de Pliego, P. Antonii matre. Cum ergo Cordubae, in quodam diversorio, diverteret, eodem die quo pervenerat, intellexit P. Franciscum de Villanova cum socio [esse] apud D. Joannem de Corduba, decanum illius ecclesiae, virum et nobilitate et opibus in ea urbe primarium, Ducis Sessae patruum; et oportuit ut et

---

[1] Dominica decima septima post Pentecostem.

ipse P. Franciscus ad ejus domum diverteret; et amanter ab eo exceptus est. Et res erat prorsus illi urbi admiranda, quod vir ille, prius a Societate nostra alienus, et a quo impedimentum futuro collegio tinebatur, sic exspectationem superaret, ut, sicut superius diximus [1], domum suam valde magnificam in usum collegii donare vellet, et ecclesiam vel sacellum suis expensis extruere; et vasa argentea, quae ad cultum divinum splendida praeparaverat, et alia vasa pretiosa donaverat; et aliquos reditus ad manutentionem ejusdem capellae, et, quamdiu viveret, quidquid frumenti collegio necessarium fuerat, promisit; et demum haeredem se relicturum collegium affirmabat.

795. Die sequenti Montillam P. Franciscus progressus est ut Marchionissam salutaret, et eos, qui ad collegii initium erant evocati, videret [2].

796. Hujus Cordubensis Collegii fundamentum praecipuum reditus erant ecclesiastici P. Antonii de Corduba, de quibus auctoritate apostolica uniendis superius mentio est facta [3]; sed cum movisset Dominus Decanum jam dictum ad suam domum et reliqua, quae diximus, applicanda, statim post P. Francisci recessum ex domo sua, donationem, quam animo versabat, exequi decrevit. Quia tamen onere quodam fere mille et sexcentorum ducatorum domus erat gravata, civitas ipsa Cordubensis eam summam se soluturam esse recepit. Et ita donationis instrumentum Decanus confecit, et quidem tam liberaliter, ut ne minimum quidem onus, vel pro domo, vel pro aliis rebus, quas donavit, Societati imposuerit, nec de eo imponendo verbum ullum loquutus est. Tam autem Capitulum ecclesiae cathedralis, quam civitatis senatus, et monasteria, cum magna laetitiae significatione, Societatem excipere videbantur; et primores omnium statuum ad sua officia P. Francisco deferenda accedebant. Multi etiam privati viri multa promittebant, ut omnino augendum brevi collegium merito crederetur. Fuit eleemosyna quaedam secreta ducentorum ducatorum annui reditus, ut ipse P. Franciscus scripsit.

797. Interim autem, dum scholae in Decani domo aedifica-

---

[1] N. 774, pag. 350.
[2] Supra, n. 725, pag. 324.
[3] N. 774, pag. 350.

bantur, dedit domum aliam Decanus collegio inhabitandam, et ad eam migrarunt ex oppido Montilla nostri, qui fere mensem unum ibidem hospitio a Marchionissa excepti manserant [1]. Ingressi sunt autem ipso die Stae. Catharinae domum illam secundam Decani, quem ille diem pro more suo solemnem agere solebat; et ita rogavit P. Franciscum ut concionari vellet in templo parochiali Sti. Dominici. Et postquam cum ipso Decano pransi essent omnes, domum illam ingressi sunt, ubi mansuri erant, donec alia ipsis donata ad collegii formam reduceretur, scholis fabricatis, etc., nam uno anno et amplius ad id aedificium opus erat.

798. Cum autem magno desiderio tam Dominus Joannes Decanus, quam tota civitas tenerentur videndi studia inchoata, properandum fuit in classibus tam grammatices quam rhetorices instituendis. Undecima [2] ergo die Decembris praelectores nostrae Societatis in quarta schola grammaticam et in quinta rhetoricam docere juxta eumdem ordinem, quem constitutiones nostrae tradunt, coeperunt. Adfuit Episcopus et Dominus Joannes, Decanus, et canonicorum major pars, et praecipui ex nobilitate ejus urbis, et inter alios etiam Inquisitor haereticae pravitatis, cum P. Benedictus Catalanus initio studiorum orationem latinam habuit, qua et scientias laudavit et labores Societatis ad Dei obsequium et ejus urbis obtulit; et omnibus valde satisfecit. Id affirmabat P. Franciscus, non se vidisse in ulla Hispaniae civitate Societatem nostram tanta cum significatione benevolentiae exceptam fuisse. Omnes enim status de nostrorum adventu plurimum se gaudere significabant.

799. Concionatus est aliquoties P. Franciscus in hujus anni parte, partim in parochia superius dicta, partim in cathedrali templo. Alius etiam ex nostris, scilicet P. Bustamante, aliis in locis concionatus est; et incipiebant jam confessiones domi nostrae audiri; accersebantur et nostri ad varias aegrotantium domos.

800. Voluit autem D. Joannes de Corduba, Decanus, in festis Natalitiis sese colligere et in novo collegio habitare,

---

[1] Hi erant P. Franciscus de Villanueva, P. Alphonsus Lopez, et P. Joannes de la Plaza.

[2] Decimatertia. ROA, *Historia de la Compañia de Jesús, de la Provincia de Andalucía*, ms. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 518.

qua in re consolationis plurimum se percipere affirmabat. Verrebat domum, refectorio inserviebat, et prae caeteris in ea laborabat; cubiculum nihilo melius aliis, immo pejus, ipse elegit; et, ut urbanitatum oblivisceretur, Patrem Priorem joco se ab aliis vocari gaudebat; et quia summa ratio illius in urbe habebatur, ad summam aedificationem ejus, immo et Baeticae totius, ista omnia cedebant. Cum autem Romae Capituli Cordubensis negotia quidam theologus ageret, per eum curare coepit Decanus, ut Universitas Cordubae instituetur et ejus cura Societati nostrae commendaretur. Hujus autem mutationis tam insignis auctor fuerat Dominus per P. Franciscum Villanovam, qui, ut superius diximus, ex Collegio Complutensi venerat, et ut promptius obediret, non exspectavit dum a gravi morbo convalesceret quantum satis erat; et ita cum febri continua Cordubam pervenit; et a Decano exceptus hospitio, dum haec pia negotia tractat, convaluit corpore et mente, et ut melius Decanus valeret per Dei gratiam curavit. Omnia tamen per adventum P. Francisci [1] aucta fuerunt.

801. Biduo ante Natalem Domini P. Natalis, a Portugallia jam expeditus, Cordubam venit et multum consolationis nostris attulit, tum propter alia, tum praecipue propter constitutiones, quae, ut maxime P. Francisco et aliis probabantur, ita magno desiderio ad eas observandas ferebantur. Intellexerat idem P. Franciscus Romanum Collegium, aucto numero collegialium, paupertate premi; et ita coepit animum adjicere ad ejus sublevationem. Et quamvis Hispaniae collegia, recentia ac debiliter inchoata, magnis auxiliis indigerent, quia Romanum communi bono vacabat, et eam esse mentem P. Ignatii videbat, ex eleemosynis, quas habere poterat, subsidia quotannis mittere studebat, praeter reditus illos mille et centum circiter aureorum, quos ab Imperatore ad quinque annos impetraverat, et totidem alios, [quos] a Rege Philippo postea impetravit [2].

802. Ex variis Hispaniae locis collegia expetebantur, ut Toleti et Plasentiae, ubi Episcopus, qui ex concilio Tridentino in Hispaniam redierat, de instituendo collegio, de quo cum

---

[1] Borgia.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, passim, praesertim t. IV, V et VI, et infra, n. 385.

P. Laynez egerat, sollicitus erat [1]. Et quia civitas illa magnopere doctrina indiget et factionibus agitari solita erat, P. Francisci adventus ac P. Villanovae in illam urbem ab Episcopo postulabatur. Quamvis id temporis tenuiora quaedam Episcopus meditabatur, postea vero et spiritus in eo et animus, ut suo loco dicetur, crevit.

803. Hispali cupiebat Ducissa Methymnae Sidoniae, P. Francisci amita, et alii viri nobiles et cives ejus urbis collegium institui; et, ut ea de re ageretur, Ducissa praedicta P. Franciscum evocabat; sed in sequentem annum haec tractatio rejicienda est, sicuti et profectio P. Francisci Caesaraugustam, pro qua Comes et Comitissa Rivagorzae P. Ignatio diligenter scripserant, multum ex ea utilitatis ad illius collegii institutionem rediturum affirmando.

804. Segoviae D. Ludovicus de Mendoza situm opportunum P. Ignatio per litteras ad collegium Segoviae instituendum etiam offerebat [2]; sed non poterant tam multa collegia simul admitti; et ita de collegio in civitate Jerez agere nostri desierunt. Abulae P. Ferdinandus Alvarez, hoc anno Burgis recedens, de initio collegii ibidem postulati agebat, et situs quidem datus hoc anno fuit, cum Episcopus huic operi faveret et optimi quique ejus civitatis; sed quia de applicatione quorumdam redituum interim in Urbe agendum erat, initium Collegii Abulensis, quod ad lectores mittendos et numerum aliquem nostrorum, dilatum est.

805. Cum intellexisset P. Ignatius cum Nuncio Apostolico et Domino Rui Gomez de Sylva tractatum fuisse an expediret P. Franciscum Borgiam in Portugalliam ire, et id a P. Araoz factum fuisse, significari voluit P. Francisco duo: alterum, quod cum hujusmodi personis non videbatur P. Ignatio conferenda esse, quae P. Francisco agenda erant, nec ipsum teneri ad obediendum Legato, sed tantum P. Ignatio et Summo Pontifici; alterum, quod, licet posset suae consolationis gratia conferre cum P. Provinciali Araoz quae ad se pertinerent, non ta-

---

[1] De hoc Plasentino Episcopo et quomodo se cum P. Laynez gesserit, dum ambo Tridenti, propter concilium, degebant, videndae Patris Laynez litterae ad Ignatium et Polancum. Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 661.

[2] Videndae Polanci litterae Dno. Ludovico de Mendoza datae 20 Oct. hujus anni 1553.

men ad eum consulendum teneri, nec ad ipsius sententiam sequendam. Haec enim intentio fuit P. Ignatio cum ab omnium Provincialium et reliquorum obedientia (praeterquam ipsius Generalis) eum exemit. Existimabat enim a Deo deducendum ipsum, cum suam devotionem ac spiritum sequeretur, et ita posse eum egredi ad varia Hispaniarum loca et etiam in Portugalliam, quando expedire ipsi in Domino videretur [1].

806. Quia P. Franciscus aliquo modo P. Francisci de Rojas patrocinium susceperat, qui inter pauculos Caesaraugustae superior erat, quid circa ipsius professionem statuisset eidem significavit, ut, scilicet, si statim profiteri vellet, trium votorum solemnium tantum professionem emitteret, quia constitutiones nostrae id ferunt, et quidem raras ob causas ad eam admitti posse, prout P. Pontius [2] et P. Bernardus Oliverius admissi erant. Si tamen P. Franciscus de Rojas ad quatuor votorum professionem majori devotione ferretur, non sentiebat P. Ignatius eam sibi concedi posse nisi tempus ordinarium quatuor annorum studio theologiae impenderet, nisi praedicandi [donum] aliqua ex parte diminutionem hujus praescripti temporis suppleret. Quamvis enim ad dispensandum cum clarissima aliqua persona constitutiones locum relinquunt propter aedificationem et magnum Dei obsequium, quae supplerent quod studio et dono praedicandi deesset, ne hoc quidem ad dispensandum cum P. Rojas movere poterat. Sed, hoc supposito, quod quatuor annos theologiae impendere deberet, circa studii locum posse P. Francisci sententiam sequi; et quamvis hoc tempore minus diligenter quam alii studeret et minori cum fructu, id professionem non impediturum. Cum P. Rojas in hunc sensum litteras accepisset, ad P. Franciscum Borgiam, ut superius dictum est, afflictus se contulit, et ab eo consolationem, quam diximus, accepit [3].

807. Ejusdem etiam P. Francisci arbitrio commisit ut, vel nostros Caesaraugusta educi non sineret, vel, si educti essent, restitueret [4].

---

[1] Confirmantur haec et declarantur litteris a Polanco, *ex com.*, datis Patri Francisco de Borja, 12 Aug.

[2] P. Pontius Cogordanus.

[3] Desumpta sunt haec ex litteris ab ipso Polanco, *ex com.*, datis Patri Francisco de Borja, 13 Aug.—Vide supra, n. 768, pag. 347.

[4] Vide supra, n. 768 et 769, pag. 347 et seq., et *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 268, 271, 275 et 331.

808. Addam et pauca quaedam alia a P. Ignatio scripta antequam a rebus hujus provinciae ad alias transeam. Cum P. Strada de domo Burgis emenda ageret, admonuit quod in suo testamento vir quidam nobilis, qui filium in Societate habebat, quingentos aureos vel minorem summam, legasset ut pro arbitrio filii dispensarentur. Curavit autem P. Strada ut Dominus Benedictus Hugozonius [1] de summa, quae ex hoc testamento haberetur, disponeret, quia rectum id habiturum P. Ignatium censebat. Cum autem id P. Ignatius intellexisset, non probavit quod P. Strada, se inconsulto, externum illum amicum ad scribendum Patri hortaretur et interim summam illam ut jam acceptam in illius collegii usum converteret. Quamvis tamen factum reprehendit, quod ordo servatus non esset, liberum reliquit uxori defuncti testatoris et primogenito filio, ut in pia opera legatum illum expenderent; et tamen constabat quod juxta postulationem Domini Benedicti Guzonii facturi erant [2].

809. Quod ad Doctorem Araoz attinet, cum admonitus esset a P. Francisco de Villanova et a P. Natali, quod quaedam paulo liberius quam paupertas et humilitas Societatis ferret, fieri et tolerari ab eo inciperent, P. Natali scripsit [P. Ignatius] ut, antequam ex Hispania recederet, collateralem illi juxta constitutiones P. Villanovam adjungeret, et ut hoc tamquam ex officio Commissarii faceret, quod usitatum esset Provincialibus collaterales hujusmodi dare [3].

810. Cum in sacello domus Burgensis chorum inducendum aliqui ex nostris judicarent id P. Ignatius prohibuit [4]; nec vo-

---

[1] Sic, et infra *Guzonii*. Est autem *Uguccioni*.

[2] Exstant, Deoque volente in lucem edentur, nonnullae de iis similibusque negotiis litterae a Polanco scriptae Dno. Benedicto Uguccioni. Hic lectorem monere sufficiet *virum nobilem,* de quo hic est sermo, *qui filium habebat in Societate,* esse patrem ipsius Patris Polanco. Vide supra, t. II, an. 1552, n. 490, pag. 632, et in hoc t. III, pag. 318, num. 712, not. 1.

[3] "Acerca del P. Dr. Araoz, lo que V. R. escribe, acá se pensaba y se confirma con su letra. Parece á Nuestro Padre que ántes que salga V. R. de España, le dé un colateral, que sea el P. Villanueva de Alcalá; y esto como por oficio suyo lo haga V. R. y por ser ordinario que se dé colateral á los Provinciales.„ Polancus, *ex com.,* Patri Hieronymo Natali, Commissario, 27 Oct.—Vide infra, n. 951.

[4] "De hacer y ordenar coro en esa Capilla no parece conveniente entre tanto que hay tan pocos supósitos y tan ocupados; en el colegio del Condestable seria otra cosa, porque donde hubiese escolares en mucho [número], mejor se sufriria que algunos asistiesen á un poco de coro, el cual sufren las Constituciones cuando se ordena á entretener las gentes para los sermones (ó) colaciones.„ Polancus *ex com.,* Patri Francisco de

luit domum illam professorum vocari, donec collegium admitteretur distinctum. Situm autem acceptum non probavit, quod dilatari non poterat; et ideo successu temporis illud mutari oportuit [1].

811. Consuluit P. Araoz eumdem P. Ignatium an in curia Regis Philippi deberet aliquandiu residere. Censuit id fieri posse quando Princeps tam benignum animum et propensum ad favendum rebus Societatis et ad utendum ipsius opera in rebus magni momenti ostendebat [2].

812. Cum Burgis et Methymnae scholas aperiendas P. Ignatius censuisset, et, quo praeceptores superflui suppeterent, intellexisset quibusdam philosophiae ac theologiae cursum interrumpi necesse esse, ut docendi officium susciperent, id particularium personarum incommodum minoris momenti esse respondit quam sufficeret ad universale bonum impediendum, quod ex scholis proventurum existimabat; et quia consuluerant eumdem an opera externi alicujus lectoris uti liceret, si Societas praeceptores non haberet, id etiam fieri posse respondit.

813. Cum Doctor Hieronymus de Vergara duas ecclesias parochiales duobus ex nostris conferri ad tempus optaret, ut postea Collegio Complutensi unirentur, vel commode cum aliis simplicibus beneficiis et ad unionem aptioribus permutarentur, non probabat P. Ignatius ut cuiquam ex nostris talia parochialia beneficia etiam ad tempus conferrentur, sed nec ut collegio applicarentur; si tamen esset aliquis, qui nondum cognitus esset ut religiosus nostrae Societatis, quamvis in eam admitti optaret, non improbat quod ad tempus, dum permutatio fieret, talia beneficia admittere posset [3].

814. Quod ad christianam doctrinam a professis tradendam per quadraginta dies attinet, non satisfacere censuit

---

Strada, 6 Nov.—"Del coro dice más resueltamente Nuestro Padre que, si está tanto en ocio V. R., que cante solo; pero que deje estar los otros; finalmente siente que más nada de lo que permiten las Constituciones se haga en esta parte." Eidem, 7 Nov.

[1] Vide supra, n. 712, pag. 318.

[2] Vide supra, n. 734, pag. 329.

[3] "Cuanto á los beneficios del Doctor Vergara bien parece lo que toca V. R., si ya no fuesen algunos de la Compañía no conocidos por tales; y lo mejor sería de todo que, aunque con pérdida, se trocasen con beneficios simples para que pudiesen unirse, ó con préstamos *(prestameras);* que á la verdad gran prueba sería esta para hombre de la Compañía" Polancus, *ex com.,* Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.—Vide supra, t. I, n. 471, pag. 436, et *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 276.

P. Ignatius eos, qui quadraginta conciones habuissent, nisi partem aliquam earum in explicatione doctrinae christianae consumerent; et non singulis annis, sed semel tantum has lectiones doctrinae christianae faciendas, juxta Societatis consuetudinem et obligationem professionis, admonuit, si aliud a Superiore non praescriberetur [1].

815. Cum in Hispania Patrem Araoz per Paternitatem nostri compellarent, quod consuetudo aliarum religionum erga Provinciales id postulare videretur, jussit P. Ignatius ut nullus ex Societate se (licet Praepositus Generalis esset) hoc Paternitatis nomine compellaret, et nemini ex inferioribus Praepositis, etiam Provincialibus, hanc appellationem deferri voluit; et placere sibi magis testatus est simplicem illum modum, quo prius in Societate primi Patres utebantur; sed si consuetudo id non ferret, ne ultra appellationem Reverentiae procederetur prohibuit [2].

816. Graviter tulisse videbatur idem P. Araoz quod P. Natalis Visitator in illud Regnum Hispaniarum mitteretur, quod significabat nostros reformatione indigere; sed responsum est quod non Visitatoris sed Commissarii nomen ferebat. Cum enim constitutiones et regulae essent promulgandae, et aliqua certa ratio scholis instituendis praescribenda, et aliqua alia, quae plenam facultatem ipsius P. Ignatii requirerent, exsequi deberet, hoc illi officium et nomen Commissarii, quod de ejus zelo et talento P. Ignatius confideret, illi committendum judicasset [3].

817. Quia nonnullis videbantur novi christiani, quos vocant in Hispania, scilicet, ex progenie judaeorum vel saraceno-

---

1 "Acerca del enseñar la doctrina cristiana parece á Nuestro Padre que no se deban tomar en descuento otros tantos sermones, si en ellos no se tratase algun punto de la doctrina cristiana; pero en el lugar ó lugares, en las veces que querrá V. R. se pueden acabar estos cuarenta dias; y no se entienden cada año, sino una vez *tantum*, por la obligacion de la profesion, si otra cosa no ordenase el superior." Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.—Vide infra, n. 973.

2 Ita in litteris a Polanco, *ex com.*, datis 4 Jul. Patri Antonio de Araoz.—Vide etiam *Cartas y otros escritos del B. P. Fabro*, t. 1, pag. 201.

3 "Del Visitador ya para este tiempo creo yo se habrá visto con V. R. El no lleva tal nombre sino de Comisario, porque habrá de entender en esos reinos y en el de Portugal en algunas cosas que requieren la mesma autoridad que Nuestro Padre tiene, como es en lo que toca á las Constituciones y Reglas, y tambien ayudará en lo de las escuelas y en todo lo demás que se ofreciere. Así que no llevará color de reformar, aunque hará todo lo que pudiere en ayuda universal y particular de todos los de allá, como persona que para ello tiene celo y talento y de quien tiene Nuestro Padre toda confianza." Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.

rum descendentes, vel aliquam hujus sanguinis permixtionem habentes, non esse in Societate admittendos, rescriptum est non posse sibi persuadere P. Ignatium, quod ad Dei honorem futurum esset si id genus hominum excluderetur; circumspectius tamen et cautius in admittendis et probandis hujusmodi hominibus procedendum esse; et si, propter curiae aut ipsius Regis opinionem differentem, eo in Regno non admittendi viderentur, qui alioqui essent idonei, in Italiam mitti posse, ubi hujusmodi progenies nihil aut parum nocere eorum auctoritati posset [1].

818. Homines suo modo spirituales, et qui alio a Societate lacte spiritus enutriti fuerunt, non facile ad Societatis institutum sese accommodare posse, Patri Araoz videbatur, quales erant Magistri Avilae discipuli; et P. quidem Ignatius difficultatem agnovit non exiguam; sed non propterea eos excludendos censebat, quia temporis successu sese ad instituti Societatis normam accommodare, vel a Societate dimitti, poterant [2].

---

[1] "Del no aceptar cristianos nuevos no se persuade Nuestro Padre sería Dios servido, pero bien le parece se debría tener con los tales más circunspeccion. Si allá por los humores de la corte ó del Rey pareciere no se deban admitir, envíense acá siendo buenos suppósitos, como ya está escrito otras veces; que acá no se mira tan al sotil de qué raza sea el que se vé ser buen suppósito, como tampoco basta, para que uno se acepte, la nobleza, si las otras partes no concurren.„ Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.

[2] Vide supra, n. 738, pag. 331.—"En lo demás la dificultad que hay con personas que ya vienen espirituales á la Compañía *suo modo,* acá vey no ser pequeña; pero á la fin hace cuenta que con el tiempo se acomodarán ó se despedirán.„ Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 14 Aug.

DE PROVINCIA ARAGONIAE

DE COLLEGIO VALENTINO

819. In Valentino Collegio pauci ex nostris versabantur, et quidem P. Gamerus, quem superiori anno a P. Hieronymo Domenech Rectorem esse relictum diximus [1], in eam incidit, primis mensibus hujus anni, corporis imbecillitatem ac morbum, ut, quod ad febrem ethicam declinaret, medicorum consilio in Castellam remissus fuerit; et P. Natalis Commissarius injunxit P. Baptistae de Barma, Gandiensis Collegii Rectori, ut etiam Valentini Collegii curam susciperet; et ita lectionem theologicam, quam Gandiae praelegebat, in quemdam alium rejiciens, qui externus erat, liberius utrique collegio regendo dare operam poterat.

820. Non omittebantur interim consuetae exercitationes, sacramentorum, scilicet, confessionis et Eucharistiae crebra

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 655, an. 1552, n. 536.—In *Historia del Colegio de San Pablo de Valencia,* ms., praetermissus est hic illius Collegii Superior. Nec mirum; paucis enim tantum mensibus illi praefuit; et, ut bene animadvertit illius *Historiae* auctor: "Con esta ocasion (profectionis Patris Domenech ex Hispania in Siciliam) advertiremos para otras el descuido que hubo en este Colegio, ya desde sus principios, en observar el tiempo y orden de los Superiores y sucesos de él; y así á fuerza de discursos y conjeturas se habrán de inferir muchas veces muchas cosas, careando entre sí lo poco que se encuentra escrito. Quien más curiosidad tuvo en aquellos principios fué el buen P. Alonso Roman, muy antiguo en esta Provincia de Aragon, que vino á ella el año 1549, y vivió muchos años, y gobernó gran parte de ellos, como despues veremos. Este Padre dejó de su mano escrito un cathalogo de este género, aunque no siempre con precisa puntualidad de los años y meses; pero de cualquier manera dá mucha luz y nos servirá de norte en viaje tan incierto.„ Cap. 13.—Eadem, ne uno quidem verbo mutato, reperire est in *Historia de la Provincia de Aragon,* t. I, cap. 43, auctore P. Gabriele Alvarez, a quo sua desumpsisse credendus est valentinae historiae auctor, qui eam perfecit anno 1712.—Abeuntis Patris Gamero locum tenuit P. Marcellus de Salazar, qui etiam brevi post tempore, scilicet hoc ipso anno 1553 (Vide infra, n. 827), Cordubam missus, successorem in Collegio Valentino regendo habuit Patrem Michaëlem Govierno.

administratio, et spiritualia colloquia, et morientium subsidia, quibus, ex hac vita recedentibus, assistebant, et, ut in Domino morerentur, pro virium facultate juvabant. Habebantur etiam conciones pomeridianae diebus dominicis et festis domi nostrae, excepto quadragesimae tempore, quia tunc concionatoribus Valentia solet abundare, et crebra poenitentium multitudo nostros distinere; nam in dies frequentiores homines ad nostros conveniebant; nec obliti sunt eorum, qui in custodia publica detinebantur, quos non solum docebat aliquis ex nostris quae ad salutem pertinebant, sed et confessiones eorum audivit.

821. Quidam sacerdos, qui jam publice concionari coeperat, et alter juvenis theologus, et tertius, qui artium curriculum absolvebat, recipi in Societatem primis illis mensibus postularunt, et ut, quocumque vellet Societas, eos mitteret. Hoc ipsum et complures juvenes Valentini petebant, quos tamen nec excludendos censebant, nec recipi eos collegii tenuitas ferebat. Sed sacerdos et concionator, cum in Portugalliam destinatus esset, Salmanticae substitit, et in spiritualibus exercitiis sua desideria, serviendo Domino, confirmans, ibidem admissus et Methymnam Campi missus est [1].

822. Scholastici suis in studiis exercebantur: quatuor theologiae, unus tantum dialecticae auditor erat; sed quatuor sacerdotes, qui eodem in collegio versabantur, utiliter admodum in colenda illa Domini vinea laborabant. Et P. Balthasar Diaz, tam in confessionibus, quam in tradenda christiana doctrina et concionibus, quibus eam explicabat, strenuum se operarium exhibebat.

823. Supra modum gratus fuit nostris adventus P. Natalis, immo et externis, nam a Pro-rege et ejus uxore amanter admodum exceptus fuit, et aegre admodum inde ejus recessum tulit. Quo tempore Valentiae fuit, complures scholastici, ut in Societatem ipsos admitteret, urgebant; sed cum ille clausa itinera propter bellum inter Imperatorem et Galliae Regem videret, ut non facile in Italiam vel Siciliam destinari possent, ad perseverantiam eos hortabatur. Sed adolescentis cujusdam sancta

---

[1] Cum de iis, qui in Societatem hoc tempore adscripti sunt, sileant omnino particulares tum Provinciae Aragoniae tum Valentini Collegii historiae, nos ne conjectando quidem affirmare audemus quinam hi fuerint, quos hic describit Polancus.

importunitas commemoratione digna fuit; qui, post repulsam, nocte quadam, suam sarcinulam ferens, domum ingressus est, et supplex orabat ut eum admitterent ut in horto, quem amplissimum habebant, foderet. Et cum P. Natalis et, qui eo venerat id temporis, P. Tablares dimittere juvenem conarentur, affirmabat se nullo modo domo egressurum. Cum ei diceretur domum esse pauperem, respondebat id non referre, quia non ad comedendum sed ad laborandum veniebat. Cum subderetur, non est locus ubi dormias, respondit se non ad dormiendum venisse. Demum commiserationis motus P. Natalis, ut ea nocte in collegio dormiret, permisit, et postridie se admissum existimaret, et domum suam rediret, donec oblata alia occasione alio mitteretur. Ille conditionem manendi admisit; sed die sequenti cum nollet recedere, visum est P. Natali eum examinandum esse; et intellexerunt eum et philosophiae et theologiae operam dedisse, et bono ingenio et corporis habitudine praeditum; et alioquin nobilem ac Regentis Aragoniae filium; et sollicitudo, qua mundi pericula fugiens, ad Societatem ut ad asylum confugiebat, expugnavit deliberationem, quam de nemine tunc admittendo habebant; et cum illo quidam alius etiam admissus est.

824. Cum Valentiam jubilaeum a Summo Pontifice concessum pervenisset, ut aliis in locis, ita et ibidem nostros diu noctuque occupabat, ut vix cibum capiendi et paululum quiesciendi tempus suppeteret. Fuit inter alios qui totos triginta annos, alii qui multos a confessione, propter peccatorum, quae relinquere nolebant, affectum, abstinuerant. Cum autem se remitteret poenitentium frequentia, quidam ex nostris, zelo animarum commotus quod minus frequentes homines, quam vellet, ad confessionem accedere videret, accepta crucifixi imagine, in forum se contulit, et editum quemdam locum ascendens, et corona hominum circumdatus, miro quodam ardore coepit concionari et Valentinorum segnitiem increpare, quod non majori cum desiderio ad hunc spiritualem thesaurum acquirendum accenderentur; nec sine effusione lacrymarum a multitudine, quae rem tam novam cum timore et admiratione audiebat, hoc officio perfunctus est; et praeterquam quod omnes ejus concionatoris factum laudabant, multi ad confessionem se praepararunt, qui prius ab ea alienissimo animo fuerant.

825. Pomeridianae lectiones non sine magna auditorum frequentia et animarum profectu fiebant; sed ne frequentiores essent angustia sacelli efficiebat, propter quam etiam numerus confitentium minor erat quam pro devotione populi exspectari debuit. Agebatur igitur de novo templo et capaciori extruendo; et Dominus Petrus Domenech, qui collegium suis expensis alebat, ad aedificium illud animatus est; quamvis enim suis viribus ipse par non esset expensis, aliorum subsidia sperabantur. P. ergo Natalis allocutus est Dominum Ludovicum Ferrer, Valentiae Gubernatorem, ut hoc pium opus aliis commendaret; ille autem magno pretio se talem occasionem bene merendi de illo collegio comparare debuisse affirmabat [1].

826. Erat tunc Pro-rex Valentiae Machedae Dux. Hunc etiam P. Natalis cum P. Tablares adierunt; qui, cum ad prandium eos secum retinuisset, deinde cum P. Natali in cubiculum se recipiens, familiariter admodum de suae conscientiae negotiis cum eo contulit; et statim Societati hospitale quoddam cum optima ecclesia, in quodam oppido suo, ubi fere viginti quinque millia ducatorum expenderat, in usum collegii obtulit. Cum autem de ecclesia aedificanda P. Natalis agere coepisset, suum ille favorem, tam ad ejus extructionem, quam ad reliqua omnia, quae ad collegium pertinerent, amanter admodum offerebat; et, ut alios invitaret non solum verbo sed exemplo, centum aureos ipse obtulit. Sequutus est Marchio de Elcie [2], ejus filius, qui serio admodum curam, non minus quam pater ejus, suscepit; ejus autem uxor Marchionissa injuriam sibi fieri putabat si, propter fratrem suum, qui erat in Societate, Ducis Bergantiae filium, ipsam amare Societatem crederent; nam sponte sua illam in Domino diligebat. Postridie ergo Pro-rex, Missam auditurus, cum quibusdam nobilibus domum nostram venit; et postquam domum et situm ipsius ecclesiae vidisset, multis verbis et Societatis religionem, exemplum et doctrinam, et operis, de quo agebatur, utilitatem ac meritum [laudavit]; et cum exemplo praeivisset, verba efficaciora ad alios invitandos fuerunt; et ita, brevi, ecclesia cum Dei auxilio confecta est.

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 656, n. 536, et *Litterae Quadrimestres,* t. I, pag. 470 et 667.

[2] Sic; rectius tamen *Elche*. Erat is Bernardinus de Cardenas et Velasco, qui uxorem, de qua statim mentio fit, duxerat Joannam de Portugal, Jacobi, IV Bergantiae Ducis, filiam.

827. Cum ad initium Collegii Cordubensis postulatus esset ex scholasticis Valentinis, qui ad cursum philosophici studii accedebant, unus, Marcellus de Salazar nomine, curatum est ut laurea magisterii prius insigniretur, quam magno cum consensu professorum et scholasticorum consecutus est [1].

828. Multi hoc anno ad Dominum, opera nostrorum, conversi sunt, et peccatorum, in quibus sepulti fuerant, occasiones reliquerunt. In carcere etiam, plusquam quinquaginta, eorumdem ministerio, jubilaei gratiam sunt consecuti [2].

DE COLLEGIO GANDIENSI

829. Ex concionibus Doctoris Baptistae de Barma, qui Gandiensis Collegii Rector erat, non solum Gandienses, sed etiam oppidorum Concentainae et Ontenientis (quae numero civium Gandiam bis superant) incolae fructum uberem percipiebant, et in eisdem locis frequens erat eorum numerus, qui in crebra confessione et communione perseverabant. Erat oppidum illud Onteniente immanibus quibusdam vitiis et publicis insigne; sed tantopere commoti fuerant P. Baptistae, dum peregrinaretur praecedenti anno, concionibus, ut numquam cessaverint donec ipsum in concionatorem quadragesimae hujus anni a Duce Gandiae obtinerent. Populus ille paulo ante legatos ad Regem mittere volebat ut, misso aliquo strenuo Gubernatore, homines illos, ferino ritu vitam agentes, edomaret. Quidam ex eis, nec praesentis quidem Regis, nedum Gubernatoris, se rationem habituros dicebant; vitam ipsam negligebant, et bellum optare videbantur. In duas factiones populus divisus erat, quarum alteram homines vel sequebantur vel odio prosequebantur; et, *qui non est mecum contra me est*, affirmabant.

---

[1] Vide supra, n. 819, pag. 372.

[2] Dum de rebus in Collegio Valentino hoc anno gestis agitur, praetereundus minime videtur favor, quem illi exhibebat Valentinus Antistes, Sanctus Thomas de Villanova, qui, ut ait Orlandini, lib. XV, n. 78, "paterna socios indulgentia complexus est; adeo ut, si quem amoveri Valentia cerneret, amanter expostularet sibi auxilia detrahi„. Huic Archiepiscopi expostulationi respondit Ignatius litteris 16 Aprilis hujus anni datis, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 208.

Pestis haec in sacerdotes etiam grassabatur et quosvis hominum status occupaverat; sed, post quadragesimam, mores omnino mutati, sedatae rixae et contentiones extinctae videbantur.

830. Profectus ergo P. Baptista Gandia, postquam aliquot diebus, et ultimo in dominica septuagesimae, populo concionatus fuisset cum magno animorum motu, dum eos reprehendebat, quos verba delectabant et ea numquam ad opus deducebant, Ontenientem pergens, Concentainensium, qui in itinere erant, animos evangelicis verbis refecit; et, dominica quinquagesimae, cum Ontenienti concionaretur, cives sic permovit, ut vana quaedam, eo tempore satis ubique plus usitata, penitus relinquerent; et edicto publico prohibitum fuit ne quis personatus incederet, ne choraulis tympana pulsantibus et lasciva quaedam cantantibus saltarent, ne per vias transeuntes aqua e fenestris missa pro more perfunderent, et ne per totum quadragesimae tempus luderent; alioqui aut poena pecuniaria aut carcere mulctandi. Et, cum sex vel septem adolescentes contra edictum aliquid egissent, in carcerem detrusi sunt, donec P. Baptistae hortatu fuerunt liberati. Silebant omnia ea nocte, quae primum quadragesimae diem excedit [1], et vix credi potuisset in tam frequenti populo noctem illam tanta cum quiete transigi potuisse.

831. Divisi erant sacerdotes ab officialibus publicis; sed unico P. Baptistae colloquio in amicitiam redierunt. Dissentiebant duo sacerdotes a quibusdam laicis, quod eos in templo, tamquam sceleris cujusdam auctores excommunicassent; sed opera ejusdem Patris, effusis utrinque lacrymis, inter se reconciliati fuerunt, et pristina fama laicis in templo publice fuit restituta. Cum in concionum quadragesimalium decursu, in una earum, multa dixisset de inimicorum dilectione, accessit ad eum sacerdos et dixit velle se cum inimico pacem facere; alius etiam magis strenue ad suum inimicum se contulit et, genu flexo, veniam non sine magna illius admiratione postulavit; alius pacem cum alio, quem ante jugulare voluerat, firmavit,

---

[1] Sic; sed scribendum forte *excipit* aut *antecedit*. Et sermo videtur esse de nocte feriae tertiae post Dominicam quinquagesimae, dies enim qui eam noctem sequitur, scilicet, quarta feria *Cinerum*, quia in eo incipit quadragesimale jejunium, primus quadragesimae dies vulgo appellatur.

et uterque ad P. Baptistam accessit, et de pace cum aliis ineunda tractavit; alius, qui per multos annos parentem odio prosecutus fuerat, illud in charitatem, ejusdem Patris opera, mutavit. Fuit et aliquis cui amputata manus fuerat, et quem nulla oblatae pecuniae vis ad noxam condonandam flectere potuerat: is etiam P. Baptistae consilium sequi et animum ad pacem capessendam inducere constituit. Accedebat et alius ad hominem interficiendum; sed eum sic movit Dominus ut, Patri Baptistae suum crimen aperiens, deliberationem illam prorsus abjiceret. Ex auditoribus etiam concionis illius quidam fuit, qui, cum tormento manuali (*Archibusum* vulgo vocant) inimicum in loco, per quem transiturum credebat, per biduum exspectaverat, et verbo Dei pulsatus, de suo crimine dolens, resipuit.

832. Denique qui harum factionum et inimicitiarum praecipuus auctor fuerat, quique in republica primas partes obtinebat, consuetudine P. Baptistae permotus, peccatorum confessionem instituere decernens, inimicitiam cum omnibus, cum quibus eam exercuerat, deposuit, et pacem cum illis confirmavit. Postea, si quid dissidii oriebatur inter eos, ad P. Baptistam omnes recurrebant, qui facile omnia compositurus credebatur. Non solum autem dissidentes conjungebat, sed conjugatos etiam, qui divisi ab uxoribus habitabant, reconciliavit; matrimonia, clam contracta, ad perfectionem adducebat; aliquos etiam, qui de privatis peccatis confessi numquam fuerant, suo consilio juvabat ut ab illis emergerent; et tam uberem gratiam Dominus, ad populi illius auxilium, ipsi contulit, ut omnia, quae tentabat, feliciter ei succederent. Odia et contentiones cessaverant; jam non de Rege adeundo aut gubernatore postulando ad indomitos illos animos reprimendos agebant, sed ad P. Baptistam accedendo et eumdem consulendo, suaviori ac faciliori via, quod optabant, obtinere poterant. Abusum jurandi ac pejerandi reliquerunt, et veritatem sine juramentis affirmare gaudebant; et, P. Baptista sacrum faciente, non solum genibus flexis eum audiebant, quod ante illis erat insolitum, sed vix lacrymas comprimere poterant.

833. P. Parra in audiendis confessionibus erat simul cum illo occupatus, et frater Balthasar Pignas, nondum sacerdos, christianam doctrinam in parochia primo, deinde, cum confluentium multitudinem ea non caperet, in templo maximo,

explicavit. Ad populum etiam vicinum dominica in Passione ad hoc ipsum munus praestandum se contulit, ubi frequentes admodum habuit auditores. Ad eumdem populum, dominica Palmarum post meridiem, P. Baptista secreto ire voluit; sed minime latere potuit eos, qui magno charitatis affectu ipsum prosequebantur. Comitati sunt eum itaque plurimi; et partim in precibus piis, partim in explicandis beneficiis Domini, iter illud transegerunt; et multa cum multis lacrymis et devotione ab illis dicebantur, ut cujusvis durissimum pectus possent emollire; alii autem audientes, suspiria ex corde ducebant. Tandem ad populum illum perveniens cum suo comitatu, in quo primores ontenienses erant, cum templum auditores omnes capere non posset, extra illud ex alta et plicatili sede concionatus est.

834. Ontenienses, prope templum, aliquod collegium Societatis nostrae aedificare volebant, si illud admittere P. Baptista voluisset; sed, cum ille recusaret, illi graviter urgebant loci salubritatem et multos populos vicinos, qui bona doctrina et moribus imbui poterant, exaggerantes, hortos se addituros, et fontem in medio Collegii erumpentem confecturos; magnam etiam pecuniae copiam ad sustentationem pollicebantur. Sed impetrare quod petebant non potuerunt. Et ante quam inde recederet P. Baptista, aliqui in spiritualibus exercitiis, ad quae idonei videbantur, non parum profecerunt.

835. Dux Gandiae benevolentiam quidem exhibebat, sed, quae in usum Collegii Gandiensis daturus erat, difficile ab ejus thesaurario extorqueri poterant; quae autem Romano Collegio promiserat, et ad quod dicebat se non teneri, multo minus utique persolvebat [1]. Magister Montesiae, P. Francisci Borgiae frater, tanto affectu P. Baptistam prosequebatur, ut parum abesset quin cum eo Ontenientem se conferret [2]. Non erant multi numero nostri Gandiae, et tamen arcte satis vitam ducebant; et, cum id intelligeret Dux, dicebat quorsum tam multi essent ex nostris, cum sustentari non possent?

836. Invisit Collegium illud Gandiense Aragoniae Provincialis, antequam in Portugalliam recederet, et existimavit cantum, quem eo in collegio inchoaverant, paulatim esse

---

[1] Vide supra, n. 801, pag. 365.
[2] Vide infra, n. 838.

relinquendum. Censuit idem fratres, non nisi dominicis diebus et in solemnioribus festis, debere communicare; injunxit nihilominus ut P. Ignatium Rector de re utraque consuleret.

837. Quod attinet ad studia, videbatur eidem P. Simoni tantum theologiam Gandiae praelegendam esse, et artium auditores Valentiam mittendos. Quod ad grammaticam attinet, agebatur de ea oppidanis relinquenda, qui resumpserunt suos illos reditus, collegio applicatos propter hujusmodi lectionem, et lectores saeculares constituerunt; quae res multum utilitatis collegio nostro attulit, et eam probavit P. Ignatius. Satis commode theologi versari poterant Gandiae; sed multo utilius philosophi Valentiae daturi operam videbantur, quod ad crebras exercitationes scholasticas multo aptior Valentia videretur [1]. Adde quod Gandiae [locus], propter aërem humidum valde et crassum, et lacus quosdam vicinos, et aestum satis validum, hominibus nostrae Societatis non admodum propitius erat; et multi capitis dolore et imbecillitate laborabant. Fructus tamen spiritualis satis copiosus ex illo oppido proveniebat, et paces multae conficiebantur nostrorum opera, et populus ad reformationem, concionibus P. Baptistae adjutus, sese disponebat.

838. Hoc vere cum occisus fuisset Valentiae vir quidam nobilis, Magistro Montesiae amicitia conjunctissimus, et quidem, ipsius causa, gravissimam perturbationem accepit, et factiones quaedam Valentiae exortae ejus studia et quietem animi sic perturbarunt, ut in magnum labyrinthum et perturbationes inciderit [2].

839. In festo Divi Lucae aliqui ex nostris ad magisterium philosophiae in Universitati Gandiae promoti fuerunt. Missi fuerunt ex Collegio Gandiensi Romam duo, quorum alter

---

[1] Vide supra, t. I, pag. 141, an. 1544, n. 79; quibus adnecte ea, quae in hoc t. III, pag. 241, n. 540, not. 1, dicta sunt.

[2] Factiones has respicere videntur litterae, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 116 et 271. Cum tamen sermo hic fiat de occisione *cujusdam nobilis, Magistro Montesiae*, Petro Ludovico Galceran de Borgia, *amicitia conjunctissimi*, quibus verbis indigitari videtur Petrus de Figuerola, conferenda sunt haec accurate cum iis, quae ex PERALES, *Adiciones á la Historia de la Ciudad y Reino de Valencia por Escolano*, attulimus in opere *Sanctus Franciscus Borgia*, t. I, pag. 462, quod inter haec *Monumenta Historica* edere incoepimus. Aut enim PERALES fallitur, aut POLANCUS, dum hujus caedis annum assignant.

fuit Magister Torres [1], alter Hieronymus Rubiola, qui cum aliis hoc anno Romam pervenerunt.

840. Populus Onteniensis fructum spiritualem tam insignem ceperat, ut etiam ad quadragesimam sequentem litteris et precibus P. Baptistam a Duce Gandiae impetraverit. Tanto perfectionis desiderio aliqui inter ipsos ardebant, ut fuerit aliquis qui, odio, quo inimicum prosequebatur, deposito, ab inimico, poplite flexo, non solum veniam petierit, sed arundinem ei obtulerit, qua se ignominiose ab eo caedi cupiebat in vindictam injuriae, quam ipsi intulerat; sed haec ejus humilitas sic inimicum permovit, ut se continere non potuerit quin et ipse, odio et ense depositis, cum eo, qui provolutus genibus ante ipsum erat, et dexteram jungeret. Ille autem, qui veniam postulavit, sic in spiritu profecit, ut, vestium elegantia contempta, ad pueros christianam doctrinam edocendos animum cum admiratione aliorum maxima applicaverit. In eodem oppido in meretricantes publice animadversum est, et alia non pauca profectus indicia publice et privatim cernebantur.

841. Viri nobiles gandienses non solum observantia magna P. Baptistam prosequebantur, sed secreta omnia propriae conscientiae confidenter ei aperiebant, et multi ad confessionem et communionem crebro accedebant. Alia etiam consueta in xenodochio visitando, aegrotantibus et morientibus juvandis, hoc etiam anno Gandiae facta intelligantur; et crebrae conciones in monasterio sacrarum virginum Ordinis Stae. Clarae habebantur.

842. In festis Pentecostes Patres Parra et Navarrus cum Ontenientem ivissent, ad quingentas confessiones audierunt; quod si P. Baptista eo se contulisset, affirmabant magistratus totum populum ad confessionem esse accessurum. P. Antonius Cordeses cum alio socio sacerdote in oppida Denniae et Xaveae, populo satis frequentia, se contulere, ubi concionibus et confessionibus non mediocrem fructum ceperunt. Pueros hac et illac vagantes ad christianam doctrinam audiendam collegerunt. In oppido Alcirae multis concionibus et colloquiis ita homines P. Baptista permovit, ut choreas et melodias antelucanas et alios abusus sustulerit. Tribus etiam hominibus spiri-

[1] Hieronymus Torres, de quo saepius historici et bibliographi.

tualia exercitia proposuit, qui in alios homines mutati esse visi sunt secundum spiritum Domini; et fructus hic, Alcirae collectus, conservari non in paucis contra magnos oblatrantium morsus cernebatur; ad quod non parum faciebat quod idem P. Baptista, Gandia Valentiam pergens, eos invisebat, ut stimulos negligentibus adderet et bene currentes in via Domini confirmaret.

843. Domi etiam quidem P. Baptista bene mereri studebat, et cum novis theologis et confessariis de his, quae pertinent ad homines a perturbata conscientia liberandos, et quomodo in confessionibus audiendis se gerere deberent, conferebat; et tam Valentiae quam Gandiae sub ipso nostri et in litteris et in spiritu profecerunt; et quia lectionem theologicam ipsemet interpretabatur, cum Gandia recessurus erat, alter lector geminatis lectionibus ejus locum supplebat.

844. Sub autumnum a P. Provinciali Araoz, cui diximus Aragoniae provinciam commissam post P. Simonis recessum [1], P. Baptista Barchinonam missus est, ut ipsius nomine domum illam inviseret, et per praedicationem verbi Dei amicos et urbem illam consolaretur, et ut perutilem futuram esse ipsius praedicationem ibidem merito sperabatur, nec minus vitae exemplum, ita Gandienses ejus recessum graviter tulerunt. Reliquit autem Rectorem Gandiensis Collegii P. Antonium Cordeses, qui, praeter duos illos fratres superius nominatos, P. Montoyam, Magistrum Pisam et Hurtadum Perez ac alium nomine Hernandez, in Philosophia Bachalaureos, cum alio, cognomine Marino, omnes bono ingenio et eruditione praeditos, ex variis locis Hispaniae missos, Romam versus dimisit [2]. Prosecutus est autem Gandiae idem P. Antonius concionem et christianae doctrinae lectionem, quae ibidem prius in usu erant, et, habita ratione magnitudinis populi, nullibi plures ad frequentanda sacramenta accedere credebantur; eleemosynas etiam ab subveniendum egenis servandis [3] nostri quaerebant. Cum autem in vicino quodam oppido gravissi-

---

[1] Supra, n. 739, pag. 332.

[2] Fratres superius, n. 839, nominati sunt Hieronymus Torres et Hieronymus Rubiola. Qui una cum iis Romam hoc tempore missi sunt, fuere Joannes de Montoya, Alphonsus de Pisa (Pisanus), Hurtadus Perez, Andreas Hernandez et Marino. De hoc postremo nihil praeter cognomen certi scimus.

[3] Sic; forte *servis* aut *servandas*.

mae dissensiones et discordiae populum vexarent, missus eo est quidam ex nostris Patribus, qui omnes ad concordiam adduxit, et viginti quinque homines ex una factione et totidem ex adversa, qui praecipui erant, pacem hanc propriis chirographis firmaverunt.

845. Cum autem studia nostrorum hoc autumno renovata fuerunt, major quam praecedentibus annis et popularium et monachorum cursus est factus. Oratio non vulgaris eruditionis est habita, quae scholasticos ad amorem litterarum et virtutum hortabatur. Per biduum etiam positiones philosophiae domi fuerunt disputatae et tunc bachalaurei quatuor et totidem magistri in philosophia, ut superius tetigimus, creati fuerunt [1].

Et haec de Gandiensi Collegio.

---

1 De Gandiensis Collegii seu Universitatis studiis fuse disserit Polancus in litteris, quas *ex com.*, dedit Patri Joanni Baptistae de Barma, 3 Aug.—De promotis, vide supra, n. 839, pag. 380.

DE COLLEGIO BARCHINONENSI

ET

CAESARAUGUSTANO

846. Sub finem anni praecedentis nostri Barchinonenses, quorum caput erat P. Joannes Cheralt [1], domum propriam emerant in commodo quodam situ (*Ramblam* vocant) et eo migraverant hoc anno ineunte. De sacello aut ecclesia erigenda agere coeperunt, et commode amicus quidam, Bolet cognomine, vir egregius et professione mercator [2], pecuniam ad hoc opus necessariam se mutuo daturum obtulit, quam nostri ipsi refunderent cum eleemosynis vel alia ratione id facere possent; et ita quae necessaria erant ad aedificium parabantur, et primus templi lapis decima quarta Aprilis in fundamentis positus est; et plurimi, qui ad Societatis institutum agnoscendum animum non applicabant, cum lapides comportari et aedificium fieri animadverterent, non solum ad cognoscendum institutum, sed etiam ad utendum opera nostrorum in spiritualibus ministeriis permoti fuerunt; et ita in hac quadragesima messem nostris uberem in confessionibus audiendis praebuerunt; et consecuta est in multis insignis vitae mutatio; et alii alios adducebant ut, cum nostris familiariter agendo, proficerent. Quidam erat inter alios, qui quasi dux eorum, qui male vivebant, habebatur, et adversariorum Societatis amicus erat. Hic, postquam cuidam ex nostris, nomine Gesti [3], confessus

---

1 Rectius, ut alibi saepius *Queralt*.

2 De hoc jam facta mentio est, et fit etiam in *Cartas de San Ignacio* et in *Historia de la Provincia de Aragon, de la Compañia de Jesus*.

3 P. Joannes Gesti, de quo vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 196.

fuisset, sic sententiam et vitae rationem mutavit, ut nullum domi suae habere vellet, qui nostris non confiteretur vel familiariter cum eis ageret. Proposita fuerunt exercitia spiritualia cuidam, in utroque jure bachalaureo, et ad gradum doctoratus suscipiendum se parabat, in latinis litteris et philosophicis versatus, cognomine Malucher [1], qui Societatem ingredi constituit.

847. Sed ad aedificium redeundo, velut rete quoddam effectum esse nostri scribebant, ut multas animas ad Dei cognitionem adducerent. Nomine P. Ignatii primus lapis positus fuit; in cujus superiori parte nomen Jesu, sub illo autem nomen Ignatii inciderunt; deinde nomine domorum ac collegiorum Societatis et multarum personarum ejusdem, peculiares lapides positi fuerant, et omnino Barchinonense Collegium quoddam commune hospitium transeuntium ex Hispania in Italiam futurum erat. Quatuor erant sacerdotes ex nostris, praeter duos nominatos, P. Monserrat et P. Cisteron; duo etiam scholastici, Joannes Oliva et Joannes Bernal, qui, cum theologiae studerent, valetudinis causa Barchinonam missi fuerant.

848. Ne autem sine ulla contradictione pium hoc opus novi templi conficeretur, sacerdotes et protectores cujusdam parochiae vicinae, quam *del Pi* vocant, impedire quod coeptum fuerat conati sunt. In suum enim praejudicium, novum hoc templum fieri dicebant; et cum illis constitisset quod de ipsorum utilitate temporali nihil decessurum esset, quin potius aliquid emolumenti accessurum, hoc incommodi se timere significabant, quod ipsorum ecclesia hominum frequentia destituenda esset. Venerat hoc tempore Barchinonam P. Natalis, qui ad discordiam hanc componendam non parum contulit; sed eo progrediente Valentiam, Commissarius litterarum nostrarum apostolicarum [2], et Collegii Rector, P. Cheralt, ad consilium regium evocati fuerunt, ut ostenderent in qua auctoritate nostri templum illud aedificarent; et privilegium Regis cujusdam satis antiqui in medium ferebant, Barchinonensi civitati conces-

---

[1] Rectius *Maluquer*.

[2] Sic; idem, ut nobis videtur, ac *Conservator privilegiorum nobis a Sede Apostolica concessorum*. Cum enim lis aliqua, praesertim inter religiosos Ordines, oriebatur, *Conservatores judices* ab utraque parte eligebantur, quorum praecipuum officium erat prospicere ne quid detrimenti privilegiis a Sede Apostolica concessis inferretur.

sum, quod prohibebat religiosas domos, hospitalia vel ecclesias [erigi] sine facultate Juratorum ejus urbis. Jurati quidem verbo facultatem concesserant; sed quia P. Cheralt in scriptis ostendere concessionem non poterat, ut hanc vexationem redimeret, supplicavit eisdem ut coram notario suum beneplacitum ac facultatem aedificandi domum et templum concederent, et illi, congregato consilio pro more suo, benigne concesserunt; et ita consilio regio et adversariis se posse satisfacere sperabat, et nihilominus opus coeptum prosequebatur. Sed et consilium regium in favorem Commissarii et nostri aedificii sententiam tulit, et judicem nostrorum, auctoritate litterarum apostolicarum acceptum, competentem esse judicem et bene processisse declaravit, et ita adversariis frenum impositum est; et ex hac contradictione divina bonitas, ut solet, non parum emolumenti elicuit ad Societatis bonum odorem et progressum; nam illa in dies magis innotescere, et ejus institutum ac privilegia magis cognosci et pluris fieri coeperunt.

849. Venit Barchinonam P. Petrus Domenech, Villae Beltranae Abbas, qui domos puerorum orphanorum in Portugallia magno cum fructu erexerat; et tam conjunctus erat Societati, ut non solum Barchinonae collegium (quod ea patria ejus esset) promoturus sperabatur [1], sed Societatem etiam ingressurus. Perturbationes tamen, quae in provincia Portugaliae in praecedenti anno et in hoc etiam acciderunt, senem alioqui hominem terruisse videntur [2]; et ita, ex Portugallia recedens, Barchinonae parum substitit; et ad suam Abbatiam se contulit; quem tamen P. Gesti comitatus est; et non parum quae ad divinum cultum pertinent in oppido Villae Beltran promovit, et a quibusdam ecclesiasticis concubinas abstulit, et alia pietatis opera exercuit. Vexabatur Romae bonus hic Abbas molestiis maximis, cum adhuc ipse resideret in Portugallia, et opera Societatis a magnis difficultatibus emersit; non tamen Barchinonense Collegium magnum ab eo auxilium, forte propter ejus mortem, quae non longo post tempore subsecuta est,

---

1 Non solum sperabatur, sed ipse ediderat vota Societatis Gandiae anno 1548, ut constat ex ejus litteris. *(Nota ad oram paginae apposita.)*

2 "Acerca del Abad Domenech, V. R. hizo lo que podia hacer con él; pero á lo que de Barcelona nos escriben, está muy perdido de pasion por las cosas de Mtro. Simon y hasta alienado de la Compañía. Esto por aviso, aunque más de cerca lo podrá V. R. haber tenido „ Polancus *ex com.*, Patri Hieronymo Natali, 27 Oct.—Vide infra, n. 948.

ab eo accepit. Surgebat nihilominus opus templi, et sacerdotes nostri in confessionibus et aliis pietatis functionibus se exercebant.

850. Adjutae fuerant quaedam moniales opera nostrorum Barchinonae, quarum caput aliquandiu fuit Domina Regiadela, magnis Dei donis insignis et P. Ignatio nota. Hoc tempore illa, ad meliorem vitam migrans, rogavit P. Joannem Cheralt, ut suo nomine P. eumdem Ignatium rogaret per vulnera Jesu Christi ne suum illud monasterium nostri adjuvare desisterent, in quo multarum religiosarum optima voluntas ad reformationem propensa erat. Has autem cum mors immineret, Rajadela privatim singulas alloquendo et publice, Abbatissam cum monialibus ad hanc reformationem exhortata est; et tanto cum spiritu et charitate in extrema illa suae vitae parte se gessit, ut duo ex nostris, qui morienti aderant, admirati valde fuerint; nam etiam virorum fidelium corda tali exemplo commoveri potuisse judicarunt: et ita post ejus mortem aliquae cum ferventibus desideriis ad vitae reformationem adspirabant, et ideo nostri aliquandiu charitatis officium illi monasterio intenderunt[1].

---

851. Caesaraugustae tres vel quatuor ex nostris dumtaxat versabantur. Cum enim sub judice lis esset Romae inter D. Annam Gonzalez et ipsius fratres et Dominam Aldunziam, sororem, circa templum et domum nostrae Societati ab ipsorum patre auctoritate apostolica applicatam, non videbatur expedire ut nostrorum numerus admodum augeretur, immo de paucis illis removendis, ut superius diximus, agebatur; quamvis, supplicante P. Francisco et P. Ignatio rem ipsi committente, de recessu non est amplius actum[2].

852. Interim duo sacerdotes ex nostris, scilicet, P. Rojas

---

[1] Hujus Theresiae Rajadella seu Rejadella plures exstant ad S. Ignatium litterae, quas in Appendice ad novam seriem Ignatianarum litterarum, Deo adjuvante, edemus.

[2] Vide supra, n. 769, pag. 348.—Haud parum molestiae attulere Ignatio haec Caesaraugustana negotia, ut videre est in *Cartas de San Ignacio,* passim, et praecipue in litteris, quas Polancus Caesaraugustano Conservatori dedit 23 Sept.

et Roman, supra vires quodammodo in ea Domini vinea laborabant, et frequentia eorum, qui ad confessionem et communionem accedebant, plures quidem operarios ad messem colligendam requirebat. Fructus tamen spiritualis nostros in assiduo labore consolabatur. Coeperunt quadraginta vel quinquaginta personae octavo quoque die communicare; et ut in eis fervor et profectus crescebat, ita alios atque alios ad confes siones adducebant, inter quos plures erant ex ejus urbis primariis viris, et tam exemplum horum quam familiarum reformatio odorem optimum spargebant; aliquando propter confessariorum imperitiam aliqui ad generales confessiones coacti fuerunt; plurimi vitia et peccatorum occasiones reliquerunt. Alii eorum, qui male parta habebant, restitutionem fecerunt. Sine necessitate etiam, ad majorem suam consolationem et profectum spiritualem, multi confessiones instituebant; et simul cum his pietatis functionibus erga Societatem benevolentia crescebant. Sed ut Collegium augeretur, concionator aliquis ab amicis expetebatur; et hac de causa a Comitibus Rivagorzae, ut superius tetigimus, P. Francisci Borgiae adventus et postulatus est a P. Ignatio et impetratus, ut sic homines ad ea, quae necessaria essent ad Collegium instituendum, conferenda moverentur. Caesaraugustanorum enim ingenium hujusmodi est, ut magis praesentibus et visis quam futuris et speratis moveatur; et quia reliqua communia sunt, non ulterius persequar, quae ad Aragoniae provinciam pertinent.

DE PROVINCIA PORTUGALLIAE

DE COLLEGIO ULYSSIPONENSI

ET NOVA DOMO PROFESSORUM STI. ROCCHI

853. Scripserat in Portugalliam P. Ignatius, ut vel P. Ludovicus Gonzalez vel alius aliquis ex Portugallia Romam mitteretur, ut per eum de rebus omnibus, quae ad illam provinciam pertinebant, informari posset. Fuit autem P. Ludovicus Gonzalez ad id electus, quem Rex suis litteris ad P. Ignatium comitatus est, quibus petebat ut ipsi fides haberetur in his, quae ipsius Regis nomine de P. Simone diceret. Respondit etiam Rex aliis litteris epistolae P. Ignatii, qua a Rege postulaverat ut mutationem officii Provincialis boni consuleret; et ad Dei gloriam ipse id factum cessisse et obsequium affirmabat, et suam operam et favorem ad res Societatis promovendas offerebat. Dedit etiam litteras ad suum Legatum, quibus testatur nostros cum magno spirituali fructu illius regni in Portugallia versari, qui tam ex exemplo quam ex eorum doctrina proveniebat. Scripsit et Cardinalis Infans comitando eumdem P. Ludovicum Gonzalez et, ejus virtutes et merita commendans, eumdem P. Ignatium hortabatur, ut cum eo conferret de rebus ad Societatem illius Regni pertinentibus; idem Episcopus Algarbiorum et Portallegri. Et ultimus hic affirmans quod, sicut prima institutio Societatis a Spiritu Sancto inspirata fuit, ita ad ipsius confirmationem et innumera alia bona inspiratus fuerat novus ille modus collegiorum a P. Ignatio commendatus nostris, in

quibus, scilicet, externi ab ipsa juventute in doctrina ac moribus bonis instituerentur. P. ipse Ludovicus Gonzalez rogavit etiam per litteras P. Ignatium, ante suum recessum, ut Patribus nostris injungeret in virtute obedientiae, ut unusquisque libere scriberet quae de ipso sentiret; proprio enim profectui vacare et in eo adjuvari optabat [1].

854. Admonuit P. Michaël de Torres initio hujus anni vineam illam Societatis extrinsecus speciosam, intrinsecus exesam magna ex parte, ut vites plurimas, ne aliis nocerent, ex vinea ejicere oporteret: et cum trecenti decem et octo, usque ad initium hujus anni, fuissent admissi in Portugallia, fere centum et triginta extra Societatem jam esse, qui non parum detrimentum aliis attulerunt, qui satis impudenter per urbem id temporis vagabantur; et ferebatur quod omnes dispensationes a Nuncio Apostolico obtinuissent; et existimabat operae pretium fore si a Summo Pontifice obtineretur, ne qui simplicia vota in Societate emisisset, dispensari in illis posset; nam, computo facto, hujusmodi a Societate egressos decem millia ducatorum expendisse de bonis Societatis in Lusitania comperiebatur; et haec facultas postea obtenta fuit. Nuncius tamen Apostolicus affirmabat se cum nemine in voto Religionis dispensasse, et satis se benevolum Societati ostendebat [2].

855. Cum existimaretur a quibusdam eos tantum in Indiam et Brasiliam mitti, qui quodammodo superflui in regno Portugalliae viderentur, visum est Patri D. Torres ipso facto hanc existimationem esse convincendam; et ita designavit, praeter P. Ludovicum Gonzalez, Romam mittendum [3], tres sacerdotes et quatuor alios fratres, qui in Indiam, totidem qui in Brasiliam, mitterentur. Inter eos autem, qui in Indiam destinabantur, P. Urbanus fuit, Collegii Ulyssiponensis Rector, vir prudentia et integritate ac plurimis aliis Dei donis clarus, corporis tamen

---

1 Litterarum, de quibus toto hoc n. 853 fit sermo, alias habes in TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal,* part. II, lib. IV, cap. 12 et 13, alias in *Cartas de San Ignacio,* t. III, alias denique, Deo propitio, dabimus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii.*

2 De iis saepius egit Ignatius toto hoc anno per litteras cum PP. Natali, Borgia, Mirone et Torres.

3 *praeter P. Ludovicum Gonzalez, Romam mittendum.* His verbis, ni perperam hic inserta putentur, asseri videtur inter eos, qui hoc anno in Indiam et Brasiliam destinati sunt, fuisse etiam P. Ludovicum Gonzalez, licet romano itinere praepeditus non iverit.

valetudine infirma, et cui navigatio non parum nocebat; nam praeter brachium alterum valde laesum, colicis doloribus obnoxius erat frequentibus et gravissimis, qui ad mortem illum deducebant; hernia etiam et capitis dolore et aliis gravibus morbis laborabat; et tamen, cum P. Torres in Indiam ire juberet, quae regio ipsius naturali habitudini valde contraria erat, obedivit nihilominus, mortis periculo se propter obedientiam exponens; et ita, ipso in itinere, vir optimus vitam temporalem cum aeterna commutavit [1]. Missi sunt et Patres Balthasar Diaz et Franciscus Viera, qui Ulyssiponae et Conimbricae ut egregii operarii noti erant. In Brasiliam autem caput aliorum missus fuit Ludovicus de Grana, qui Rector Collegii Conimbricensis fuerat. Fuit et inter alios P. Ambrosius Perez, qui Romam olim ut procurator Collegii Conimbricensis missus fuerat; qui, ut non libenter hoc iter suscepit, ita nec in Brasilia nec in ipsa Societate perseveravit.

856. Commendaverat P. Ignatius nostris in Portugallia, non solum ut scholas aperirent, sed etiam ut domum professorum sejunctam a collegio institui curarent; et quamvis in ipso anni initio possent praeceptores, qui legerent, inveniri, judicavit P. Torres opportunum tamen valde fore si ex Italia aliqui instructi in docendi modo eo mitterentur, immo et artem ipsam grammatices, quam usus apud nostros utilem docuisset, ad se deferri petebant. Ad nova etiam collegia instituenda, tota in Hispania fatebatur se non videre qui essent idonei, praeter eos, qui jam hoc officio fungerentur; et, quia a capite totius collegii bonus successus penderet, significabat huic etiam penuriae a P. Ignatio prospiciendum videri.

857. Quod ad professorum attinet domum, non destituebatur spe, si fructus ex collegio cerneretur. Idem autem existimabat perutile admodum fore quod P. Ignatius constituerat, ut ex singulis provinciis unus aliquis, singulis annis, Romam mitteretur. Reddidit idem rationem cur de eligendis quibusdam primariis Patribus, qui in Indiam mitterentur, serio egisset, quod scilicet devotio ad infideles eundi intepesceret, inter ingeniosos praesertim et doctos, et facto persuadendum videbatur, quod

---

[1] Vide Ignatii litteras ad P. Urbanum Fernandez in Indiam proficiscentem, in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 377.

instituerentur etiam hi ad eumdem finem; et Infans Cardinalis suadebat ut veritatem hanc Societati persuadere niteretur. Forte P. Urbani varii morbi, quia minus ab ipso exaggerabantur, minus quam erant graves existimati sunt. Illud tamen admonet ipsemet, quod experientia docuerat, plurimum nocuisse daemonem domibus Societatis in Portugallia, quod Superiores quarumdam ex eis minus altum, quam opus erat, fundamentum in spiritu jecissent; et quia tales non videbat ad nova collegia, quae offerebantur, suscipienda, nisi ab ipso P. Ignatio mitterentur, ipsius disciplina instituti, immo etiam ad admissa collegia, tales utiliter mittendos affirmat.

858. De evocando P. Simone Romam scripsit ante suum recessum P. Ludovicus Gonzalez; nam facile credebat quod in Portugalliam reditum esset curaturus, et tunc opportune adfuturum Patri Nostro aliquem, qui explicare posset non solum quae gesta essent ea in provincia, sed radices etiam eorum; nam, qui sequebantur ejus procedendi modum, dicta et exempla P. Ignatii afferebant, sicuti et illi ipsi qui P. Ignatio adhaerebant; sed in excessu, et nimia sollicitudine, et aliis circumstantiis, error latebat. Fatebatur etiam erratum ab ipsis fuisse magnopere quod P. Franciscum, anno praecedenti, in Portugalliam venire prohibuissent propter rationes, quae suo loco scriptae fuerunt [1]. Hoc tamen commodi ex errore natum fuisse, quod unusquisque, quod in corde suo latebat, facile prodidit, et ita omnes quales essent perspecti fuerunt. Collegium etiam Conimbricense, post publicam illam poenitentiam (quae sancta quaedam stultitia a multis judicabatur) [2], mirum in modum in spiritu profecisse; et Principes cum magna aedificatione id audierunt et laudarunt. Murmur autem, quod propter dimissos latebat, paulatim cessabat, et P. Michaël Gomez, qui inter egressos magnopere nostros oppugnaverat, non solum poenitentiae signa, sed desiderium etiam in Societatem redeundi prae se ferebat [3]. Cum tredecim fere annos Societas in Portugallia fuisset, paucissima quaedam de P. Ignatio intellexisse, quae ex quibusdam litteris colligebant; et cum admone-

---

1 Vide supra, t. II, pag. 701, an. 1552, n. 625.
2 Supra, t. II, pag. 698 et seq., an. 1552, nn. 620 et seq.
3 Supra, t. II, pag. 711, an. 1552, n. 640.

rentur ab ipso [1], ut in rebus scribendis et consultandis ordinem quemdam convenientem observarent, et, misso etiam aliquo singulis annis Romam, mentem ipsius recte intelligerent, nihil videbatur jucundius illis accidere posse.

859. Displicuit autem Regi quod intellexit P. Simonem in Portugalliam venire sine P. Ignatii litteris, et suam voluntatem eam esse significavit, ut non in Regno Portugalliae maneret; et Ducem de Avero, apud quem divertebat, admonuit ut desisteret a P. Simonis patrocinio in hac parte, etiam si propter valetudinem adversam ibidem et sine ullo officio manere vellet; et ita, quamvis Ulyssiponam venerat, in Hispaniam rediit et inde in Italiam, ut superius diximus [2].

860. Facile autem cernitur quam necessaria Constitutionum promulgatio et declaratio fuerit, cum ratio votorum, quae a scholasticis fiebant in Portugallia cernitur, quae difficultates multas habebat. Repetebant etiam bona sua aliqui ex his egressis, qui ea Societati applicaverant, et nostri reddenda ipsis esse judicabant. Primis mensibus hujus anni complures ex his, qui reliqui erant apud Sanctum Felicem, Societate egressi sunt; ita ut ex omnibus, qui eo ablegati fuerant, unus tantum in Societate manserit, qui, cum scholasticus esset, in officio coadjutorum servire Societati voluit. Qui etiam ibidem cursum artium praelegerat, Melchior Ludovicus, et cum Domino Theutonio Complutum missus fuerat, cum P. Simone in Portugalliam rediit, sed non ad nostros. Alius etiam concionator, Alfonsus Tellez, qui in oppido Morae annum fere integrum cum magno fructu versatus erat, ad matris suae domum, et non ad collegium, venit; nec ulla prorsus ratio, quae ipsum moveret, animadversa est, nisi quod forte in Indiam mitti timeret; et ita paulatim qui inter nostros erant, sed non erant ex nostris, ab aliis recedentes, purgatam Societatem reliquerunt.

861. Et ita Cardinalis Infans P. Mironi scripsit ei congratulando, quod novum procedendi modum tenerent, et cui favorem a Deo impendendum sperabat, quamvis labores aliquos, quibus magis purgaretur Societas et majus meritum apud Deum haberet, laturi essent, suam omnem operam illi offerens.

---

[1] P. Ignatio.

[2] Supra, n. 16 et seq., pag. 13 et seq.

Nec minorem animi laetitiam Rex ostendebat, qui se invisenti Patri Torres dixit, quod jam recederet ex eo regno P. Simon; et quod attinebat ad D. Theutonium et D. Didacum, quorum propter nobilitatem habebatur ratio, etiam eidem respondit ut optari poterat. Dominus autem Petrus Mascaregnas, perinde atque unus de Societate, ejus negotia curabat; immo et Infans Ludovicus et ipsa Regina. Videbatur enim divina bonitas eorum benevolentiam erga Societatem peculiari providentia conservare, qui ad commune bonum Societatis in eo regno plus momenti habituri erant. Ipse autem Infans Ludovicus hoc dedit consilii, ut ex Portugallia quidem ad suam provinciam Aragoniae [1] remitteretur; et cum ibidem ageret, P. Ignatii obedientia, quae Romam ipsum evocabat, ei offerretur.

862. Erat id temporis Ulyssiponae Dominus Rui Gomez de Sylva, qui litteras sua manu scriptas ad P. Ignatium P. Simoni, in ipsius commendationem, dedit. Fuit autem adjunctus comes peregrinationis P. Melchior Carnero, qui aliquandiu in Collegio Sancti Antonii Ulyssiponae hoc ipso anno fuerat, immo et praefuerat, qui postea Episcopus Niciensis et alter ex duobus successoribus Patriarchae Aethiopiae electus est. Recessit autem mense Junio P. Torres Galliciam, ut negotium Compostellani Collegii tractaret; postea tamen in Portugalliam rediit.

863. Ad aperiendam scholam Ulyssiponae evocati fuerunt Conimbria P. Cyprianus Suarez et P. Emmanuel Alvarez [2], qui, vigesima quinta die Januarii, D. Pauli conversioni sacra, inde profecti, non sine fructu spirituali iter confecerunt; nam mane ante quam iter ingrederentur, et vespere ante quam in xenodochio diverterent, in aliquot oppidis ad ecclesiam homines evocandos curabant et pueros, quos christianam doctrinam docebant et ea quae ad bonos mores pertinebant. In quodam oppido gravissimae erant inimicitiae inter duas honestas foeminas, quarum altera quinque jam menses in carcere cum quadam ancilla detinebatur, quod alteram verberasset. Quae autem in custodia detinebatur, praeter alia incommoda, gravi morbo laborabat. Sed Dominus per eos sic odia earum extinxit, ut, quae laesa fuerat, non solum a prosequenda injuria desisteret,

---

[1] P. Simon.

[2] Alii lectores fuere Petrus Perpiñá et Franciscus Rodriguez, *o Manquinho*. TELLEZ, l. c., part. II, lib. 4, cap. 4.

sed ad carcerem etiam cum magna totius oppidi et admiratione et laetitia veniret, ut alteram aegrotantem officiose inviseret.

864. Postquam ergo Ulyssiponam pervenerunt, adventus sui causam declararunt aliquot viris religiosis et doctrina eximiis, ut instituendi gymnasii rationem in concione populo declararent, inter quos erat P. Montoya, augustiniensis familiae, et alter, dominicanorum Provincialis, vir etiam magna virtute et studio divini honoris flagrans. Hi autem concionatores, simul cum caeteris, tam fructuosum hunc laborem instituendae juventutis existimarunt, ut eam vel solam rationem esse dicerent instaurandi antiquum illum populi christiani fervorem; quam eorum sententiam cum urbs Ulyssipona intellexisset, concursus illico magnus ad collegium nostrum factus est, receptique sunt multi optimae spei adolescentes his conditionibus: ut singulis mensibus ad conscientias expurgandas per confessionem accederent, Missae sacrificio quotidie interessent, et ad christianam doctrinam, qua in fide et moribus instruerentur, omnibus diebus festis convenirent. Quas conditiones cum exponerent, mirabantur multi quod haec nostri, quasi laboris sui praemia, exigerent, quae ab auditoribus essent maxime expetenda, quippe cum maxima eorum utilitate conjuncta et cum non mediocri nostrorum sacerdotum occupatione.

865. Initio duo tantum gymnasia, quae parata fuerant, Collegium habebat; sed post paucos dies alterius eorum auditores ad centum et octoginta ascenderant, nec a P. Emmanuele Alvarez, licet diligentissimo praeceptore, et doctrina atque industria magna praedito, ac laboris patientissimo, doceri poterant. Admonitus est per litteras P. Torres, et tertium gymnasium praecedentibus est additum, in quo centum auditores primis illis mensibus erant; in secundo nonaginta; in primo fere quadraginta; qui in certos ordines fuere distributi (*decurias* vocabant, quod ex decem discipulis constarent), et inter hos unus erat decurio, qui aliorum curam haberet; et cum loca haberent ad sedendum distincta, facile si quis aberat, si quis negligens esset vel parum attentus, deprehendi poterat. Unus autem erat, qui omnium decuriarum in suo gymnasio curam haberet; quae res in dies majorem ipsorum opinione cupiditatem ad multitudinem gubernandam ostendebat. Pro uniuscujusque autem profectu, in quavis decuria, scholastici

positi erant. Curabant etiam ut lectionem domo scriptam afferrent pueri; unde hoc accedebat emolumenti, ut bene ac velociter scriberent.

866. Quod attinet ad juventutis mores, brevi magnam emendationem circa vitia puerilia acceperunt, et cum magna tranquillitate in scholis versabantur. Nacti sunt correctorem, virum probum et communis utilitatis percupidum. Diebus autem festis, in suo quisque gymnasio, quae ad catechismum pertinent audiebant; ad confessionis autem sacramentum singulis diebus aliqui accedebant sic distributi, ut singulis mensibus omnes confiterentur. Hoc ipso anno augeri debuit classium numerus, ut inferius dicetur.

867. Cum nostri Martio mense in Indiam recederent, inter quos erat P. Franciscus Viera, cujus opera civitas illa [1] permultos etiam nobiles habebat, qui oratione ac divino cultui et erga proximos pietati se totos dedicaverant, tantus hominum concursus ad templum nostrum est factus tantusque fletus, ut vehementer etiam nostros commoveret. Omnes abeuntem, ad portum, in quo erant naves, ad tertium ab urbe lapidem, sunt prosecuti; et in eo pago sequentem diem, quo naves solvebant, exspectarunt. Tam parum autem fuit P. Viera sollicitus de rebus navigationi necessariis, ut si brevissimum iter ei conficiendum fuisset; eo tamen nesciente, per piam fraudem, quaedam in ejus navi illata fuerunt. Saecularis quidam adolescens illum secutus est; quatuor alii in proximo anno sequi volebant. Accidit tamen ut navis illa, in qua P. Franciscus Viera vehebatur, cum prope lineam equinoctialem jam esset, tantum aquae admitteret, ut sine ullo remedio pessum itura videretur, si non in Portugalliam rediret. Et ita P. Franciscus Viera rediit cum socio; et quamvis in Indiam non pervenerit, utiliter tamen in navi, ad multorum profectum, charitatem exercuit, et spiritualia exercitia quibusdam dedit, qui Dei obsequio se strenue dedicarunt.

868. In Brasiliam autem, praeter Ludovicum Granam et Ambrosium Perez, paulo post aliorum recessum profectus est P. Blasius Laurentius et quatuor alii fratres, qui in Brasilia multos annos Deo et communi bono servierunt. Rex autem

---

[1] Ulyssipo.

magna liberalitate omnes, tam in Indiam quam in Brasiliam navigantes, prosequebatur, et omnia necessaria usque ad bibliothecas illis suppetere volebat [1].

869. Concionabatur in ecclesia Sancti Antonii quadragesimae tempore P. Melchior Carnerus, Rector; et eodem tempore in duobus urbis parochiis, cum magna populi frequentia, P. Gonsalvus Vaz idem praestabat. Ipse P. Miron, Provincialis, tum in carcere detentos, tum in hospitalibus aegrotantes, ad patientiam hortabatur; et in uno ex illis gymnasiis [2] pueros praecepta divinae legis enarrabat, in altero Doctor Torres idem efficiebat; et uterque exemplo humilitatis et charitatis nostros ad sui imitationem excitabat. Jam in more positum fuerat, ab Adventu proxime elapso, ut in ea nostri collegii ecclesia singulis diebus dominicis concio haberetur.

870. Ante hujus anni initium, quarta Decembris, P. Joannes de Sto. Michaële, vir magnae integritatis et concionator egregius, cum magna nostrorum aedificatione, vitam hanc cum aeterna commutavit [3].

871. In oppido Thomar exhortationibus P. Michaëlis de Sousa et lectionibus casuum conscientiae magistri Marci Georgii non poenitendus fructus collectus est.

872. De P. Cornelio et Fructuoso Noghera, qui ad regnum Magni Congi profecti fuerant anno superiori, intellectum est quod ad Insulam Sancti Thomae, non procul ab eo regno dissitam, pervenissent, et in hospitali visi fuerunt incolumes ab hominibus cujusdam navis, qui certiores nostros hac de re fecerunt.

873. Mense Septembri quatuor naves ex India in Portugal-

---

[1] "Erão sette sujeitos, e estes de maneira, que promettião ser sette cabeças contrarias aos sette vicios principaes. Era o primeiro, e por então Superior de todos, o Padre Luiz da Gram, Reitor que fôra do Collegio de Coimbra (o maior da Provincia de Portugal) e cedo veremos Provincial d'esta: tão venerado e dotado do Ceo em talentos da natureza e graça, que dará bem que fazer a nossa penna. Erão os outros dous Sacerdotes, o Padre Braz Lourenço e o Padre Ambrosio Pires, e quatro Irmãos, João Gonçalves, Antonio Blasques Castelhano, Gregorio Serrão, e sobre todos, como entre planetas, aquelle que foi sol da America, luz da gentilidade, gloria de seus irmãos, honra da Companhia e exemplar de Missionarios; aquelle que sô podia fartar os desejos de Nobrega, o grande Joseph de Anchieta.„ Vasconcellos, *Chronica da Companhia de Jesu do Estado de Brasil,* lib. I, anno de 1553, n. 134.—Hi Ulyssipona 8 Maji solventes Omnium Sanctorum portum in Brasilia appulere 13 Julii.

[2] quae in Collegio instituta erant. Vide supra, n. 865.

[3] Vide supra, suo quidem loco, t. II, ann. 1552, pag. 717, n. 648.

liam pervenerunt, cum quibus duo ex nostris a P. Francisco Xavier missi; alter Andreas Carvallus, vir nobilis in India admissus, alter Andreas Fernandez, qui Romam venit et in Indiam postea rediit. Cum eo et Bernardus Japonensis, ab eodem Patre missus, ut instructior ad suos rediret, et in Portugalliam et Romam postea venit. Quia tamen alter Paulus, ex Ormutii regno a Gaspare [1] missus (qui ad P. Ignatium scripsit), non videbatur ex adventu in Lusitaniam multum profecisse, et idem in aliis ejusmodi neophytis observatum fuerat, scripsit P. Miron sibi videri in posterum hujusmodi homines non esse mittendos. Sed certe in Bernardo Japonensi, ut suo loco dicetur, dici non poterat quod adventus in Europam utilis ipsi non fuerit. Significavit idem Regem Portugalliae et Infantem Cardinalem ac Ludovicum probare quod P. Franciscus Xavier ex India revocaretur, quod ejus opera, licet in India valde esset necessaria, major in his regionibus fructus ex eadem sperare-tur; et suis etiam litteris Rex hoc ipsum P. Ignatio scripsit, et P. Ignatio gratias egit quod de spirituali bono suis in regnis promovendo sollicitus esset, et nominatim de adventu P. Natalis et de scholis institutis mentionem faciens.

874. Hoc anno in Portugalliam missa exercitia spiritualia ibidem typis excussa fuerunt [2]. Illis tamen fuit injunctum ne ea evulgari, passim in aliorum manus veniendo, permitterent; et, juxta ejusdem P. Ignatii voluntatem, curavit P. Miron ut litterae ex India et Brasilia missae, in Hispanicam linguam versae, imprimerentur [3].

875. Cum P. Natalis hac aestate in Portugalliam venisset et ibidem cognitus fuisset, ut in Portugallia maneret cum officio Provincialis a P. Ignatio postulatum est [4].

876. Cum P. Melchior Carnero, sub finem Junii, cum P. Simone ex Portugallia profectus fuisset, officio concionandi in templo collegii nostri, ejus loco, functus est P. Gon-

---

1 P. Gaspare Barceo.—De hoc Paulo vide infra, n. 904, ubi etiam de Bernardo Japonensi.

2 In hujus secundae Exercitiorum editionis descriptionem, quam habet SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, vol v, col. 61, quidam irrepsit error. Ibi enim dicitur libelli magnitudinem seu formam *(format, formato)* esse 8.°; et tamen authenticum exemplar, quod prae manibus habemus, est in 16.°

3 Haec esse videtur Indicarum litterarum editio, quam sub n. 568 describit CARAYON, *Bibliographie historique de la Compagnie de Jésus*, pag. 64.

4 Vide infra, n. 883.

zalus Vaz, qui frequenti admodum auditorio, diebus dominicis et festis, cum eo munere fungeretur, omnibus valde gratus fuit. Pergebat etiam P. Miron eisdem diebus a prandio christianam doctrinam explicare; et non solum frequens, sed honoratum ac devotum valde auditorium habuit. Confessionibus etiam vacare eumdem oportebat, cum quinque et sex sacerdotes advenientibus satisfacere non possent. Ajebant illi Patres mille fere homines singulis fere mensibus confiteri, scholasticis computatis; inde consequebatur singulis hebdomadae diebus ut multi ad communionem accederent. Crescebat in aestatis decursu scholasticorum numerus, et jam supra trecentos et triginta numerabantur, et multum consolationis eorum optima desideria nostris afferebant.

877. In spiritualibus exercitiis aliqui domi, inter quos et nobiles erant, adjuti sunt. Quidam etiam, regio officio praeditus, P. Mironem Regis nomine allocutus est, ut aliquem ex nostris sacerdotibus designaret, qui insignis cujusdam hospitalis Ulyssiponensis curam aliquam susciperet. Habebat illud quidem suos sacerdotes; sed optabatur ut aliquis ex nostris ei superintenderet, et aegrotantes inviseret, et eos, qui morti vicini essent, adjuvaret. Cum autem aliquid jurisdictionis hoc munus haberet, et alioqui pauci essent nostri operarii, non est admissum; sed obtulit P. Miron ad tempus nostrorum operam, ut aegrotantes, pro Societatis consuetudine, visitarent.

878. Eisdem diebus collegium quoddam, ab Algarbiensibus oblatum, non esse admittendum, ob hujusmodi hominum penuriam, P. Miron censuit [1].

879. Sub initium Julii mensis constituit Portugalliae Rex Joannes Patriarcham Aethiopiae ex nostra Societate petere, et primo quoque tempore mittere. Nec alios homines quam de Societate ad vineam illam novam mittendos esse censebat; et gratissimum, non solum Deo, sed et sibi, obsequium impendi a Societate existimabat si eam provinciam susciperet; et ita Summo Pontifici et P. Ignatio ea de re scripsit; omnes autem facultates, si fieri posset, Summi Pontificis, Patriarcham habere debere ad populorum utilitatem censebat. Quid autem Regem Portugalliae ad hanc missionem postulandam moverit,

---

[1] Vide infra, n. 955.

cum de Patriarchae et sociorum missione agetur, declarabitur [1].

880. Cum Rex nostros urgeret ut ipsius confessionem audirent, ut superiori anno notatum fuit [2], et illi honestas ob causas recusassent, ac deinde P. Ignatium consuluissent, litteras rescripsit idem P. Ignatius, quibus improbabat quod Regi, quod tam juste petebat, denegassent; et has ipsas litteras Regi ostendi jussit. Cum tamen Rex alium confessarium accepisset, existimarunt nostri non expedire ut hae littèrae Regi ostenderentur, quia subire mentem illius poterat suspicio, quod nostri vellent ipsius audire confessionem; rem tamen conferendam cum Infante Ludovico, qui se familiarem et amicum valde exhibebat, existimarunt, qui, cum P. Ignatii litteras ardentissime legisset, et nihil in virtute obedientiae praecipi, suam sententiam nostris explicavit, ut, scilicet, si Rex eorum operam amplius desideraret, ipsi non negarent, et tunc P. Ignatii litteras ei ostenderent; quod si Rex nihil amplius a nostris peteret, litteras non esse ipsi ostendendas. Et hoc ipsius consilium satis opportunum nostri sunt secuti. Rex autem, qui rationem non admittendi munus audiendi confessionem ipsius ex humilitate et honoris fuga proficisci intelligebat, nihil amplius molestiae in hac parte nostris exhibuit [3].

881. Post adventum P. Natalis, de domo professorum separata habenda serio agi coeptum est, quamvis non statim quod optabant sunt consecuti.

882. Redierat ex Gallicia in Portugalliam P. Natalis, et quod agebatur de Compostellano Collegio irritum fuit; quod enim offerebatur parum erat et quasi stipendii nomine propter lectiones, quas nostri erant praelecturi. Graves etiam erant conditiones, et illa inter caeteras, ut, cum ipsis videretur, collegium ex nostris manibus auferre possent; et intellectum satis est quod compostellanis, cum quibus hoc negotium erat tractandum, non admodum placebat nostrorum adventus; sed forte, ut Comiti Montis Regii et Cardinali satisfacerent, illud obtulerunt collegium cum conditionibus, quas a nostris non

---

1 Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 379.
2 Supra, t. II, pag. 687, n. 596.
3 Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 183.

esse admittendas conjiciebant; vel si admitteremus, satis ipsis erat quod arbitrio suo Societatem obligare poterant [1].

883. Scribit idem P. Torrensis multum consolationis omnes nostros in Portugallia accepisse, non solum ex constitutionum lectione, sed etiam ex declaratione, quam viva voce P. Natalis addebat; nam ad id usque tempus quisque, pro suo ingenio et captu, viam, quae tenenda esset in Societate, fingebat, et pauci scopum attingebant. Et quia Hispaniarum provincia bona pars erat Societatis, optandum esse scribit, ut verus hic ille spiritus ipsius, quem P. Natalis declarabat, radices ageret; nec satis esse verbis illud significare, nisi ad praxim ab eo, qui et auctoritatem haberet et experientiam, deduceretur; ideo ad tempus in illis provinciis P. Natalem retinendum judicabat, quem comitari ipse cupiebat ut melius Societatis nostrae institutum addisceret. Aliter tamen sentiebat ipse P. Natalis, a cujus obedientia eum [2] exemerat P. Ignatius; quod aegre significabat se tulisse, quod sub obedientia numquam vixisset [3].

884. Addit etiam quod in Portugalliae provincia majores progressus id temporis quam unquam alias Societas et in suis exercitationibus et in existimatione apud nostros et externos fecisset. Qui antea ipsius erant adversarii gravissimi, ejusdem laudatores et defensores erant; accedebat quod incredibilis quodammodo erat tum principum, tum praelatorum Ecclesiae in Societatem nostram benevolentia, et perturbationes transactae ad hanc pacem a Domino permissae videbantur, ut ad imitationem Christi Domini, et orthodoxae Ecclesiae, et ipsius Praepositi ac fundatoris nostri, ac denique universae Societatis, illam etiam provinciam conservasse et auxisse et regere Dominus videretur; ad quae omnia plurimum contulit tum P. Natalis, tum P. Francisci Borgiae in illam adventus, et ipsarum constitutionum promulgatio.

885. Cum autem Conimbricae tanta esset juvenum multi-

---

[1] Vide infra, n. 969.

[2] Patrem Torres.

[3] Ita quidem res se habebat; nam statim ac, absolutis Roma spiritualibus exercitiis, voto se Societati adstrinxit, Complutum missus est, cum Gandiae Duce aliquid conferre volens et ut negotiorum sibi a Majori Complutensi Collegio commissorum, quae Romae tractaverat, rationem redderet; et paulo post Salmanticensis ei domus cura commissa est. Vide supra, t. I, an. 1546, n. 115, pag. 169, et an. 1547, n. 169, pag. 210. —Vide supra, n. 875.

tudo recepta sine diligenti delectu, difficilis ejus gubernatio reddita fuit; et ita, aliis sponte recedentibus, aliis vero, quod apti non essent ad nostrorum institutum, dimissis, illi soli manserunt, qui se totos gratiae ac spiritui Dei serio tradiderunt; et obloquia, tam ab his, qui in Societate fuerant, quam ab eis, qui amicitia vel sanguine eis conjuncti, excitata erant et ad proceres nonnullos pervaserant, vi veritatis conciderunt; et post recessum secundum P. Simonis, cum jam purgata esset Societas ab his, quibus inficiebatur, novum fervorem reliqui ad perfectionem capessendam susceperunt, et in declaratis constitionibus tantum perfectionis contineri sentiebant, ut tunc tandem sibi viderentur verum illum Societatis spiritum cognoscere, et uberem et affluentem divinae gratiae fluxum percipere. Miro etiam gaudio Rex ipse affectus esse dicitur cum eas perlegit, et, ut sibi scriptae traderentur, rogavit.

886. Coepit itaque numerus eorum qui, tum ad conciones, tum ad audiendam Christi doctrinam, ad collegii templum confluebant, ita augeri, ut cum templum eos non caperet, domum redire multi cogerentur. Alii magno fervore, post concionem, jejuni ibidem manebant, ne post prandium locus ad audiendam Christi doctrinam eis deesset. Confessionum autem frequentia tantum sumpsit incrementum, ut duodecim ex nostris tantae multitudini non sufficerent; effectumque est ut per totam hebdomadam, tum confessionibus audiendis, tum sanctissimo Eucharistiae sacramento tradendo, sacerdotes vacarent; nec enim festis vel dominicis diebus poterat simul omnibus subveniri.

887. Coepit hoc autumno Societatis nostrae ordo et graduum distinctio in Portugallia sese ostendere [1]; nec solum lucem constitutiones attulerunt, sed ipsa praxis et institutio partium ejusdem Societatis. Nam imprimis Ulyssiponae domus professorum a collegio separata est; hi vero, qui in domo erant, in professos et coadjutores, tum in spiritualibus, tum etiam in temporalibus, divisi sunt [2]. Distinctus est et ordo novitiorum, qui in domo probationis versarentur. Apud Sanctum Antonium Collegium, prout erat prius, relictum est. Fuit autem cum Rege et, ejus jussu, cum civitate actum, velletne Ulyssiponae colle-

---

1 Vide infra, n. 890 et 891.
2 Vide infra, n. 891 et 892.

gium erigi his simile, quae in Italia et Sicilia Societas habebat; ubi tribus in classibus grammaticem, et in duabus aliis humaniores litteras et rhetoricem docerent, addita graeca et hebraica lingua, et alia lectione, qua quaestiones ad conscientiae casus [spectantes] explicarentur.

888. Placuit omnibus hujusmodi collegii formula; et cum ad Regem rem detulissent (sine cujus consensu nihil de bonis civitatis expendi poterat), is primarium consulem, nobis amicissimum [1], delegavit ut, tam Regis quam civitatis nomine, lectiones quam primum inchoari curaret, et ne quid ex his, quae necessaria erant, deesset, dispiceret; et ita summa civium alacritate collegium inchoatum est; et ipso festo Divi Lucae tanta cum frequentia studiis initium datum est, ut a Societate civitas hanc obligationem exigeret, ut prius cives Ulyssiponenses quam externos ad scholas admitterent. Habuit P. Cyprianus [2] mane latinam orationem coram multis eisdemque nobilibus, et quibusdam doctis hominibus; post meridiem autem puer quidam, non amplius quam quindecim annos natus, sed acri ingenio, positiones rhetoricas defendit, quas prius imprimi fecerat. Habitae fuerunt aliquot orationes, et in atrio quadrato collegii multa epigrammata et scriptae orationes parietibus affixae fuerant.

889. Die autem lunae sequenti lectiones inchoatae fuerunt; intermediis diebus scholastici examinati et in quinque classes distributi, in quarum suprema P. Cyprianus rhetoricam et lectionem graecam docebat, cum aliis latinis auctoribus: in reliquis, quae pro captu discipulorum conveniebant. Lectio etiam casuum conscientiae, quarta post meridiem hora, summam doctoris Navarri [3] explicabat; et statim plusquam quinquaginta auditores ad eam audiendam venerunt; sed Archiepiscopus, edicto publico, omnes parochos, sub quadam poena pecuniaria et carceris, ad lectionem accedere jussit. Ipsa autem civitas aularum conficiendarum in quadam horti nostri parte curam suscepit; interim in atrio quadrato lectio fiebat; et tam initia quam progressus scholarum multum aedificationis civitati

---

[1] Franciscum Correa, de quo vide Tellez, l. c., part. II, lib. IV, cap. 4.

[2] P. Cyprianus Suarez.

[3] Martini de Azpilcueta, Doctoris Navarri, *Manuale sive Enchiridion Confessariorum et poenitentium.*

dabant; nam et in eruditione et in modestia juvenes proficere cernebantur, et sponte sua nonnulli religionem ingressi sunt, et alii multi de re eadem cogitabant, et ipsorum parentes ad hoc ipsum quosdam instituebant. Fuit autem consilium Societatis in juventute instituenda, coram magistratibus et aliis gravibus viris, qui aderant, oratione P. Cypriani explicatum; et postea illi ipsi inspiciendis scholasticorum carminibus et orationibus valde recreati fuerunt. Disputationes autem virorum doctorum argumentis decoratae fuerunt, qui condiscipulorum ejus, qui positiones tuebatur, locum in disputando occupare voluerunt. Ad quadringentos accessit numerus scholasticorum, qui P. Franciscum Rodriguez, lectorem casuum conscientiae, audiebant.

890. Cum autem P. Natalis urgeret ut commodus aliquis locus quaereretur, ubi, qui Societatem professi essent, degere et sua munera commode administrare possent; cumque templum D. Rocchi satis commodum et optimo loco situm videretur, et parochiam non haberet, ad Regem ejusque fratrem Ludovicum Infantem res delata est. Erat templum illud penes quosdam confratres, qui difficiliores se initio praebebant; sed horum principum auctoritas et Domini Petri Mascaregnas sollicitudo et industria effecit, ut nostri in ejus possessionem, confratrum assensu, missi fuerint.

891. Coeperunt tunc homines ejus urbis, jam inde ab hac separatione, distinctionem personarunm nostrae Societatis intelligere. Postridie enim quam nostri praedictam possessionem illius loci ceperunt, aliqui ex nostris publicam professionem emiserunt [1]. Voluit autem Rex optimus, et Societatis amantissimus, horum votorum solemnium nuncupationi interesse, cum principe filio suo. Tres autem inter alios electi fuerant ad hujusmodi professionem, scilicet, Dominus Gonsalvius de Sylveira, postea Christi martyr in Aethiopia, et P. Gonsalvus Vaz ac P. Antonius de Quadros, qui tum in theologiae ac philosophiae studiis, tum in ferendis Societatis multis laboribus, diu se in Societate exercuerant, in qua decem jam annos laudabiliter vixerant. Concionatus est eodem die, coram Rege

---

1 Possessio capta est 30 Sept.; quare ea, quae hic narrare pergit Polancus, 1.ª Octobris, quae dies Dominica fuit, peracta sunt.

ac ipsius curia, P. Franciscus Borgia, in templo D. Rocchi, qui Societatis institutum, accepta ex consecuturis professionibus occasione, magna ex parte declaravit. Post concionem, P. Natalis sacrum celebravit, conversusque ad fratres, vota, quae illi publice emiserant, recepit. Vicinus ipsis Rex erat, cui P. Franciscus votorum rationem, quam ipse scriptam habuit, exponebat; et cum plures essent Ulyssiponae fratres quam ut omnes possent tunc vota emittere, pauci, praeter tres professos, ex singulis Societatis ordinibus eo die vota coram Rege nuncuparunt; reliqui sequentibus diebus, sed in eodem templo domus professorum, ea emiserunt; et mirum dictu quanta ex emissis professionibus, non solum nostrorum, verum etiam externorum, qui assistebant, animis devotio accreverit, quod lacrymae eorum et suspiria indicabant. Multum tamen hanc commotionem auxit F. Francisci exhortatio, quae, non solum Regi et aliis externis aedificationi magnae fuit, sed nostris etiam sui spiritus vehementia spiritualem quamdam renovationem attulit. Quatuor consecuti sunt, qui votis spiritualium coadjutorum se adstrinxerunt, quorum primus erat P. Franciscus Viera, ex itinere Indiae, ut superius diximus, reversus: totidem coadjutorum temporalium vota emiserunt [1]; alii vero scholasticorum vota, juxta constitutionum formulam, nuncuparunt, ut approbati censerentur.

---

[1] Coadjutorum spiritualium vota emisere, praeter Patrem Franciscum Vieira, PP. Antonius Suarez, Emmanuel Rodriguez et Emmanuel Estevez; coadjutorum autem temporalium Andreas Fernandez, Andreas Gomez et Bernardinus de Regibus. Ita Tellez, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal*, part. II, lib. 4, cap. 22, n. 7.

Sed nota 1.° In veteri codice, cui titulus *Professi et alii ad 1570,* in quo haud raro cernitur aliquid emendantis aut addentis Polanci manus, emissioni votorum Patris Antonii Suarez assignatur dies 2 Octobris. Unde conjicere licet hunc unum ex iis fuisse, qui, ut ait supra Polancus, non prima Octobris dominica sed sequentibus diebus vota emisere.—2.° Iis, quos coadjutorum temporalium vota hac die Octobris prima nuncupasse ait Tellez, addit Franco Fratrem Dominicum Anium. *Synopsis annalium Societatis Jesu in Lusitania*, ann. 1553, n. 19, quem infra, n. 901, a Polanco nominatum reperies.—3.° Nomina Bernardini de Regibus et Andreae Fernandez frustra quaerentur inter fratrum coadjutorum nomina in posterioribus Societatis catalogis. Ille enim, volventibus annis Sacerdos effectus, Procuratorem longo tempore egit, praesertim pro Missionibus exteris. Vide *Litterae Quadrimestres,* t. I, pag. 571. Hic autem, qui "ex India venerat cum Bernardo Japonensi missus a S. Xaverio, Regem et protoparentem Ignatium de rebus Indicis edocturus..., reversus in Indiam sacris initiatus pro Dei gloria strenue gessit plurima in ethnicorum conversione„. Franco, l. c.—4.° Qui professionem emiserunt, vota simplicia, quae professionis formulam consequuntur, non eadem die, sed post plures dies pronunciarunt, ut videre est in eorum autographis schedis.—Vide etiam supra, n. 15, pag. 12, et litteras a Polanco, *ex com.,* datas Patri Jacobo Miron, 15 et 22 Junii.

892. Tres autem novi professi, cum duobus coadjutoribus spiritualibus et tribus temporalibus, in domo Sti. Rocchi constituti fuerunt; et primus praepositus ejus domus fuit P. Gonsalvus de Sylveira; reliqui in usum collegii Sancti Antonii necessarii erant. Coepit statim confitentium frequentia domum Sti. Rocchi honestare; et conciones, diebus dominicis et festis, mane, ab ipso Praeposito cum magno auditorio haberi coeperunt. Eodem tempore P. Gonsalvus Vaz et Petrus de Sta. Cruz diversis in templis urbis concionabantur. Coepit autem idem P. Gonsalvus Vaz, a prandio, in novo templo D. Rocchi, christianam doctrinam explicare. Tanta erat confluentium multitudo ut, prae multitudine, templum, alioqui capax, esset valde exiguum. Multae etiam, in primis honestae foeminae, ut locum haberent post meridiem, ne ad prandium quidem post matutinam concionem et sacra se conferebant. Accidit etiam ut Comitis cujusdam uxor, ad mensam maritum relinquens, ipsa ad christianam doctrinam audiendam iret; quae tamen tam plenum invenit templum ut ingredi non potuerit; ut aliqui ex nostris, qui ad domum veniebant, absolutam jam lectionem existimarent, quae nihilominus tunc fiebat. Conatus est demum in campum egredi, ut multitudini melius posset satisfacere; sed cum id bis aut ter fecisset, prohibitum est ne amplius id faceret, quod ejus valetudo id non ferebat. Ex mendicato coepit professorum domus vivere; sed eleemosynae non solum abundanter ad sustentationem affluebant, sed, ad aedificationem etiam domus, multi multa offerebant; et haec Societatis manifestatio cum magna ejus urbis laetitia et congratulatione excepta est, et statim cómplures in Societatem recipi petebant; sed magna cum diligentia delectus eorum habebatur; et nonnulli, ad institutum idonei, recepti fuerunt, alii vero in longius protrahebantur, ex his praesertim qui ad scholas nostras accedebant; quod omnino sic fieri oportebat, ut parentes filios suos instituendos Societati nostrae confidentius traderent.

893. Expetebantur etiam collegia, praeter quam ab Algarbiorum Episcopo, a Portuensi civitate, quamvis optionem Societati dabant, ut apud se domum professorum vel collegium institueret. Dux etiam Bergantiae, cum prius vehementer contendisset ut sibi ac familiae suae duos saltem obtineret, tunc et alios ad collegium inchoandum obnixe petebat; et, quod is

princeps a Rege secundus est in Lusitania et magna praeterea virtute praeditus, ratio ejus habenda videbatur, quamvis nec ei nec aliis statim satisfieri potuerit.

894. Habebant nostri in oppido Almerino, quo Rex frequenter se conferebat, domum parum amplam, cui Regis soror, Infans Maria, domum contiguam habebat. Eam illa nostris donavit ut latius et commodius habitarent; sed et templum eadem Infans, quod in oppido Santarem pulcherrimum habebat, nostris obtulit, quamvis hoc admissum non fuerit [1].

895. De Eborensi Collegio suo loco dicetur.

896. Hi et alii fructus satis uberes praesentia P. Francisci Borgiae ac P. Natalis, qui Patribus Torrensi et Mironi opportune admodum se sub autumnum conjunxerunt, provenisse creditum sunt, per quos divina bonitas provinciam illam post tempestatem recreare ac reficere dignata est. Nec cum recessu P. Francisci et comitis ejus Bustamantis fructus palatii cessavit, sed simul et in christiana doctrina addiscenda domus Reginae ac Principis Joannae et in frequentia sacramentorum perseverarunt. Et P. Torres, tam domui quam Collegio Ulyssiponensi superintendens relictus, Dei obsequium et animarum profectum, et aedificia etiam materialia, promovere studuit. Fiebant autem pauperibus largae eleemosynae confessariorum hortatu; fuit qui duobus debitoribus pauperibus summam centum et quinquaginta ducatorum rogatus relaxaverit. Non omittam Infantis Ludovici benevolentiam simul et humilitatem, qui, cum ad concionem quamdam P. Francisci in superiorem quemdam locum aedium nostrarum, ubi fratres nostri eam audiebant, auditurus venisset, non solum attentissime audivit, sed nostros in eodem loco secum sedere ad concionem audiendam jussit. Et affirmavit deinde quod, cum eodem die (erat autem D. Mathaeo sacer) multas conciones audivisset, nihil tale unquam audierat.

897. Sed quod in templo D. Rocchi haec spiritualia ministeria exercerentur diligenter, non ideo in templo D. Antonii relaxabantur; nam in quinque gymnasiis, diebus dominicis, scholastici christianam doctrinam sic audiebant, ut, quae domi nostrae ediscerent, suis etiam domesticis communicarent; et magnus ibi erat confitentium et conmunicantium numerus; et

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 376, ann. 1551, n. 428.

inter alia pietatis opera, quidam ex fratribus nostris, Bernardus Discalzius nomine [1], in captivorum redemptionem, necessaria P. Joanni Nugnez, qui in Africa versabatur, curabat; et, paucis mensibus, duo millia ducatorum ad eum usum illo transmisit; sed et quidam vir nobilis et pius adductus est ut novem captivos sua pecunia redimi juberet.

898. Sub anni hujus finem Dominus Petrus Mascaregnas, cujus opera domum et templum Sti. Rocchi nostros obtinuisse diximus, et cujus ministerio Societas olim in Portugalliam et in Indiam missa fuerat, quique octavo quoque die cum uxore sua domi nostrae confitebatur, destinatus est a Rege Joanne Indiae Pro-rex; et ita magnum christianae religionis augmentum illis in regionibus ejus opera non immerito sperabatur, nam ob ejus pietatem insignem ad id ministerium a Rege electum esse creditur.

899. Habitatio, quae nostris in professorum domo aedificabatur, ante hujus anni finem eo deducta fuerat, ut ad eam nostri jam commigrare possent; quamvis P. Gonsalvus de Sylveira potius ad alias habitationes adspirabat, ubi, tamquam exul ab omnibus notis, amicis et sociis, Deo soli vacaret, et in proximis juvandis consolationem habere posset. Praeter conciones ejusdem Patris diebus dominicis, ad quas egregio talento a Domino donatus erat, die mercurii post meridiem, lectionem sacrae Scripturae in eodem templo populo interpretabatur; nec pluvia aut itineris prolixitas frequentiam hominum ad D. Rocchi ecclesiam retardabat. Nec solum fructus urbis, sed familiae domesticae, Reges delectabat; nam complures ex eisdem sic animo commotae erant, ut etiam ad valedicendum rebus hujus saeculi se propensas exhiberent; et alioqui, quae ex illis nobilibus virginibus nuptui tradendae erant primariis regni viris, benemereri de multis aliis, etiam illo in statu, poterant; et Infans Domina Isabella, hac aemulatione commota, suis etiam voluit exhortationes et catechismi explicationem fieri, ut per sacramentorum frequentiam et bonam institutionem et ipsae proficerent.

900. Hoc ipso anno Regina P. Torrensem Conimbria accersierat et ab eo exercitia primae hebdomadae cum fructu acce-

---

[1] Is qui alias Bernardinus a Regibus dicitur.—Vide supra, n. 891, not. 1, pag. 404, et *Litterae Quadrimestres*, t. 1, pag. 571.

perat; et, licet libenter ad alia progressa fuisset, quia ille tunc Compostellam properabat, in aliud tempus ea rejecit.

901. Collateralis praeposito Domino Gundisalvo de Sylveira datus fuit P. Gondizalvus Vaz; coadjutores spirituales, qui apud S. Rocchum manebant, fuerunt Patres Franciscus Viera et Michaël Stevez, coadjutores spirituales, et Andreas Fernandez, Dominicus Anes et Andreas Gomez, coadjutores temporales [1].

902. Dominus Petrus Mascaregnas acceperat a P. Ignatio patentes litteras, quibus toti Societati injungebatur ut Portugalliae Regem ac Principes Domino quotidie commendarent; et cum eas Regi ostendisset, magnopere gavisus est, et pro singulari dono id accepit, magnas agens Deo gratias et toti Societati atque ipsius Praeposito [2]. Scribit idem Dominus Petrus Mascaregnas quod satiari non potest in gratiis Deo agendis propter fructum uberem, quem illo in regno provenisse opera Societatis videbat, cujus se coadjutorem ac ministrum profitetur; et magnopere extollit P. Francisci Borgiae ac P. Natalis virtutem, simul cum Patribus Torrensi et Mirone.

903. Totidem erant sacerdotes in collegio quot in ipsa domo professorum, cum id confitentium et communicantium multitudo exigeret, quamvis multi ad domum S. Rocchi se inde transtulissent; et ibidem residebat P. Torres, et a prandio, diebus dominicis et festis, in ecclesia S. Antonii doctrinam christianam explicabat. Rector autem hujus collegii fuit P. Ignatius de Azebedo, postea Christi martyr, sicut et praepositus domus professae, in qua, sub initium Decembris, repositum fuit Sanctissimum Sacramentum, quod diu eo in templo non tenebatur.

904. Paulus ille Ormuziensis et in virtute et in benevolentia erga Societatem non parum creverat; ad religionis tamen institutum animum non applicavit, quin potius in Indiam redire, ut aliis prodesse posset, cupiebat. Sed longe ipsum superavit Bernardus Japonensis, qui eo animo in Europam venerat, ut in Japonem rediret; sed postea sic in spiritu profecit, ut nec patrimonium, nec patriam, nec rem ullam creatam, sed tantum Creatoris sui obsequium curaret, cui in religione inservire cu-

---

[1] Vide supra, n. 891, pag. 404.

[2] Has litteras, de quibus jam saepius factus est sermo et fiet, habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 218.

piebat; et si eum Societas non admitteret, in aliam religionem ingredi constitueret. Vir claro ingenio praeditus, sed humilitate et obedientia insignior, legere et scribere fere sine praeceptore didicit. P. Natalis Conimbriam ad probationis domum eum mittere voluit [1].

DE COLLEGIO CONIMBRICENSI

905. Hujus Collegii Rector P. Emmanuel Godinus initio hujus anni fuit; quamvis in ejusdem anni progressu, Ulyssiponam vocatus, successorem habuit P. Leonem Enriquez. Fuerunt primi menses non exiguae perturbationis eo in collegio, propter multos qui egressi fuerant e Societate, ut superius dictum est; qui, cum apud externos magni fierent et etiam apud quosdam ex nostris, id sequutum est, ut multorum saeculiarium devotio frigesceret, et quorumdam ex nostris animi affligerentur. Multi autem, praeter Principes, bono spiritu praediti, longe aliter sentiebant, cum intelligere possent rigorem nimium ab his, qui egrediebantur, accusari, qui tamen nimius non erat; sed, non omnia liberae ipsorum voluntati permittere, id rigor existimabatur; et si quid indultum esset aliquando, id ipsum in venenum ab eis, quorum imperfectioni consulebatur, converti solebat. Reliqui etiam erant nonnulli, qui non omnino mente sani erant, inter quos unus P. Emmanuel Fernandez, qui, cum Ulyssiponam mitteretur simul cum aliis, ex itinere recessit, sed postridie, quasi aperti essent oculi ejus a Domino, ad se rediit, et multis cum lacrymis animi sui tenebras deflebat, et eos singulari dilectione prosequi coepit, a quibus prius aversum animum habebat.

906. Sed paulatim haec agitatio Conimbriensium cessavit, et in magnam pacem et consolationem spiritus conversa est, sicut bonus odor apud externos non solum restitutus sed auctus est; nam scholastici cum se in humilitatis et abjectionis

---

[1] Vide supra, n. 873, pag. 397.

ministeriis publice aliquando exercerent, sicut jam olim, in collegii nascentis initiis, civibus aedificationi fuerant, ita et tunc, quasi extinctam desuetudine, eamdem aedificationem excitabant, et primum illum mortificationis spiritum renovare gaudebant. Egrediebantur autem primis mensibus hujus anni scholastici diebus dominicis ad christianam doctrinam per pagos vicinos docendam; hanc enim exercitationem P. Torres probaverat. Inter illa autem quae conciliabant hominum animos ac movebant, illud imprimis erat quod nihil nostri admitterent ex his, quae ipsis offerebantur, sed tantum id acciperent, mendicando ostiatim, quod ad cibum sufficeret; eodem enim die ad collegium redibant. Praeter catechismum autem, quod pueris proponebatur, alias ad populum exhortationes habebant, qui eosdem habere in quadragesima concionatores optabant, et, si obtinere potuissent, pergratum ipsis accidisset; non enim sine sumptu, viri, alioqui pauperes, alios concionatores ad se adducebant. Instruxit autem P. Torres hujusmodi scholasticos per pagos discurrentes, ut homines rationem bene confitendi et alia hujusmodi docerent; cum pueri jurabant, poenitentiae loco, aliquas orationes coram aliis ut dicerent iis imponebatur; si pugnabant invicem, ut alter ab altero veniam peteret adigebantur. In collegium etiam aliqui ex eis confessionis gratia veniebant. Cum autem noctu hi operarii quid egissent referrent coram P. Torrensi, si quid emendatione opus habebat, ab eo admonebantur.

907. Cum primo vere de quibusdam in Brasiliam mittendis ageretur, aliqui, morbis afflicti, ut eo mitterentur petebant, pro ratione id adducentes, quod, juxta medicorum sententiam, ipsorum aegritudo vix sanari poterat, et ita inutiles in Portugallia futuri erant (despondebat enim animo medicus quod ad eorum curationem attinebat); in Brasilia vero saltem in rudimentis christianae doctrinae docendis se utile aliquid praestare posse [1]: forte interim et morbis remedium, per aëris mutationem, afferri posse (nam et medici id significabant), et saltem mori in aliquo obsequio Dei, propter ipsius amorem, optabant. Missi fuerunt aliqui ex his, de quibus compertum est quod in Brasiliam pervenissent, et quod summus medicus coe-

---

[1] Vide supra, n. 855, pag. 390.

lestis in itinere sanitatem ipsis restituisset, de qua medici terreni desperabant [1]. Missi sunt et alii in quadragesima ad varia loca ut ibi concionarentur, illis praesertim in locis ubi nostri temporalia metebant, nam ibidem spiritualia seminanda potius quam alibi merito judicabatur.

908. P. Mironi Provinciali collateralis datus est P. Leo Enriquez, Conimbricensis Collegii Rector, quamvis ipse [2] suis litteris ad P. Ignatium serio id ne fieret precabatur. Eumdem [3] Pater Torres, simul cum P. Francisco de Villanova, P. Ignatio repraesentavit, ut eis professionem concederet; et quod ad secundum attinet, haec fuisse mens P. Torrensis videbatur, ut Provincialis fieri posset; nam, primo quidem loco, eos praepositos Provinciales et locales censebat ille faciendos, qui, non solum virtute, sed etiam aptitudine ad tractanda negotia praediti essent; sed secundo loco eos, qui vere humiles et mortificati essent, quamvis simul cum sancta simplicitate, quod id temporis non multa negotia Societas haberet; et tamen, si quae essent, eos, qui virtute hujusmodi praediti sunt, facile quaerere et invenire verum consilium, et interim vitae exemplo nostris et externis aedificationi esse, ut P. Miron, qui, cum Provinciae visitationem suscepisset, exemplum professi Societatis nostrae in sua peregrinatione praebens, Ulyssiponae eam opinionem apud homines nactus est, propter ea quae ibi agebat, quam P. Franciscus in India. Quod si hujusmodi abnegatio et humilitas alicui deesset, et aliquid sibi ipsi videretur esse, et inter alios nomen habere vellet, licet ad negotia tractanda idoneus, et ad animas ad Deum trahendas efficax, et conceptibus mysteriorum absconditorum abundans esset, vix eum tertio loco ad hujusmodi munera constituendum existimabat.

909. Curavit idem P. Torres ut quidam ex operariis conimbricensibus, qui in varia loca ejus regni, confessionis et praedicationis gratia, sparsi erant, ad se venirent, ut cum eis de profectu ipsorum conferret, et deinde in Collegium Conimbricense convenire voluit. Contulit autem plurimum ad conso-

---

[1] Vide supra, n. 868, pag. 396.

[2] Haud satis perspicue apparet quis hac voce *ipse* significetur. Significatur tamen Leo Enriquez, qui, ut ex ejus litteris constat, hunc honorem hocque onus formidabat.

[3] Leonem.

landos et animandos collegiales epistola quaedam P. Ignatii, quae ad obedientiam et abnegationem pertinebat, hoc tempore ab eis accepta [1]. Satis copiosus tam puerorum quam provectioris aetatis hominum ad nostros Conimbricenses, ex pagis ad urbem circumjacentibus, singulis hebdomadis [numerus] accedebat; nam quindecim aut sexdecim fratres per ea loca discurrebant; at quamvis odia restinguerent et alia multa bona agerent, quia tamen cum detrimento magno studiorum id fiebat, aestate accedente, cessatum est ab eo munere.

910. P. Gondisalvus Silveira sub finem praecedentis anni, Bracharae, cum spirituali fructu, aliquos dies transegit. Inde Portugalliam (Portum alio nomine eam civitatem vocant), efflagitantibus incolis, ire jussus est, ubi, tam in concionibus, quam in exhortationibus familiaribus, quam in audiendis poenitentium confessionibus, et eisdem sanctissima Eucharistia administranda, et de die et de nocte strenue laboravit; tantoque pietatis studio flagrabat is populus, ut, quia non poterat omnibus aliter satisfacere, bonam partem noctis et praemeditandis concionibus, et precibus horariis recitandis, fere semper impendere cogeretur ; quamvis ne sic quidem omnibus satisfaciebat. Ad ejus conciones publicas, sicut etiam ad sacramenta percipienda, numerosissima hominum turba confluebat. Viginti quoque plus minus homines ab eo solita spiritualia exercitia perceperunt, quorum confessiones generales audivit.

911. Inde Conimbriam veniens, eisdem functionibus et verbi Dei proponendi et sacramentorum ministrandorum, cum magno spirituali proventu, versatus est. Concionabatur diebus dominicis a prandio in templo Misericordiae, quod in medio civitatis situm est; aliis diebus in Collegio Regio ad scholasticos et aliis in locis hoc ipsum praestabat; et ita etiam Conimbriae auctus est magnopere confitentium et communicatium numerus. Idem P. diebus dominicis mane in templo nostro concionabatur, et christianam doctrinam in eodem templo Misericordiae enarrans, magnopere auditorum, qui frequentes erant, ad sacram Domini mensam frequentandam inflammabat; qua in re singulare quoddam donum accepisse a Domino videbatur; inde

---

[1] Ea est, quam ad calcem libelli Regularum Societatis Jesu editam invenies et in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 134 et seq.

consequebatur ut saepenumero nostri sacerdotes tot confessionibus audiendis non sufficerent. In eadem quadragesima P. Gondisalvus duobus monasteriis foeminarum sacrarum, S.tae Annae et S.tae Clarae, juvandis dedit operam. Commorabatur in illis ingens monacharum turba, quas omnes, alternis diebus invisens, privatim diligentissime instruebat, et bona earum pars spiritualia exercitia meditata est; et etiam postea in orationis usu persistebat; nam easdem aliquoties invisere idem Pater pergebat.

912. Cum autem Patri Torrensi optimum consilium videretur ecclesias Collegio Conimbricensi annexas spirituali doctrina pascere, Patres Petrum Diaz et Emmanuelem Leite ad Sancti Felicis Collegium misit, qui, simul cum aliis, qui ibidem erant, parochias illas visitarent, et tum concionando, tum sacramenta ministrando, eos homines juvarent. Duos alios ad Sti. Antonii de Benespera locum misit, qui tota quadragesima docendae plebi, et pueris in christianae fidei rudimentis instruendis, et aliis pietatis operibus, operam navarunt; qui etiam ad civitatem Guardae proximam accedere, et eos, qui in custodia publica tenebantur, docere, et suis interdum humeris plenos aqua cantharos, ipsorum usibus necessarios, bajulare solebant; qua in civitate et in quinque vel sex viculis, quos statis quibusdam diebus uniuscujusque hebdomadae revisebant, triginta homines atque etiam amplius, inter se valde dissidentes, ad mutuam amicitiam reduxerunt.

913. Ad Castellum quoddam regium, quod Thomar nuncupatur, ipso Rege postulante, sacerdos quidam missus est, P. Michaël de Souza nomine, ubi bis aut ter singulis hebdomadis populum docebat. Audiebat praeterea poenitentium confessiones et sanctam Eucharistiam ministrabat; nam ad haec sacramenta multi pro more pio saepe accedebant, ad quem, concionibus P. Gundisalvi de Silveira, quas ibi ferventissimas anno praecedenti habuerat, fuerunt incitati. Inde vero P. Michaël, diebus dominicis, duas parochias vicinas, alteram mane, vespere alteram, concionaturus petebat; ex cujus exhortationibus uberrimos fructus illi homines ceperunt. Sed is maximus fuit, quod fere super centum et quadraginta homines capitalibus odiis implicati, et quidem magna ex parte diuturnis, ad concordiam et familiaritatem revocati sunt, ex quibus multi

publice ac fluentibus lacrymis et genibus provoluti, alii ab aliis veniam postulabant; reliqui omnes illatas sibi injurias sponte sua invicem condonabant. In eodem castello Marcus Georgius, nondum sacerdos, casuum conscientiae binas quotidie lectiones ministris ecclesiae (quorum ibi numerus ingens est) praelegebat, id quod confessariis lucis et auxilii plurimum attulisse creditum est. Alii quidam, ad Episcopatum Portalegrensem etiam hoc anno missi, in similibus Societatis ministeriis se exercuerunt.

914. Ex hoc eodem collegio quinque in Indiam, septem in Brasiliam, missi fuerunt [1]; et alii plurimi eamdem missionem ardentibus desideriis expetebant, sed non obtinuerunt. Circa idem tempus quatuor adolescentes optimae exspectationis in Societatem admissi fuerunt, qui recedentium locum implere inciperent: unus eorum, qui theologiae dabat operam, cum ad Societatem ejus animus esset propensus, quemdam ex eis allocutus est, qui aliquando inter nostros vixerat, a quo causam exigebat cur in suscepto instituto non perstitisset: respondit ille intolerabile id sibi visum fuisse cum ejusmodi hominibus vivere, qui te, velis nolis, sanctum conentur efficere; et adolescens, qui id unum summopere optabat, protinus Societatem ingredi constituit et ad eam accessit.

915. Cum autem quidam, Marcus Perera nomine, tentationibus daemonis victus, ex collegio recessisset, eodem die, poenitentia ductus, rediit, et instanter ut admitteretur, etiam in servum, rogabat; et toto eo die et nocte ad ostium perseveravit; sed die sequenti P. Leo, qui Rectoris officio fungebatur, ei significandum curavit ut inde recederet. Absoluto artium curriculo, theologiae ille operam dabat; sed hanc rationem P. Leo, quod eum nollet admittere, reddidit, quod qui semel a Societate recessisset, parum sperari posset quod, secundo admissus, perseveraret; quod experientia ipsos id edocuisset.

---

[1] "In Indias vela fecere naves quaternae. Praetoria recepit P. Urbanum Fernandium, antehac Rectorem Collegii Conimbricensis, Balthasarem Diasium Castellanum, Andreae Oviedi Patriarchae consanguineum, operarium zelo plenum et indefessum, Alexium Diasium nondum Sacerdotem. Urbanus aegrotis inserviendo lethalem morbum contraxit, morboque obiit 8 Maji. Navem alteram conscendit Franciscus Vieira Sacerdos et Antonius Alvarus; sed haec rimis et hiatibus plena Ulyssiponensem portum repetere est coacta.„ FRANCO, *Synopsis annalium Societatis Jesu in Lusitania*, ann. 1553, n. 5.—De iis, qui in Brasiliam missi sunt, vide supra, n. 868, pag. 396.

916. Propter numerum eorum qui, vel alio missi fuerant, vel a Societate recesserant aut dimissi fuerant, vel etiam ex hac vita migraverant, erant Julio mense sub obedientia Societatis in Portugallia centum et quinque [1], et tamen solum Conimbricense Collegium centum alere scholasticos tenebatur, et tunc non amplius quam octoginta plus minus habebat, iis etiam computatis, qui apud S. Felicem et Ulyssiponae expensis ejusdem collegii alebantur, qui erant fere viginti. Itaque sexaginta dumtaxat Conimbriae sub medium Julium degebant. Pergebat in philosophiae cursu hoc anno Magister Petrus de Fonseca, nondum sacerdos, et cum suis discipulis egregie se gerebat.

917. P. Gondisalvus de Silveira, qui videbatur quibusdam ea, quae gerebantur, non admodum probare, ubi rerum statum et causas edoctus est, in omnibus, quae ad institutum Societatis pertinebant, optime sentire, et magno zelo ad ea, quae perfectionis sunt, ferri semper visus est, ut nemo prorsus ipsum anteiret, et ideo ad professionem inter primos faciendam fuit nominatus [2].

918. Invisit Conimbricenses P. Miron, et, praeter exhortationes publicas de oratione et modo procedendi in Societate, singulos seorsum allocutus est, et vitae rationem ab eis exegit; et quia confirmatos valde et animatos deprehendit, litteris quibusdam a P. Ignatio missis, ad voluntatis resignationem pertinentibus, easdem in Indiam et Brasiliam mittendas statim curavit [3]. Duodecima autem Junii profectus est idem P. Miron Ulyssiponam versus, cum quinque sociis, ad principium scholarum Eborensium mittendis [4].

919. Quia vero quidam ex collegialibus, nomine Didacus Gomez, in domo paterna gravi morbo ad mortem laborabat, nec Conimbriam ad Collegium ferri poterat, optavit aliquem ex Societate ad se mitti; et ita sacerdos quidam, cognomine Prado, ad eum missus est ut consolationi et auxilio ei esset; qui, ipso die Visitationis B. Virginis, felici transitu (nam ipse ho-

---

1 Vide supra, pag. 390, n. 854.

2 Professionem emisit 1.ª Octobris hujus anni 1553 in manibus Patris Hieronymi Natalis. Vide supra, n. 891, pag. 404.

3 Vide *Cartas de San Ignacio,* t. III, pag. 184 et seq.

4 Vide infra, a n. 935.

ram illius cognoscere, ac sacram unctionem petere, cum jam in viaticum communicasset, visus est) ad Dominum migravit, cum magnam prae se ferret animi laetitiam quod in Societate, liberatus a tempestatum periculis, quibus tam multi periclitati erant, moreretur. Ejus loco tres alii juvenes in Societatem, paulo ante ejus obitum, admissi fuerant.

920. Eisdem fere diebus intellectum est hominem quemdam, in quibusdam locis, se tamquam de Societate nostra venditare, et falsas quasdam litteras dimissorias Rectoris Conimbricensis ostendere; ferebatur etiam concionari et confessiones audire, cum tamen sacerdos non esset, et quidem eis in locis ubi nostri cum fructu versati fuerant. Sed P. Leo Episcopum allocutus est, qui statim hominem capiendum curavit, et ad aliorum exemplum punire voluit.

921. In theologicis studiis fervor auctus est, quatuor ex fratribus philosophis, peracto eo studio, ad theologiae cursum accedentibus.

922. Cum febre ethica frater quidam, Antunes nomine, obiisset, et alius vicinus morti esset, duo sacerdotes ipsorum loco admissi in Societatem fuerunt.

923. Non omittam quod perdifficile fratres coadjutores, qui in rebus temporalibus Deo in Societate servirent, in Portugallia inveniebantur, nec alios sentiebant ad perpetua hujusmodi ministeria aptiores quam servos emptitios, quorum opera utebantur.

924. Venit P. Hieronymus Natalis Conimbriam mense Octobri, et ejus diu valde exspectatus adventus collegialium spiritualem laetitiam et alacritatem valde auxit. Eodem ipso die, quo pervenerat, constitutiones publicare coepit; et, ut melius intelligerentur, conciones aliquas, quae Societatis institutum declarabant, ad collegiales habebat; et quotidie, fere per unam horam, simul conjunctos fratres alloquebatur, finem Societatis ac procedendi modum declarans; et, usque ad finem Octobris eo in Collegio persistens, omnia, tam in universum, quam sigillatim, constituere curavit juxta constitutionum formulam.

925. Inde Compostellam pergens et reditum promittens, Patribus Mironi ac Leoni [1] curam exsequendi, quae ipse prae-

---

[1] Verba *ac Leoni* linea super ducta sublata sunt; sed restituenda videntur. Ad Leonem enim, qui Rector Conimbricensis Collegii erat, spectabat magna ex parte, quae a P. Natali constituta et declarata erant, in praxim deducere.

scripserat, reliquit; et ita officia domestica singulis distribuit, et modus eas observandi declaravit. Generales etiam regulas ab omnibus edisci et ad praxim deduci curavit. Constituti sunt studiorum praefecti et syndici. Domus probationis a collegialibus caeteris sejuncta fuit, et Magister novitiis praefectus P. Antonius Correa, et confessarius novitiorum P. Gondisalvus Alvarez, et frater quidam, nomine Coellus, syndicus, qui aliis etiam in rebus domui probationis ministraturus erat; et ita hi tres, cum undecim novitiis, in vigilia Omnium Sanctorum, omnes quatuordecim numero, sejunctam quamdam domus partem habitare coeperunt.

926. Ad augmentum etiam confessionum externorum nonnihil contulit quod idem P. Natalis curavit ut ecclesia collegii paulo amplior fieret, et portae versus publicam viam semper essent apertae, ut toto die confessiones audiri possent. Diebus etiam dominicis et festis, mane concionem haberi, a prandio christianam doctrinam explicari jussit. Fuit admodum opportunus hic P. Natalis adventus Conimbricam, ubi omnes contentos admodum reliquit, cum ad omnia negotia, tam spiritualia quam temporalia, expedienda, peculiarem in Domino gratiam accepisse videretur. Ipsae autem constitutiones et regulae multum alacritatis addiderunt ad viam perfectionis ardenter capessendam; et omnes sese parabant ad votorum renovationem (quod prius inusitatum erat) eo modo, quem constitutiones exigunt, cum P. Natalis ex Gallicia Conimbricam rediret, prout Ulyssiponae jam facta fuerant.

927. Cum autem rediisset mense Novembri P. Natalis, quamvis alio properaret, octo fere dies in Conimbricensi Collegio mansit, ubi declaravit ex constitutionibus, quae magis ei convenire visae sunt, et constituit ut omnes, tam sacerdotes quam alii collegiales, qui duos integros annos in Societate exegerant, vota scholasticorum juxta formulam constitutionum emitterent: justas enim ob causas judicavit aliam distinctionem hominum Societatis non esse tunc in illud Collegium inducendam. Ipso autem die dedicationis Basilicae SS. Petri et Pauli, cum sacrum P. Natalis celebrasset, omnes sua vota Domino cum consolatione non vulgari nuncuparunt, et deinde sanctissimam Eucharistiam de manu ipsius P. Natalis susceperunt tam sacerdotes quam reliqui. Deinde concionem ad omnes P. Natalis ha-

buit, et inter caetera declaravit P. Mironem Provincialem ac P. Leonem [1] a se relinqui, quibus omnes collegiales in obedientiae signum manum osculati sunt. Die sequenti P. Antonius Correa cum reliquis de domo probationis idem fecerunt, et non parum consolationis omnibus afferebat quod regulas et constitutiones, quae Romae observabantur, quoad ejus fieri posset, ibidem observaturi essent, cum tamquam membra capiti conformari cuperent.

Et haec de Conimbricensi Collegio.

DE COLLEGIO STI. FELICIS

928. Collegiolum hoc membrum quidem est Collegii Conimbricensis tantum ob cursum philosophicum aliquando [in eo habitum]; sed ad domum probationis hoc anno conimbricenses nostri eo usi sunt. Probatio tamen hujusmodi fuit, ut hi, qui non bene se gerebant in Collegio Conimbricensi, ne alios inficerent, ad S. Felicem mitterentur, ubi P. Maximilianus, qui ei Collegio praeerat, eorum curam habuit. Hi autem iniquo animo ferentes quod a studiis essent abstracti, et publice inobedientes, et Superioribus Societatis detrahentes, sic se demum gesserunt, ut partim sponte sua egressi, partim dimissi, duodecim ex illis fuerint; nam dissolute admodum et irreligiose se gerebant; et aliquos ex eis quod P. Simon Provincialis esse desiisset, alios quod gubernatio Societatis ipsorum voluntati parum quadraret, dimitti oportebat. Duo sacerdotes inter alios, alter Manuel Leite, alter Parada cognomine, inde recesserunt. Constitutum fuerat ut studii loco tres horas meditationi darent, praeter consueta conscientiae examina et Missae sacrificium. Duo tamtum vel tres in hujusmodi probatione perseverarunt ac profecerunt [2].

929. Lectio casuum conscientiae ibidem habebatur, quia ex

---

[1] Collegii Rectorem et Provincialis collateralem. Vide supra, n. 908, pag. 412, et infra, n. 965.

[2] Vide supra, t. II, pag. 708, ann. 1552, n. 663, et in hoc t. III, pag. 393, n. 860.

sacerdotibus aliqui ea indigebant. Quod reliquum erat temporis, partim praedicationi et confessionibus audiendis in ecclesiis annexis monasterio Sti. Felicis, quod collegio unitum fuerat, partim in studio et aliis domesticis officiis, expendebatur. Erant omnes undecim numero, postquam illi, de quibus mentionem fecimus, recesserant. Quidam autem ex sacerdotibus pueros, convenientes ex locis vicinis, legere et scribere et grammaticam docebat, et in doctrina christiana ac bonis moribus instituebat; et hi, licet pauci, proficiebant; et qui inter eos erant idonei, octavo quoque die peccata confitebantur et communicabant; et si viros aliquos nomen Dei jurantes audiebant, genibus flexis, ii pueri eos rogabant propter Dei amorem, ut a jurando abstinerent; quae res parentibus eorum gratissima accidebat.

930. Praeter matutinas lectiones in parochiis vicinis, quae diebus dominicis habebantur, eisdem post meridiem, quae ad fidei rudimenta pertinent, explicabantur; et fatebantur illi populi quod, postquam illae ecclesiae Societati donatae fuerant, ipsi christianorum vitam agebant, et quod totus illius provinciae tractus malos mores emendaverat per predicationum et doctrinae christianae explicandae usum assiduum; aliquot etiam paces inter homines, qui odio mutuo se prosequebantur, conciliatae fuerunt; inter quas una fuit inter primarios viros vicini cujusdam oppidi, quae humanis mediis nullo modo perfici posse credebatur, quam tamen Deus brevissimo tempore per nostros confecit. Confessiones, etiam extra quadragesimam, aliquae audiebantur, quod non parum esse videbatur, cum homines agricolae magna ex parte et suis in familiis alendis occupati, difficile tempus aliquod his occupationibus subtrahebant, ut rebus spiritualibus darent; et quia multi ex vicinis pauper-tate premebantur, subsidia temporalia Collegium Sti. Felicis eis subministrabat, eosdemque, cum aegrotarent, in suis laboribus consolabantur.

931. In ipsa ecclesia Sti. Felicis vicissim alii atque alii ex nostris concionabantur diebus dominicis et festis, non sine spirituali fructu; nam et ipsa parochia est; et, cum morbus grassari aliquantulum in illorum populorum homines coepisset, utilior et gratior nostrorum opera in eis utroque in homine juvandis fuit; et aliqui, sacramentis acceptis, cum consolatione spiritus ad Dominum migrarunt. Alii etiam sanitatem recupera-

runt, inter quos vir quidam fuit, cujus consanguinei litem quamdam cum procuratoribus nostri collegii susceperant. Cum aegrotaret, a Rectore postulatum misit ut ad se accederet; quod cum fecisset et ejus confessionem audivisset, voluit aegrotus pro ipsius arbitrio testamentum condere, et omnia in ipsius facultate relinquere, quod tamen Rector non admisit; sed suggessit ut cujusdam viri boni consilio ad id uteretur. Cum Rector ad hunc hominem accessit, tam graviter laborabat, ut vix confiteri posset; sed, confessione absoluta, statim melius habere coepit, et loqui et comedere, et demum brevi sanitati restitutus est. Cum autem nostri ad aegrotantium fratrum subventionem aliqua parassent, in horum externorum solatium ea consumpserunt; quod eis et in spiritu et in ipso corpore non parum utile fuit.

932. Peregrinabantur aliqui ex nostris ad vicinum templum Sti. Jacobi in Compostella; et cum dies festus ejusdem Apostoli immineret, multi externi, antequam eam peregrinationem susciperent, ut nostris confiterentur, ad Sanctum Felicem accesserunt, et post communionem alacres in Domino suam peregrinationem prosequuti sunt.

933. Canonicus quidam Ecclesiae Tuicensis [1], quae in Gallicia Sto. Felici vicina est, significavit nostris quod eos cognoscere valde cupiebat, ut in spirituali via ab eis dirigeretur; et eo se duo ex nostris sacerdotibus contulerunt, et aliqua spiritualia exercitia, cum spirituali profectu, canonico fuerunt proposita; et hac occasione Episcopus magnam humanitatem ac benevolentiam nostris exhibuit. Aliqui etiam, et inter eos religiosi, ad Stum. Felicem, ut nostrorum opera juvarentur, venerunt; et, per eadem exercitia spiritualia et confessionem generalem in Domino adjuti, cum consolatione recesserunt.

934. Videbatur Doctori Torres quod aliquo modo conscientia Societatis gravaretur, quod ea in Provincia curam multarum animarum haberet, ad quarum auxilium pauci idonei sacerdotes extra ipsam Societatem inveniebantur, cum stipendium, quod illis dari solebat pro more, exiguum esset. Et donec P. Ignatius rationem aliquam iniret ad hoc onus a Collegio Conimbricensi auferendum, curavit ad parochias illas,

---

[1] Sic; est autem *Tudensis (Tuy,* latine dictum *Tude).*

quae octo vel novem in diversis locis erant, monasteriis unitas Sti. Felicis, Sti. Joannis de Longovarez et Sti. Antonii de Benespera, concionatores et confessarios ex nostris submittere.

DE COLLEGIO EBORENSI

935. Cum P. Melchior Carnerius, qui Rector hujus Eborensis Collegii primus fuerat, mense Februario Ulyssiponam translatus esset, ut loco P. Urbani Collegio Sancti Antonii praeesset, P. Tiburtius de Quadros, theologus, Eboram missus, ejus Collegii curam suscepit, et aequo animo Cardinalis, quem statim invisit Tiburtius, tulit mutationem, quamvis ipse et populus erga P. Carnerium valde affecti essent; quia, quidquid Superiores Societatis ad Dei gloriam constituissent, id optimus ille Princeps statim probabat, qui unicum hunc scopum honoris Dei in omnibus suis rebus intuebatur. Octo tantum collegiales [1] ibidem P. Tiburtius invenit, ex quibus tres aut quatuor theologiam audiebant. Erant et sacerdotes duo, qui confessionibus audiendis utiliter vacabant; sed, cum alter eorum alio mittendus esset, id onus humeris P. Tiburtii simul cum officio Superioris incumbere debebat; et utrumque satis ipsi molestum erat; et ideo, cum male valeret, accedente etiam praedicationis labore, brevi Ebora revocatus fuit; et quidam ex fratribus, Alfonsus Barretus nomine, Rector constitutus est, cum nondum ad sacerdotium esset promotus, ad quod tamen brevi promovendus erat. Hic juvenis, cum viginti quatuor annos nondum excederet, ea prudentia et integritate praeditus videbatur Patri Carnerio, et sic Societatis institutum callere, ut, jussus aliquem nominare, qui Provincialis munere fungeretur inter lusitanos, neminem se perinde aptum cognoscere fatebatur, quamvis aetas eum impediret. Hic ergo successit P. Tiburtio, qui, quamvis duo fere menses et non amplius ibi exegisset, quod alii Patres inchoaverant, circa populi et monasteriorum aedificationem, fere solus sustinuit et promovit.

---

[1] Patres et fratres Societatis intellige in Eborensi Collegio degentes.

936. Agebat Cardinalis serio de Collegio Eborensi augendo, et quidem ad festum D. Joannis aliquos ad se mitti cupiebat, qui latinas litteras, et lectiones casuum conscientiae vel sacrae Scripturae, juxta P. Ignatii et constitutionum nostrarum formulam, praelegerent. Est enim Ebora Archiepiscopatus caput, et jam Collegii aedificia ex parte erant absoluta. Urgebat autem opus ipsemet Cardinalis sua praesentia, nam saepe ad videndum opus accedebat; et quia magnam vim lignorum, quam ex Gallicia ad hoc aedificium afferri jusserat, intellexerat in navi quadam detineri, quae propter gallos, id temporis inimicos, navigare versus Portugalliam sine periculo non poterat, aliam hujusmodi materiam Ulyssiponae, licet carius, emi voluit. Et temporis successu, non solum humaniores litteras, sed etiam artium et theologiae cursus meditabatur. Cum autem P. Miron Ebora transiret, et initium lectionum ad festum Sancti Joannis faciendum esse cum Cardinale convenisset, curavit ille palatium quoddam a Rege, suo fratre, obtinere, ut ibi per duos vel tres annos nostri habitarent, donec Collegii novi aedificium prorsus esset absolutum; nam cum intellexisset ex Ulyssiponensi Collegio fructum uberem capi, non tamdiu exspectandum sibi duxit ad scholas aperiendas, dum ipsius Collegium absolveretur. Recepit autem P. Miron se ad festum D. Joannis cum omnibus lectoribus litterarum humaniorum, et quarto, qui legeret clericis casus conscientiae, venturum.

937. Erat etiam in animo Cardinali collegium quoddam hujusmodi, clericorum aut sacerdotum, instituere, quod prope nostrum esset et a nostris regeretur; sed cum rationes aliquae eidem Cardinali proponerentur, propter quas non convenire videbatur ut novum hoc onus, et eatenus inusitatum, Societas nostra subiret, nec ipsis sacerdotibus id expediret, atque suggereretur ut potius singulis eorum aliquam pecuniae summam singulis annis numerari videret, quibus adjuti, sine molestiis, quae in collegiis laicorum accidere solent, studio ac pietati darent operam, statim Cardinalis id consilium amplexus est; nam experientia ipsa brevi doctura videbatur an id potius quam in congregatione vivere conveniret; et ita ad festum D. Joannis multos ex sacerdotibus sui Episcopatus venire Eboram jussit, quorum singulis certam pecuniae summam daturus erat, ut possent in studiis sustentari. Sperabatur autem eo ex opere non

solum sacerdotum Eborensium profectus, sed quod Episcopi, hoc exemplo moti, tantumdem in suis Episcopatibus essent facturi.

938. Doctor Navarrus [1], qui doctrina et integritate summam in regno Portugalliae auctoritatem habebat, cum hujusmodi collegiorum nostrorum opus summopere laudaret, et Conimbriensem Universitatem nostris a Rege tradi cuperet, probavit tamen consilium, quod nostri Cardinali dederant, ne in collegium sacerdotes illi reducerentur; et tamquam expertus nostros hortabatur ne hujusmodi onera subirent. Vir ille cum amicus Societatis semper se exhibuisset, post contradictiones et tempestates exortas, benevolentiam erga nostros multum auxit [2].

939. Cum mense Augusto P. Natalis Eboram venisset, Cardinalis collegium suum et simul mille aureos annui reditus Societati dedit. Prius quidem P. Miron miserat lectores, juxta suam promissionem, quandoquidem ipse Eboram venire eo tempore, propter graves occupationes, non poterat; sed Cardinalis, partim quod praesentiam ejus, immo et Patris etiam Natalis optaret, partim quia jam Julii mensis aestus imminebant, differendum lectionum initium censuit; et ita, sub finem Augusti, initium lectionibus datum est. Transierat quidem prius Ebora, octava die vel nona Julii, P. Natalis; sed biduum tantum aut triduum ibi commoratus, cum litteras P. Ignatii Cardinali dedisset et eumdem fuisset alloquutus, Ulyssiponam pergere debuit, rediturus cum primum posset. Eodem tamen mense Julii praemisit P. Mironem ut aliqua cum Cardinale, ad collegium pertinentia, tractaret, interim dum P. Natalis veniebat.

940. Ipso ergo die Decollationis B. Joannis Baptistae, id est, vigesima nona Augusti [3], publicae lectiones grammatices sunt inchoatae. Gymnasium autem tres classes grammatices et litterarum humaniorum habuit, et Magister Petrus Perpignanus lectorum caput fuit. Alius etiam ex fratribus casuum conscientiae lectionem paulo post [inchoavit], scilicet, Marcus Geor-

---

[1] Martinus de Azpilcueta, Sancti Francisci Xaverii consanguineus.

[2] Vide supra, t. II, pag. 716, an 1552, n. 646.

[3] "Die consecrato Divo Augustino„ (qui vigesimus octavus est), ait FRANCO, "factum scholis initium.„ l. c., n. 14.

gius, nam prius conclusiones theologicas sustinuit [1]. Cum autem Perpignanus pro lectionum initio latinam orationem haberet, praeter magnum hominum concursum, et ipse Cardinalis adesse voluit. Magnopere, illa audita, laetatus est, ut ipsemet P. Natali retulit, cum quo eodem die alia quaedam transegit; et omnia quae suggerebantur, pro suo more, benigne amplectebatur. Bonam librorum supellectilem Cardinalis curaverat novo collegio comparandam; sed eamdem augere hoc tempore, post initia studiorum, voluit, et ad omnia, quae ab eo postulabantur, facilem semper se exhibebat. Crevit autem auditorum frequentia, quod in urbe, alioqui satis justae magnitudinis, praeceptores privati a Cardinale sublati fuerunt; et ita ad scholas nostrorum diligenter accedebant [2].

941. In concionibus opera etiam nostrorum utilis Eborae fuit, nam secum adduxit P. Natalis, sub finem Augusti, P. Gondisalvum de Silveira, qui in summo templo et quibusdam monasteriis monialium egregie concionatus est. Ejus autem vitae exemplum multum ei auctoritatis conciliabat. Aliqui dicebant, sine suspicione ipsum mala hujus mundi reprehendere posse, qui, cum in mundo valere plurimum posset (erat enim genere illustris [3]), id recusaverat; et omnino peculiari quodam dono, ad manifestandas inter concionandum mundi hujus vanitates et fraudes, praeditus a Domino videbatur. Ex quodam monasterio eorum, in quibus concionabatur, una abbatissarum ei significavit numquam tantum lacrymarum in illo choro se vidisse, quantum cum ille concionaretur. Rediit postea idem P. Gondisalvus Ulyssiponam, ut superius de eo mentio facta est.

942. Duo sacerdotes Eborenses, qui reditibus ecclesiasticis Eborae honeste sustentabantur, et jam, ab initio veris, ad Societatis institutum afficiebantur, in Societatem admissi sunt. Ejusmodi erat uterque, ut sua virtute ante ingressum non parum aedificationis illi civitati dedisset; et alter eorum a Cardinale Infante Rector collegii cujusdam puerorum orphanorum constitu-

---

[1] "Alii duo (lectores) P. Joannes Mellus, qui apud Brasilos est mortuus, et Rochus Sancius... Paulo post, crescente studentium numero, additus novus Magister Nonius Alvarus.„ Id., ibid.

[2] "Alios intra urbem esse litterarios ludos vetuit Cardinalis. Idcirco magisterium deposuerat Andreas Resendius Eborensis, humanioris litteraturae Magister caeteroquin adeo excellens ut saepe idem Cardinalis dignatus sit illum audire.„ Id., ibid.

[3] Vide TELLEZ, l. c., part. I, lib. I, cap. XXII, n. 6.

tus fuerat; et in obedientia ac resignatione voluntatis, et variis abjectionibus et mortificationibus, quae ipsis propositae fuerunt, nihil erat quod ipsorum voluntatem retardaret. Probationis autem gratia ad Collegium Conimbricense quarta Septembris missi fuerunt.

943. Confessiones erant quidem satis assiduae; sed tamen frequentiores illas P. Emmanuel Fernandez confessarius optabat, quamvis et ipse praedicationi operam daret. Obtenta ergo facultate a P. Rectore, ad homines cujusdam publicae viae se contulit, et eos ad confessionem adhortari sigillatim in singulis domibus coepit; hi homines, ejus verbis commoti et doctrina delectati, coeperunt ad sacellum Collegii nostri magno numero dominicis et festis diebus congregari, ubi exhortationem idem sacerdos apud eos habebat. Multi ad confessionem singulis mensibus adducti sunt, alii frequentius id faciebant; commoditas tamen sacelli exigua erat; postea vero major fuit in classe quadam palatii regii (quod nostris ad tempus datum diximus). Crevit autem hujusmodi hominum (qui fere artifices mechanici erant) in dies multitudo; et omnes viri erant (nam mulieribus non patebat ad eum locum accessus). Visus est autem expedire ut, post scholasticorum doctrinam, haec exhortatio ad hoc genus hominum fieret. Modus autem, quem hic sacerdos tenuit, ad hujusmodi artifices exhortandos, hic erat; ut ad eorum officinas sigillatim ingrederetur, nec domus interiora penetraret; et non ad modum concionis, sed colloquii, cum viris, qui in officinis erant, de rebus ad eorum salutem pertinentibus ageret; et quod hic modus persuadendi ea, quae ad animarum profectum pertinebant, utilis esset, fructus ipse consecutus ostendit.

944. Hoc de Cardinale addam, quod non solum non improbabat quod aliquos Societas dimisisset ad aliorum majus spirituale bonum, sed ipse etiam imitari hanc rationem, quam Societas habet, sese expurgandi voluit; cum enim quoddam monasterium monialium ejus jurisdictioni circa id tempus se subjecisset, quibus aliae personae devotae se conjunxerant, curavit ut inter ipsas tam cito professio non fieret; et ut ipsae post aliquod tempus votis simplicibus, more nostrorum scholasticorum, se obligarent, cum tamen Superiori facultas relinqueretur ad eas dimittendas, quas ad institutum ipsarum non esse idoneas inveniret.

945. Invisebant et nostri carceres, more Societatis; et cum, inter alios, quos adjuverunt, vir quidam, ad extremum supplicium damnatus, nostrorum opera usque ad mortem usus fuisset, existimati sunt ejus salutis aeternae instrumenta fuisse; et populus aedificationis plurimum ex eo percepit.

Quaedam alia de Eborensi Collegio, cum agetur de P. Natalis Commissarii peregrinatione, dicentur [1].

DE P. NATALIS MINISTERIO

IN HISPANIAE PROVINCIIS [2]

946. Roma missus est P. Natalis undecima die Aprilis; et cum Genua solvisset decima octava ejusdem mensis, decima quinta Maji Barchinonam pervenit, agitatus ille vehementer, ut quem mare non parum exerceret; sed statim, ubi terram attigit, bene habuit. Statim Doctori Torrensi scripsit ut, si existimaret properandum esse in Portugalliam, se admoneret; eodem modo Patrem Araoz suis litteris consuluit [3]. Interim Barchinonae, ut

---

[1] Totum hoc, a verbis *Quaedam alia* manu propria inseruit Polancus.—Vide infra, nn. 956 et 957.

[2] Haec etiam superscriptio Polanci propria manu exarata est.

[3] Longam scripsit Polancus epistolam Patri Jacobo Miron 7 Junii, in qua, postquam causas exposuit, quibus motus Ignatius Patrem Natalem in Portugalliam miserat, haec de ipso P. Natali scribit: "Es persona de grande entendimiento especulativo y práctico, y así no solamente es docto en todos géneros de letras y prudente en el gobierno y enderezo de las cosas agibles, pero señalado en la una parte y la otra, como allá lo verán si lo tratan. Cuanto al espíritu, es persona, que muy de veras se ha dejado poseer de la divina gracia; y sería muy larga historia contar sus cosas despues que entró en la Compañía aquí en Roma, viniendo al Concilio habrá ocho ó nueve años. Tiene mucho conocimiento de Nuestro Padre Maestro Ignacio, porque le ha tratado mucho, y parece tiene entendido su espíritu y penetrado, cuanto otro que yo sepa de la Compañía, el instituto della. Y con esto en humildad y obediencia perfecta, no solamente de ejecucion pero de voluntad y entendimiento, es de los que más constantemente se han mostrado ser verdaderos hijos de esta Compañía. Sin esto es hombre de grande ánimo en el servicio divino y para cosas grandes y universales y todas finalmente muy strenuo. Y esto he querido escribir porque V. R esté al cabo de lo que se siente de su persona y *nolite secundum faciem judicare, sed rectum judicium judicate.*

Habiendo de hallarse en ese Reino por algun tiempo el P. Mtro. Nadal, Nuestro Padre, que se fía de él como de sí mesmo, le ha dado toda su autoridad, que comunicarse puede, para que más pueda ayudar el tiempo que allá estuviere...„ Vide etiam supra, n. 3, pag 6.

superius diximus, ad aedificium novum ecclesiae, ejus praesentia non parum contulit [1]. Testatur et ipse Natalis quod contradictio auctoritatem Societati conciliavit, et ejus ministeria ac nomen latius patere fecit. Episcopus etiam eleemosynam ad aedificium obtulit; et, cum adversariis tentata concordia et aliquatenus promota, Valentiam versus recessit. Illi tamen ipsi, qui nostris contradicebant, rogaverunt P. Natalem ut sua in parochia concionaretur, quam *del Pi* vocant; quod cum fecisset ipso die Ascensionis, doctam fuisse concionem, sed non magna cum gratia auditorum (ut ipsemet scribit), referebat. Et, congregatis in domo Gubernatoris adversariis et proponentibus quae ipsis videbantur contra aedificium, satisfecit, et, antequam recederet, ne impediretur propter litem aedificii progressus curavit. Aliqua etiam in charttis circa ordinem collegii scripta nostris reliquit; et quia concionatorem non habebant, quamvis in confessionibus utiliter se exercerent, recepit se concionatorem collegio prospecturum. Admonuit P. Ignatium idem P. Natalis hanc sibi videri rationem opportunam licet opportunam [2] illius collegii fundandi, si studium Barchinonense cum collegio nostro uniretur, et cum Principe Philippo id tractari posse affirmabat [3]. Gironae etiam domum aut collegium Societati oblatum admittendum censebat, et se sperare ejus dotationem; et ad eamdem esse propensum, eo quod, ad peregrinationes nostrorum [4], Societati conveniret.

947. Admisit etiam, antequam Barchinona recederet, virum quemdam catalanum in Societatem, qui litteris humaniоribus bene doctus erat, et in philosophia ac in jure versatus. Post recessum P. Natalis Barchinona, Secretarius Principis Philippi Gubernatori Barchinonae scripsit, rogans ut impedimenta aedificii removeret; alioqui Principem ipsum praeceпturum esse ne nostri impedirentur. Actum est etiam de collegio Ilerdae, vel ut modo vocant *Leridae*, instituendo, sed res non maturuit.

---

[1] Vide supra, n. 848, pag. 385.

[2] Sic; sed verba *licet opportunam* redundare videntur, ni forte, loco prioris aut posterioris *opportunam,* aliud verbum sit substituendum.

[3] si studium..., scilicet, si *studium (el estudio)* seu Universitas, quae jam hoc tempore Barchinonae erat, collegio nostro uniretur.... (quod nonnisi auctoritate Principis effici poterat).

[4] Magis perspicue: nostris iter facientibus et ex Hispania in Galliam et Italiam, aut contra, se conferentibus.

948. Cum Valentiam pervenisset, et ibidem P. Tablares ei occurrisset, praeter ea, quae superius diximus cum de Valentino Collegio ageretur, ibidem allocutus est Abbatem Villae Beltranae, P. Petrum Domenech, qui sub obedientia Societatis tunc agebat; et cum Barchinonam se conferret, curam ipsi rerum omnium in provincia ad Societatem pertinentium injunxit, quam ipse amanter suscepit; sed cum post, ut superius diximus, Portugalliae fluctibus fuisset [agitatus], parum contulit rebus Societatis [1]. Reliquit autem P. Baptistae Valentini Collegii curam, non tamen publice ipsius Superiorem esse voluit, et, sine Gandiensis detrimento, superintendentiam hujus habere voluit [2].

949. Valentia Complutum profecturus, per Conchensem civitatem iter habuit, cujus profectionis haec occasio et successus fuit. Dominus Henricus de la Cueva, Cardinalis D. Bartholomaei de la Cueva filius, cum Conchae Inquisitor esset, officio illo relicto, Ognatem ad P. Franciscum Borgiam, sub finem anni praecedentis, se contulerat, et in Societate Deo servire decreverat; cum autem multa negotia non levis momenti non decisa reliquisset, summus Inquisitor, Archiepiscopus Hispalensis, eum accersivit, et P. Francisco scripsit ut ei persuadere niteretur, ut ad illa negotia conficienda, quae ejus requirebant praesentiam, rediret. P. Franciscus, obediendum Inquisitori ratus, Dominum Henricum ut pareret summo Inquisitori hortatus est; et, quamvis Societatis vota emiserat, partim ob dicta negotia, partim quod prospere valeret, intermisso proposito religionis, Concham ad suum officium Inquisitoris exercendum se receperat. Cardinalis, qui magnopere de ipsius in Societatem ingressu laetatus fuerat, aegre ferens quod ad officium illud rediisset, scripsit ad eumdem ut ad Societatem rediret excitando. Commendavit etiam P. Ignatio ut de eo reducendo ad Societatem cogitaret; et ita P. Natali negotium hoc commissum fuerat, qui, cum P. Tablares Concham veniens, apud eumdem Inquisitorem divertit; et de ipsius negotio cum

---

[1] Vide supra, n. 849, pag. 386.

[2] "Lo de Valencia parece acá muy bien proveido; y, si el Mtro. Strada va á Gandía, como escribe, aún podrá el Mtro. Baptista (de Barma) más tiempo estar en Valencia; y si otra provision se podrá hacer de Rector, V. R. dé órden cómo se haga.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Natali, 27 Oct.

egisset, periculum significavit, in quo versaretur, cum religionis votum emisisset, et dispensationem circa illud quaereret, cum justam causam in foro conscientiae non haberet. Hac et aliis rationibus intrinsecus ille commotus fuit, quamvis exterius subtiliter negotium suum defenderet. Cum igitur suggessissent ei, ut ad sacramentum confessionis et communionis accederent; quod cum fecisset [1] postridie, P. Natalis ad sacrum dicendum et communionem Inquisitori ministrandam se parabat; interim cum ab eo peteret P. Tablares quomodo se haberet, in reditu, inquit, vestro ex Portugallia id constituam. Et cum sacrum audisset, et communicasset, et aliquantulum genibus flexis ibidem haesisset, impetu quodam surgens et ad cubiculum se conferens, statim egressus et genua flectens, vota sua renovavit, et, se in terram prosternens, pedes P. Natalis osculabatur; qui cum animadvertit quid ab eo ageretur, jam fere actum ab eo erat; et uterque, genibus flexis ac mutuis lacrymis et amplexibus, luctari videbantur, spectante P. Tablares. Post meridiem Dominus Henricus promptum se obtulit P. Natali ut eum, quocumque vellet, mitteret, in omnibus obediturus; sed re considerata, judicavit P. Natalis prius visitationem quamdam, a Consilio Inquisitionis ipsi commissam, expediendam esse; et ita ad eam profectus est, ut, postquam duobus aut tribus mensibus eam expedivisset (nulla interim exteriori mutatione facta), tum demum ad Societatem se conferret; et quia ad Collegium Conimbricense propensus potius quam ad aliud videbatur, id ut faceret permissum est. Vir erat magno ingenio et eruditionis in jure et etiam in linguis; et insigni memoria et talento concionandi praeditus erat; sed ad alia studia diligenter tractanda Conimbriam expetebat. Scripsit idem P. Ignatio decima sexta Junii (quo tempore inde recedebat P. Natalis), et gratias egit quod in grege Societatis ovem errantem admisisset, et de suorum votorum emissione eumdem admonuit, et quod se totum obedientiae P. Natalis commisisset [2].

---

[1] Sic perspicue in ms.; sensus tamen hic est: Cum igitur suggessissent ei ut ad sacramenta confessionis et communionis accederet, idque se facturum promisisset,

[2] "Lo de Don Enrique parece se hizo cuan bien se deseaba. Dios Nuestro Señor se sirva de todo ello. Su venida para Italia no pienso el Cardenal de la Cueva la querrá, si no se muda del propósito que ha mostrado en el contrario.„ Polancus, *ex com.,* Patri Hieronymo Natali, 27 Oct.—Vide etiam *Cartas de San Ignacio,* t. IV, V et VI.

950. Concha P. Natalis Complutum pervenit, ubi P. Provincialis Araoz cum aliis collegialibus amanter eum acceperunt. Tres ibi dies precibus eorum P. Natalis substitit, in quibus magnum suae humilitatis et charitatis specimen omnibus praebuit. Ibidem autem de quibusdam scholasticis Romam mittendis egit, qui, ut superius diximus, partim ex Barchinona, partim ex regno Valentiae, hoc anno Romam versus navigarunt, et horum curam P. Petro de Tablares injunxit.

951. Contulit cum ipso P. Araoz quem modum procedendi teneret, et quem scopum in omnibus intueretur; et cum eum approbaset (quamvis fortassis non in omnibus, licet nihil tunc immutandum censebat) [1], in Portugalliam properavit, et Ulysiponam recta perrexit, quo septima die Julii pervenit, ubi quae superius dicta sunt transegit. Aliqua tamen hic addam, quae ad res Portugalliae per eum actas pertinent.

952. In primis ergo, ad Regem accedens et Infantes Cardinalem ac Ludovicum, et litteras P. Ignatii eis reddens, ac P. Ignatii et Societatis affectum ad res Societatis in ea provincia promovendas explicans, multum consolationis ipsis attulit; et quod ad principum illorum erga Societatem animum ac favorem pertinebat, nihil in eis desiderari posse testabatur. Adjecit ergo animum ad domum probationis Conimbriae a collegio separandam, et domum professorum Ulyssiponae; et coepit examen et constitutiones quotidie per unam horam explicare, et ad renovationem spiritus omnes adhortari.

953. Paulo ante ipsius in Portugalliam accessum, P. Torres Compostellam egressus fuerat. Pater etiam Franciscus [2] Salmanticam usque versus Portugalliam pervenerat; et cum ex utriusque litteris collegisset quod libenter in Portugalliam, si ipsi videretur, venturi essent, cum magna animi laetitia id intellexit; nam ad magnam aedificationem principum et aliorum fore sperabat si uterque illorum eo tempore in Portugallia versarentur, cum de constitutionum publicatione et distinctione domorum et collegiorum Societatis agendum esset; et quamvis P. Mironis opera in multis cum fructu uteretur, multum tamen auctoritatis illorum duorum adventus, et non minus auxilii, ad

---

[1] Vide supra, n. 809, pag. 368.
[2] Borgia.

omnia praestitit, ac praesertim adventus P. Francisci, cujus opera et industria omnia, quae prosperum habuerunt successum, confecta fuisse affirmat [1].

954. Cum eo tempore de Patriarcha Aethiopiae postulando Rex serio ageret, et quae illi facultates essent necessariae tractaretur, admonuit hujusmodi facultatum curam Patri Ignatio relinquendam esse, ac demum totum hoc negotium cum Summo Pontifice conficiendum [2].

955. Collegium Algarbiorum, ad quod non solum populus et Episcopus, sed Rex ipse propensus videbatur, cum obnixe expeteretur, ad sequentem annum differendum potius quam negandum judicavit [3].

956. Quod ad Collegium Eborense attinet, cupiebat Cardinalis admitti obligationem philosophicae lectionis, et ut viginti quatuor de Societate in illo alerentur, et ut omnia juxta statuta, quae ipse cum Societate transacturus erat, ibidem regerentur; et tantum fundatio ad dotationem mille aureorum aut paulo amplius ascendebat, quia id temporis majorem se non posse facere significabat. Quod ad statuta pertinet, significatum est Cardinali quod postulandum id non videretur, cum collegium juxta statuta Societatis regi deberet: caetera ad P. Ignatium rejecta sunt, cui Cardinalis scripsit, et rogavit P. Natalem ut et ipse scriberet. Erat autem Patris Natalis intentio, litteris ad P. Ignatium explicata, optimo illi Principi, et ad res Eborensis Collegii augendas valde propenso, satisfaciendum esse in his, quae Societatis instituto non repugnarent.

957. Causa autem cur nonnulla Cardinalis peteret, quae minus viderentur nostrae Societati convenire, ea erat, quod consilio quorumdam utebatur, quibus Societatis institutum parum erat perspectum; id etiam in causa fuisse credebatur cur ecclesiam exiguam eo tempore in collegio novo aedificaret, nam ei aliquis suadebat sic oportere, ut nostri aliis in ecclesiis ad majorem utilitatem civitatis concionarentur et in eis confessiones audirent; et tamen aperte ei significavit P. Natalis templum proprium, in quo praedicare et confessiones audire possent, collegio dandum esse; et ita postea successu temporis am

---

[1] Vide supra, a n. 780, pag. 353, sed praesertim n. 789, pag. 359.
[2] Vide supra, n. 879, pag. 399.
[3] Vide supra, n. 878, pag. 399.

plum a Cardinale templum erectum est. Erat autem magnificum collegii novi aedificium, et in usum horti situs amplus adhibitus. Fuit autem applicatio, tam aedificii quam redituum, sub finem Augusti facta; cum tamen ad tres lectores latinae linguae et unum casuum conscientiae se Societas obligaret, ante tamen quam instrumentum conficeretur, de praeceptore philosophiae adhibendo P. Ignatius fuit consultus.

958. Cum Ebora Lisbonam rediisset P. Natalis initio Septembris, emendatas constitutiones a P. Ignatio accepit, nam ipse examen tantum tulerat et quoddam exemplum constitutionum minus emendatum. Magna autem laetitia affectus, regulas Roma acceptas ad provinciam illam adaptare coepit; quasdam etiam, quae ibi videbantur necessariae, addidit [1]. Sperabat autem, rebus hujus provinciae expeditis, recta ubi esset P. Araoz se conferre, et, invisendo omnia collegia Hispaniae, sub autumnum sequentis anni Romam redire.

959. Tractavit autem P. Franciscus cum eodem de seipso, quod, scilicet, hyemem hujus anni et initium sequentis [in Baetica] vellet exigere, cum Hispali, Granatae, Baëzae, et etiam in civitate Xerez, collegia expeterentur; deinde, adjuvando in itinere collegia Hispaniae, ad aestatem sequentem in provinciam Guipuzcoae et Collegium Ognatense redire.

960. Postquam autem P. Natalis cum nostris egisset, cum quibusdam ex praecipuis, qui a Societate recesserant, agere voluit, et eos amanter allocutus est, et significavit Societatem cum his facturam esse quod Deus cum omnibus fecit, ut, scilicet, praeteritarum culparum oblivisceretur, et bonorum, quae ab eis aliquando gesta fuerant, memor esset, si serio in spiritu humilitatis et obedientiae resipiscerent; et quamvis parum cum his hominibus profecit, haec benignitas externis multum satisfecit, nostris autem majorem animi alienationem ab hoc hominum genere merito praebuit. Ipsi etiam, qui egressi fuerant, non potuerunt non confundi. Scripserat P. Ignatius hujusmodi homines, si fieri posset, ad Societatem reducendos, qui praesertim inter eos majori talento praediti essent, et Romam etiam mitti posse admonuerat, si potius ibi quam in Portugallia proficere posse viderentur.

---

[1] Has cum litteris pluribusque aliis, quae Natalis scripta reliquit, progressu temporis edemus.

961. Collegii Ulyssiponensis fundatio per D. Petrum Mascaregnas tentata est, postquam Rex eam sibi placere, et cum civitate communicandam, dixisset; ipse autem P. Natalis, simul cum Domino Petro, civitatis magistratus conveniens, formulam collegiorum, quae in Italia et Sicilia habet Societas, et utilitates, ad commune bonum ex eis redeuntes, explicavit et in scriptis reliquit. Amplexa est civitas libenter collegium, et, mense Septembri, tam Rex quam civitas hujus fundationis et dotationis curam susceperunt. Dedit autem Rex nobili cuidam viro, Domino Francisco Correa, qui primus erat ex magistratibus, curam videndi quae opus essent, et expendendi de bonis civitatis. Ille autem, ut vir prudens, paulatim procedendum ratus, scholas concinnare et aedificare sumptibus civitatis coepit. Dedit autem Rex singulis annis trecentos aureos, et tantum frumenti, lignorum et aliarum rerum ad victum et aegrotantium auxilium necessariarum, ut ea summa tota supra quingentos ducatos ascenderet.

962. Quidam alius amicus quinquaginta aureos annuos addidit. Quod reliquum esset, ex reditibus Collegii Conimbricensis sumi Rex voluit; nec enim ex eleemosynis vel obolum P. Ignatius accipi voluit a collegio, cum, juxta collegiorum institutum, ex reditibus et non eleemosynis sustentari deberet, et praesertim ubi domus professa futura esset, sicut Ulyssiponae futuram ducebat [1].

963. Quod attinet ad ecclesiam et domum Sancti Rocchi, quamvis judicaret Rex professis Societatis nostrae valde congruere, quidam tamen confratres, penes quos erat ejus administratio, simul conjuncti responsum Regi dederunt, quod cum ipsorum consensu locum illum Societati daturus non erat; sed haec ratio inita est, ut Dominus Petrus Mascaregnas singulos eorum alloqueretur; et ita, quod communiter negarunt, sigillatim concesserunt. Quasdam autem conditiones postulabant, sed

---

1 "Acerca del Colegio de Lisbona, en una cosa se ha determinado Nuestro Padre; en otra se remite.

Donde se ha determinado es que el Colegio no tome limosnas ningunas, ni de un jarro de agua, de Lisbona, ántes el Colegio de Coimbra le haga la limosna que han menester los que en el Colegio estuvieren, hasta tanto que Dios mueva el corazon á alguno ó algunos para fundar el Colegio... De aquí se sigue que no habrán de estar en un lugar los de la casa y los del Colegio de Lisbona, pues la casa ha de vivir de limosnas de la tierra y el colegio no.„ Polancus, *ex com.*, Rectori Conimbricensi aut Ulyssiponensi, 7 Jun.

una tantum est admissa, ut mensam diebus dominicis habere in templo confratres possent, in qua nomina eorum conscriberentur; sed deinde id curatum est, ut aliud eis templum concederetur, quod ipsa civitas ipsis obtulit; et cum Regina ut eam admitterent curaret, illi dolere se significarunt quod prius restitissent, et magnum beneficium sibi factum agnoverunt quod Societas ipsorum ecclesiam occuparet. Cum autem quasdam eleemosynas petere soleret ea confraternitas, earum compensationem a Rege acceperunt [1].

964. Recessit Ulyssipona versus Conimbriam P. Natalis, ubi, praeter publicationem et declarationem constitutionum et Collegii ordinationem, studiis etiam ordinandis praefuit, et disputantes fratres audivit, et ipsemet cum praefectis studiorum argumentatus est; et dum P. Miron exsequitur, quae constituta erant, ad monasterium Sancti Felicis et de Longovares ivit, et difficultates negotiorum, quae circa ea monasteria accidebant, vidit. Ibidem invenit P. Emmanuelem Godinum, qui aliquos census usurpatos recuperare studebat, et alia ad temporalem utilitatem pertinentia curabat. Censebat autem P. Natalis quod si Procurator ex Societate, cum duobus aut tribus sacerdotibus, apud S. Felicem versaretur, ut spiritualem profectum eorum populorum curaret, plures ibidem necessarii non essent. Nullus autem apud S. Joannem, sed parochus externus sufficere posse videbatur; et sine conscientiae scrupulo Societatem fore existimabat, si obligationes, quae illis monasteriis annexae olim fuerant, in consueta ministeria nostrae Societatis auctoritate apostolica commutarentur, et, loco parochiarum annexarum, Vicariae [2] perpetuae erigerentur cum mediocri stipendio, quarum collatio ad Archiepiscopum Bracharensem, sub cujus dioecesi erant illi populi, pertineret; et Rex atque Infans Cardinalis id probabant, quamvis sua praesentatione privari Rex nolebat.

965. Tam in his locis, quam Conimbriae, vota emitti juxta

---

[1] Fusius haec prosequitur Tellez, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal*, part. II, lib. 4, cap. 31, quod sic inscribitur: "*Tratam os nossos Padres de fundar casa neste sitio da ermida de S. Roque; das difficultades que houve pera se nos haver de entregar esta ermida, e como el Rey as fez aquietar por via de D. Pedro Mascarenhas.*„

[2] Vicariatus.

formulam scholasticorum voluit [1]; nec enim quemquam ad professionem admittendum id temporis judicabat. Videbantur autem P. Natali, cum secundo Conimbriam venisset, electionem quamdam Dei peculiarem in scholasticis agnoscere ad institutum Societatis, qui, tam multis agitationibus concussi, non solum stabiles in vocatione sua perseverabant, sed perfectionis, juxta nostrum institutum, valde studiosi cernebantur.

966. Inter reditus Collegii Conimbricensis quidam erat ex petitoriis, ut vocant, S.ti Antonii collectus, qui ad summam mille ducatorum ascendebat; et cum nostri externis quaestuariis pro more hos reditus locarent, illi, parum modeste ac religiose in hujusmodi quaestibus procedendo, non bonum odorem Societati excitabant; quod cum P. Ignatius intellexisset, ut relinquerentur admonuit, vel aliquam compensationem, si inveniretur, cum his reditibus, cum Regis beneplacito, admittendo, vel sine alia compensatione prorsus, aedificationi hoc emolumentum posthabendo. Quod autem reliquum erat ad perfectam dotationem Collegii Conimbricensis, curari cum Rege coeptum est, ut non tantum ad centum scholasticos sed ad centum et quinquaginta alendos sufficerent.

967. Rediit autem Ulyssiponam vigesima tertia Novembris et egregie functum superintendentis officio P. Torrensem invenit, et tam in scholis collegii, quam in ministerio sacramentorum, et praedicatione et omnibus pietatis officiis, magnum incrementum, ex quo inde discesserat, invenit; et quamvis cito se inde expedire, ut Cordubam proficisceretur, cupiebat, tragoedia Domini Theutonii viginti eum dies detinuit; cum Regis tamen et Infantium approbatione id demum effectum est, ut ad Ducis Bergantiae, fratris sui, domum se conferret, et quemdam ex Societate comitem haberet, cujus opera in studiis uteretur, donec aliud circa ejus negotium constitueretur. Mirum in modum affectus ad eos, qui e Societate egressi fuerant, cernebatur, et ideo nullo in collegio Societatis constituendus [2]. Illi autem de

---

1 "Cuanto á la forma del voto, que allá tienen, acá la hallamos muy nueva; del P. Mtro. Nadal, que lleva las Constituciones, entenderán la forma que acá se tiene en los votos simples, que es comunmente la de los escolares; y las otras preguntas sobre los mesmos votos, soltarlas há el P. Mtro. Nadal. Tambien se escribirá una palabra al P. Miron.„ Polancus, *ex com.*, Patri Emmanueli Godinho, 8 Junii.—Vide supra, n. 927, pag. 418.

2 Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 163.

"Entendemos que Don Theotonio ha tornado á Portugal por protector del P. Mtro. Si-

quadam religione nova cudenda agere dicebantur, et aliqui eorum Romam venire ad id curandum ferebantur; sed Rex, ne ullo modo id tractari permitteretur, ad suum Legatum Romam scripsit, quamvis periculum probabile non erat quod hi, vel recedentes vel dimissi, a Summo Pontifice audirentur, quamvis spiritum illum, in quo instituti fuerant a P. Simone, verum et germanum Societatis spiritum affirmarent, et eumdem aliquando venturum, ut ipsis praeesset, sperabant; quamvis injuriam facere ei videbantur, si hujus discessionis a Societate eum auctorem fore sperabant. Propositum fuit per D. Theutonium ut Romam ad P. Ignatium venirent cum ipso P. Natali, sed causabantur se in Societate minime manere posse, si P. Ludovicus Gonzalez in Lusitaniam erat rediturus [1]. Potius tamen credebat P. Natalis a rigore et perfectione Societatis eos, utpote libertatis amatores, abhorrere, et nulli eorum vota relaxavit. Ne autem sollicitus esset P. Natalis de D. Theutonio, dixit Infans Ludovicus ne de illo potius quam de aliis essent nostri solliciti, si quod debebat facere non fecisset. Bonum autem signum censebat idem P. Natalis quod tam alieno essent animo a P. Ludovico Gonzalez, quia quemvis alium sperabant praeter illum se posse decipere. Infans tamen Ludovicus ejus adventum in Portugalliam optabat.

968. Reliquit autem provinciam illam sub P. Mirone recedens P. Natalis, et Ulyssiponae P. Torrensem, ut collateralem

---

mon. Dicen que es mancebo de buena intencion; la prudencia, en especial cual se requiere para tal negocio, Dios se la dará mayor con el tiempo. No dudo que V. R. habrá hecho lo que ha podido por reducirlo; y debe de ser de buena natura, sino que algunos de los salidos lo echarán á perder, si le conversan. Nuestro Padre holgaria que lo trujese V. R. consigo tambien, si ántes no lo envian; y por si no bastasen medios allá ningunos, escríbele una letra Nuestro Padre, donde le exime de la obediencia de todos los de allá, y esto porque no quiebre; pero será á V. R. ver si le debe dar esta letra, cerrándola, ó no; y cuando se la diese y le dañase, aun estará en su mano escribir otra revocacion de exemptiones y mandar en obediencia; y finalmente proceder con libertad, como juzgare sea á mayor gloria divina.„ Polancus, *ex com.,* Patri Hieronymo Natali, 27 Oct.

[1] "Tambien tenga por cierto que se engañaba V. R. grandemente en lo que sentia del P. Luis Gonzalez, porque acá le hemos conocido no en tiempo tan breve como allá en Alcalá y Madrid, sino á la larga; y ántes que saliese de Portugal, con testimonios de obras (que á palabras Nuestro Padre como viejo no cree mucho) tambien era conocido; pero él es una cosa bendita y fielísimo hijo de la Compañía de Jesus, y V. R. perdone, que, si otro sintió, fué por ver su sobrescrito de mala letra y por no le leer las entrañas muy sanas y muy buenas que en él se muestran con el tratarle más de dentro. Del Dr. Torres y Mtro. Miron tambien parece que allá los deshacen, más que era razon, en sus opiniones. Lo demas de la nacion, etc., pase por gracia.„ Polancus, *ex com.,* Patri Petro Tablares, 6 Nov.—Vide infra, n. 974.

ipsius, reliquit; et eodem P. Mirone absente, tam domui professorum quam collegio Sti. Antonii superiorem eumdem esse voluit, et ejus in Portugallia habitatio [grata] praesertim Reginae fuit [1]. Reliquit autem magna cum consolatione provinciam illam Portugalliae P. Natalis, et Principibus multum satisfactionis et consolationis dedit, sicut et aliis, quorum benevolentiam majus momentum ad commune bonum habebat. Inter alia, quibus P. Natalis adductus est ut relinqueret in Portugallia Doctorem Torrensem, illud fuit, quod neminem aptiorem judicasset ut Provincialis officium ibidem exerceret; et ideo, quamvis exemptus esset ab ejus obedientia [2], rogavit eum ut ibi maneret, quod alioqui libenter Doctor ipse facturus videbatur.

969. Compostellam contulit se P. Natalis, unde, re infecta, ut diximus [3], redierat P. Torrensis; et, quamvis Comitem Montis Regii non invenerit ea in civitate, Pro-episcopum et alios, quorum intererat, de rebus ad Collegium Compostellanum pertinentibus allocutus est; sed, praeter hunc Pro-episcopum, reliqui omnes, id est, testamentarius fundatoris Collegii, nomine Simon Rodriguez, et capitulum, vel quod Societatem ignorarent, vel alias ob causas, parum ad hoc opus affectos invenit, et ut Cardinali Compostellano satisfieret, qui Romae P. Ignatium sua auctoritate urgebat, obtulit P. Natalis illis Societatis operam; at illi Universitatem saecularem confecerant, et studia rhetorices et legum ac philosophiae simul ac theologiae instituerant post discessum P. Torrensis, et locum quidem reliquerant Societati ad lectiones grammatices, philosophiae et theologiae praelegendas, si statutis ipsorum subjici vellet. Admonuit eos P. Natalis illud non convenire, sed potius ut hae facultates a jure canonico et civili separarentur, et earum cura, juxta suum institutum, Societati relinqueretur, quae subitura hoc onus erat, si ad sustentationem nostrorum congrui reditus assignarentur; et duos lectores in theologia, et tres in philosophia, ac tres in latinis litteris obtulit; reditus autem, non tantum ad eos praeceptores alendos, sed etiam ad scholasticos sufficere oportebat; et

---

[1] Scilicet, gratum plerisque, Reginae praesertim, fuit Patrem Torres Ulyssiponae commorari. Non tamen diu, ut postea videbimus, ibi haesit.

[2] Vide supra, n. 883, pag. 401.

[3] Supra, n. 882, pag. 400.

tamen dicti Cardinalis hac ratione bona voluntas ipsi gratificandi ostensa est; res ad effectum non venit [1].

970. Antequam a rebus Patris Natalis recedam, hoc addam; quod, cum P. Ignatius eum Commissarium misit in Hispaniam et Portugalliam, praeter litteras ad principes et alios complures missas, magna confidentia usus, subscriptiones varias et litterarum privatarum et patentium, cum sigillo ejusdem Societatis obsignatarum, dedit, super quas scriptum nihil erat; sed ipse, pro suo arbitrio, superscribere, quae in Domino judicasset expedire, poterat. Duplicem etiam instructionem, alteram, quae secreta esset, alteram publicam dedit. Quod pertinet ad constitutiones declarandas, et ad formulam scholarum, et ad dubia solvenda, et alia hujusmodi, ei committi omnibus constare potuit; alia vero secretiora commissa eidem fuerunt circa negotium P. Simonis, qua tamen in re fere nihil fuit elaborandum, cum, paulo ante adventum ejus in Portugalliam, ex illa ipse recessisset [2]. Ad collegia admittenda facultatem quidem habuit, sed videndum P. Ignatius admonuit ut admitterentur in locis opportunioribus, et ita ut jam admissa collegia non enervaren-

---

[1] Hic ut sensus perspicuus sit rectaque syntaxis, aliqua aut desunt aut redundant verba. Sensus igitur est: *et quamvis hac ratione voluntas bona, quam Societas habebat, gratificandi Compostellano Cardinali a Patre Natali ostensa sit, res tamen ad effectum non venit.*—De iis videndae litterae, quas Polancus *ex com.*, scripsit Patri Antonio de Araoz 20 Aug., et Patri Hieronymo Natali 21 ejusdem mensis, et pluries toto hoc anno Doctori Torres.—Vide etiam supra n. 882.

[2] Quae proficiscenti Natali data sunt, annotavit Polancus in *Litterarum Regesto*, vol. I, fol. 65, hoc modo.

"1. Molte firme in bianco, et patenti con sigillo et sottoscrizione del Padre in bianco.
2. Una patente della sua autorità. Resta la copia.
3. Una instruzione per poter mostrar et un' altra secreta.
4. Una lettera generale dell' obedientia.
5. Copia di altre lettere mandate a Spagna.
6. A Gio. Paolo una lettera testimoniale.
7. Per Salvatierra se li mandarono le constitutioni et molte regole.
8. Un' altra instruzione lunga, massime sopra danari.
9. Lettere per il P. Francesco di molte gratie che li concedeva, di cavar anime, etc.
10. Altra mia sopra Nadal.
11. Summario delle gratie delle Avemarie benedette.
12. Si rimette a lui il Padre sopra l' andar in Andalucia.„

Et eodem fol. 65 v.°

"1. Una procura generale. Resta la copia in casa del notario Casasrubias.
2. Molte firme di mia mano.
3. Lettere del Dottore Olave varie.
4. Lettere di sua andata in Spagna et authorità, per Barcelona, Valentia, Gandia, Araoz, Miron.„—Vide supra, n. 3, pag. 6.

tur. Et quamvis ipse P. Ignatius quinque vel sex ad professionem admitti jusserat [1] vel plures, si idonei viderentur, quia judicio P. Natalis res tandem erat commissa, non plures quam tres fuerunt admissi.

971. Quod ad solutionem votorum, hoc P. Mironi significatum est, consuetudinem P. Ignatii esse, ut cum aliquis ad Societatis institutum idoneus non videtur, nec fore speratur, ut ei hoc declaretur, quod Superior eum in Societate retinere nolit; et eo ipso liber et absolutus ille manebat, qui simplex votum in Societate emiserat; nec testimonium talibus negari solitum esse, quo constaret eos liberos esse. Quod si ad Societatem idonei ipsi essent, sed, quia non bene se gerunt, domi non retineren-tur, tunc vota eis minime relaxari; quia licet minime convenire judicetur ut tales, qui se non emendant, domi retineantur, si resipiscerent [tamen], tunc idonei essent; et eadem erat de sponte recedentibus ratio. Et eos, qui egrediebantur vel dimittebantur, nolebat P. Ignatius ad confessionem vel ad Sanctissimum Sacramentum admitti a nostris, donec in tali statu [se] constituerent ut admitti in Societatem possent [2].

972. Hoc etiam observandum, quod, cum P. Ignatius in sacrificiis et orationibus quotidie Regem Portugalliae ac Principem cum suis uxoribus commendari jussit, extra patentes litteras interpretationem hanc addi voluit, ut non tamquam praeceptum et ad peccatum obligans id acciperetur, sed ut exhortatio quaedam et significatio voluntatis ipsius P. Ignatii [3].

973. Cum P. Torrensis, propter valetudinem parum firmam, difficile quadraginta lectiones christianae doctrinae se facere posse P. Ignatio scripsisset, cum eodem dispensavit; quia tamen meliuscule haberi Doctor ipse coepit, non hujusmodi dispensatione indiguit, sed Ulyssiponae hoc officio diligenter functus est [4].

974. Scripserat P. Araoz, et fusius etiam P. Tablares, ante-

---

[1] Vide supra, n. 891, pag. 404.

[2] Fusius haec in litteris, quas Polancus, *ex com.*, dedit Patri Jacobo Miron, 12 Junii.

[3] Ita in litteris, quas Polancus, *ex com.*, dedit Patri Jacobo Miron, Portugalliae Provinciali, 14 Jun., quo die datae sunt litterae Ignatii, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 218.

[4] Vide supra, n. 814, pag. 369, et Ignatii ad Patrem Torres litteras in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 220.

quam P. Natalis in Portugalliam mittendus esse intelligeretur, aspere Doctorem Torrensem ac P. Mironem negotia illa tractasse, quae ad P. Simonem et alios pertinebant; sed cum P. Natalis ipsum Compluti alloqueretur, et spe optima se esse significaret, quod remedium turbis illis facile esset adhibendum, sua confidentia Patrem etiam Araoz et alios erexit. Admoniti sunt interim, qui Romam scripserant contra duos illos Patres, quasi medicos valde severos, quod non facile egressis et a Societate recedentibus credendum esset, nec tales idoneos esse testes [1]; nihilominus P. Natalis admonitus est ut, antequam informationem ab aliquo caperet, curaret intelligere qualis esset, ut quantum ei fidei habere deberet intelligeret [2].

---

[1] "En lo que toca V. R.„ scribebat *ex com.*, Patri Araoz P. Polancus "de enviarse persona para aclarar los laberintos de Portugal, el mesmo Mtro. Nadal se ha enviado para ello; y pienso se tiene acá más luz en este negocio que en Castilla, por haber informaciones de una parte y otra; pero aun si algo queda por entender y proveer en este caso, quien arriba he dicho será idóneo para ello.„ 14 Aug.—Idem 6 Nov. scribebat, *ex com.*, Patri Petro Tablares: "Por diversas letras ha entendido Nuestro Padre y los que las hemos visto lo que siente V. R. de las cosas de Portugal y de los que las han tratado; y porque entre nosotros es bien que seamos claros, V. R. sepa que acá tenemos mejores y más ciertas informaciones que las que hanles dado allá con que parece se han hecho muy Simonistas. No es bueno para testigo de lo que pasa allá ninguno de los salidos...„—Et Patri Araoz: "Si V. R. se vey con el P. Nadal, entenderá que no daban buena relacion los que tenían informado á V. R. y otros de Castilla.„ 6 Nov.

[2] Exstat haec admonitio postscripta litteris a Polanco, *ex com.*, Patri Hieronymo Natali datis 23 Sept.

DE REBUS TITUANI IN AFRICA [1]

975. Versabatur Tituani P. Joannes Nugnez jam fere quinque integros annos, quibus eum charitas et obedientia inter infideles detinuit, ut partim captivorum curam ibi gereret, partim de illis redimendis, qui quavis ratione de manibus impiorum eripi possent, ageret. Sollicite autem ex Portugallia et Hispania ad hoc pium opus eleemosynas per litteras procurabat, et ut alii procurarent eisdem litteris urgebat [2]. Sub initium hujus anni puellam quamdam, in periculo, non solum pudicitiae, sed etiam religionis constitutam, de manibus saracenorum ereptam, simul cum alia maturioris aetatis muliere, quam cum tribus filiis parvulis redemerat ab eorumdam manibus, in Portugalliam misit. In civitate Fessa (*Fez* vulgo vocant) puellulam, quam judaeus quidam in suam perfidiam adducere conabatur (cum id genus hominum, si vel unum proselytum faciant, aeternam salutem se consequi sperent), pretio etiam ab hoc injusto domino recuperandam curavit. Quamvis autem non semper ei suppetebat pecuniae copia, tam erat perspecta saracenis et judaeis Tituani habitantibus ejus probitas, ut etiam sine pecunia numerata ejus promissioni starent; et accidebat aliquando ut fidejussor duorum millium ducatorum, et debitor esset quadrigentorum, quos mutuo ad redemptiones hujusmodi et ad captivorum aegrotantium subsidia accipiebat, cum nihil, prae-

---

[1] Nihil habuit, quod de rebus anno praecedenti Tituani a Joanne Nuñez gestis enarraret Polancus, sive quod defecerint litterae, quas nec nos reperire valuimus, sive quod similia iis fuerint, quae tum de praecedentibus, tum de hoc anno narravit.

[2] Vide supra, n. 897, pag. 407.

ter suum corpus, et illud laboribus exhaustum, pro pignore dare posset.

976. Sub finem elapsi, et primis mensibus hujus anni, magna servorum multitudo in graves morbos incidit, quibus non tantum spiritualem consolationem, sed et corporalem ipse et socius ejus Ignatius Vogadus [1] prospiciebant, tam in ipsis custodiis, ubi servi noctu includebantur (*mazmorras* vocant), quam in hospitali domo, quam sub titulo *Misericordiae* P. Joannes Nugnes instituit, ubi et ipse habitabat [2]. Aliam hujusmodi domum, sub eodem titulo *Misericordiae*, in alia urbis parte habebat, cui hominem quemdam praefecerat, qui ejus et quinque custodiarum, quibus hospitale conjunctum erat, curam gereret. Fratri etiam Ignatio alius aegrotantium praefectus externus in coadjutorem datus est; nam praeter domesticam *Misericordiae* domus vel hospitalis, aliarum trium custodiarum curam etiam habebant. Tanta enim servorum christianorum multitudo Tituani erat, ut octo custodias sive *mazmorras*, quibus noctu includerentur, Tituani haberent; et tanta erat in singulis multitudo, ut mirum esset ex mutuo halitu et calore nimio eos non suffocari; tanta saracenorum erga servos christianos impietas est [3].

977. Puerum quemdam Lusitanum, duodecim annos vel tredecim natum, saracenus quidam captivum habebat, qui puer, saepe ad nostrorum domum accedens et deflens, petebat se ab ea servitute liberari, quod ejus dominus ipsum circumcidere et turcam efficere conabatur. Cum autem pecunia omnino destitutus esset P. Joannes et ideo cunctaretur in ejus redemptione, puer ille, fluentibus per genas lacrymis, dixit: saepius te rogavi ut me ab hac servitute liberares et non id facis: exigat a te Dominus rationem animae meae; nec enim video

---

[1] Alibi et saepius *Bogado, Bogadus.*

[2] Vide supra, t. II, pag. 137, an 1550, n. 326, et pag. 379, an 1551, n. 433.

[3] Praeter ea, quae in opere, cujus mentionem jam supra, t. II, pag. 380, fecimus, pauca admodum ab historiographis enarrata reperies de miserrima captivorum in urbe Tituani conditione. At, quoniam haec eadem omnino erat in omnibus urbibus in septemtrionalis Africae ora sitis et Mahumetanorum ditioni subjectis, legi utiliter potest *Historia del Reyno de Argel, su gobierno, fuerzas de mar y tierra, sus rentas, policia, justicia, politica y comercio,* escrita en francés por *Mr. Laugier de Tasi,* Comisario de la Marina real de Francia, y traducida é ilustrada por Don Antonio de Clariana, Caballero del Abito *(sic)* de San Juan. En Madrid. s. a.; lib. 2, cap. xv. *De la venta de los Esclavos, del trato que se les hace, y del modo que se rescatan.*

quomodo possim domino meo resistere, qui me nimis urget ut turca efficiar. Injecerunt autem tantum terroris haec verba et commiserationis, ut constitueret pecuniam illam, quae ad ejus redemptionem erat necessaria, cum usura cambiorum quaerere; sed turca, qui pueri dominus erat, de pretio conveniens et promissis P. Joannis credens, sine numerata pecunia, puerum dedit.

978. Hujusmodi autem certamina puerorum et mulierum crebra erant et magna molestia P. Joannem afficiebant; nam hujusmodi personae, si non redimantur, facile ad saracenorum perfidiam abducuntur. Alium etiam elegantem puerum, quem judaeus quidam cum pretio penes se habebat, qui olim ex Hispania fugerat in Africam, et, cum locuples esset et liberis careret, puerum hunc e christiano judaeum efficere et pro filio habere volebat; sed eum P. Joannes, satis magno pretio redemptum, de judaei manibus eripuit.

979. Vidit idem juvenculam jam saracenam effectam [quae], cum parvula olim capta fuisset, ne verbum quidem nisi in arabica lingua loqui noverat, nec patrem aut matrem habebat, aut quemquam, qui ejus vicem doleret. Misertus est hujus animae P. Joannes, et, quamvis aere alieno gravi premeretur, eam redimere constituit; et jam cum ejus domino convenerat et contractum stipulaverat; sed cum misit qui eam ex domo ejus saraceni deduceret, studuit Satanas hoc bonum impedire, et ita nec ejus domina nec ipsamet puella venerunt; sed decrevit ille non conquiescere donec ex faucibus daemonis hanc animam eriperet, quae tanti Christo constitit. Aliam etiam, quae ad sectam Mahometi declinaverat, ad fidem christianam reduxit, et per nurum Gubernatoris curavit ut sibi liceret eam deducere ad quarumdam christianarum mulierum, quae liberae jam erant, domum; quod et obtinuit, et ibidem eam alebat, et ad eam redimendam deinde pecuniam quaesivit. Juvenis etiam quidam lusitanus christianae fidei renunciavit; sed eodem die, quo id fecerat, Illi praesto fuit P. Joannes Nugnez, per quem Dominus juvenem ad fidem reduxit; et diebus sequentibus alius eodem modo reductus ab eodem fuit, et constans in fide christiana perstitit. Aliqui, qui in periculo erant deficiendi, animum boni Patris valde affligebant, et illi praesertim, qui in aetate tenera constituti erant; nam hujusmodi, si tempe-

stive non redimantur, facile fidem relinquunt; et hujusmodi multae mulieres erant Tituani, quae multos jam filios habebant, et multi etiam viri. Non autem sine crebris injuriis et injustitiis haec negotia a P. Joanne tractari poterant, immo periculum ei imminebat apud Fessae regem, cum de revocandis ad fidem his, qui eam abnegaverant, agebat, ac de retinendis et stabiliendis illis, qui ad eam deserendam erant propensi; sed propter hujusmodi pericula nihil omisit eorum, quae pietas exigebat; et hoc ei displicebat vehementer, quod non tantum pecuniae habere poterat, ut omnes qui periclitabantur redimere posset; et libenter vitam corporis, ut animas aliorum ab aeterna morte eriperet, periculo exponebat, et tunc praesertim cum a turcis vel saracenis, qui multi Tituanum veniebant piraticam exercentes, qui magnam puerorum multitudinem afferebant; qui, gravissimis peccatis irretiti, flentes ad P. Joannem veniebant, ut a tanto malo eos liberaret. Cum autem omnes non posset redimere, tanto se dolore transfigi scribebat, ut cor ejus videretur crepare, et tunc praesertim cum aliquos ipsorum paulo post fidem abnegare videret; et Dei justitiam super eos implorabat, qui ex captivitate, cum possent, eos non eripiebant et perire sinebant. Cum autem inter hos puerum quemdam algarbiensem simul cum suo [1] captivum intelligeret, quemdam amicum rogavit, ut ad illas piratarum triremes (*fustas* vocant) se conferens, duos aut tres ex illis pueris, qui fidem abnegaverant, redimere curaret, etiamsi domini ipsorum pretium majus quam persolvi soleat pro talibus postularent. Sic et alios hujusmodi, qui Tituani retinebantur, liberare studuit, et virum quemdam hispanum, mutum, qui triginta annos captivus fuit.

980. Cum charitate infideles destituantur, etiam humanitate multi eorum in ea parte Africae destitui videbantur; et ita servos suos utriusque sexus pessime tractant, et sine calceis et sine indusiis et nudam carnem ostendentes incedere permittuntur, nec de rebus necessariis eis prospiciunt; et ideo duas illas hospitales domos, de quibus mentionem fecimus, P. Joannes institui ad horum auxilium curavit. Ex captivis tamen hujusmodi minor pars occidentalium, major orientalium erat; et hi magis erant destituti quod, qui redemptionem ipsorum cura-

---

[1] Desideratur hic aliquod verbum, forte *fratre, patre,* aut aliud simile.

rent, raro inveniretur. Septuaginta fere ducatis similes pueri et mulieres redimi poterant, quamvis adolescentes hispani nonaginta et centum aureis aliquando redimendi essent. Inter alios autem, qui liberati fuerunt, juvenis quidam qui judaeus factus erat, qui infantulus captus fuit; et cum intellexit Fessae (ubi tunc erat) quod redemptus esset, fugit et abscondit se. Tandem inventus est et Tituanum ad P. Joannem deductus, et, ad christianam doctrinam et fidem rediens, bene se gerere coepit. Genuensis etiam quaedam puella, judaea jam effecta, eodem modo ab ipsis liberata est, et flebat initio magnopere quod a judaeis separaretur. Sed et aliam quamdam, saracenam effectam, puellam, quae apud divitem dominum Tituani versabatur et christianos fugiebat, ac potissimum ipsum Joannem, et ceremoniis saracenorum dedita erat; hanc tamen cum sua matre redimendam P. Joannes curavit, quamvis ejus domina, quae quatuor filias habebat, magno affectu eam diligeret, et filio suo nuptui se eam tradere velle diceret. Hujusmodi pietatis functionibus P. Joannes toto hoc anno dedit operam, donec inde, anno sequenti evocatus, in Patriarcham Aethiopiae electus est.

DE REBUS MAGNI CONGI

981. Quod tres e Societate nostra missi in regnum Magni Congi fuerint, superius dictum est, quorum caput, in Portugalliam rediens, nomine Georgius Vaz, mortem obiit [1]. Duo alii, quorum alter Jacobus Diaz, alter Christophorus Riberus dicebatur, ibidem substiterunt; et facile intellectum est quam solida

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 375, ann. 1551, n. 426.—Ibi tamen innui videtur Georgium Vaz in Collegio Conimbricensi mortem obiisse; sed P. BAESTEN, *Précis historiques,* III ser., t. II, pag. 241, haec scribit: "la santé des missionnaires n'avait pu résister au climat dévorant du pays; après son excursion dans les environs de San Salvador, le Père George Vaz était rentré malade dans la capitale du Congo, et depuis lors il ne s'était jamais remis de ses fatigues. De plus, il avait la douleur de voir tous ses efforts échouer devant le mauvais vouloir du chef noir; il constatait tristement que ses missionnaires et lui se trouvaient condamnés à la plus complète inaction. Miné par le chagrin, autant et plus que par les fièvres tropicales, le pieux supérieur fut bientôt réduit à la dernière extremité. Dépourvu de tout secours humain, il s'abandonna à la volonté divine et offrit généreusement le sacrifice de sa vie pour la conversion des malheureux noirs. Le P. George Vaz s'éteignit doucement à San Salvador le 25 janvier 1553, laissant ses jeunes compagnons, les Pères Diaz et Ribeyro, sans guide et sans soutien dans les circonstances les plus critiques.„—Patri BAESTEN suffragatur FRANCO, qui in *Synopsi Annalium Soc. Jesu in Lusitania,* ann. 1553, n. 7, ait: "P. Georgius Vasaeus vitam suam aerumnis confectus posuit in Congo, nostrorum Superior, qui primus e Societate in eas regiones aditum invenit. Multis excellebat virtutibus, ut in ejusdem vita typis data refertur.„

Jam vero, 1.° de loco, ubi Georgius hic mortem obiit, nulla videretur esse dubitandi ratio, nisi Polanci verba eum in Collegio Conimbricensi obiisse significare viderentur. Caeteri enim unanimiter affirmant eum mortuum esse in Congo, in urbe Sancti Salvatoris. 2.° Multo adhuc major dubitandi ratio est de anno, quo is mortem obiit. Polancus enim annum assignat 1551; reliqui autem, etiam unanimiter, 1553.—Nos autem, circa locum nihil certo affirmantes, quoniam certi nihil adhuc in his monumentis reperimus, circa tempus Polanco potius quam reliquis assentimus. Conveniunt enim omnes, Georgii morte, Superiore orbatos sibique relictos Ribeirum et Diaz male in Congo se gessisse, et Diaz quidem in Portugalliam anno 1552 remeasse et de eo ejusque socio institutam causam a Natali, Commissario, hoc anno 1553; quare Georgii mors, quae tantorum malorum extitit occasio, ante annum 1552 evenisse dicenda est, scilicet, anno 1551, ut habet supra Polancus. Occasionem autem existimandi decessisse Georgium anno 1553, videtur Orlandinus praebuisse, dum, Polanci verba procul dubio exscribens, illius decessus meminit hoc anno, nec tamen exscripsit illa, quibus ipsemet Polancus Georgii morti assignat annum 1551.

virtute praediti esse debeant, qui diu in hujusmodi missionibus relinquuntur, ubi nec visitari a Superioribus, nec alia subsidia ad disciplinam religiosam pertinentia habere possunt. Alter eorum, qui superstites fuerunt, scilicet, Jacobus Diaz, anno 1552 aegrotus in Portugalliam rediit; et cum valetudinis recuperandae gratia ad patrium aërem mitteretur, fama erat quod duas sorores suas maritis conjunxerat et in dotem multum eis pecuniae dederat, quam ex Congo secreto attulerat : in duabus etiam ecclesiis concionari dicebatur et pecuniam accipere; et, cum ei scriberetur a vicinis locis Societatis, non respondebat. Injunxit autem P. Natalis Provinciali Mironi ut eum accerseret, et, rebus ab eo recte intellectis, P. Ignatium consuleret quid facto opus esset. Ferebatur quod aliquos servos ex regno Congi attulisset, quos ille dicebat ad collegii nostri usum se ferre, et unus eorum signum etiam Jesus impressum habebat, et eos partim in insula S. Thomae, partim in Portugallia vendidit; et referebat ejus socius Riverus, quod ex bonis collegii nostri, et praesertim ornamentis ecclesiae, cum inde recederet, venditis, eos emisset.

982. Alter, Riberus cognomine, cum ex Regno Congi in insulam S. Thomae vicinam se contuliset, mercaturam exercere coepit; et cum esset in ipsa civitate Congi, ab ipso Rege et undecumque pecuniam colligere coepit, et, loco spiritualis fructus curandi, temporalia curavit. Cum autem ad nostros in Portugallia perlatum esset hunc Patrem male se gerere, quod ad avaritiam attinet, et male etiam circa castitatem audiret, et inter caetera diceretur quod fratrem quemdam suum pauperem, qui eo se contulerat, divitem fecisset, et cum viginti servis et mercibus in Portugalliam remisisset, injunctum est P. Cornelio [1] (quem diximus anno praeterito ad regnum Magni Congi

---

[1] P. Cornelius Gomez. Vide supra, t. II, ann. 1552, pag. 698, n. 619.—De hoc Patre Cornelio intelligenda sunt quaecumque de sacerdote Didaco Gomez, Don Diego Gomez, D. Gomez, affert P. BAESTEN, qui. licet seriuscule, haec tandem monet: "Le P. Franco appelle ce vertueux missionnaire, tantôt Diégo ou Jacques, tantôt Corneille; le P. Orlandino lui donne toujours le prénom de Corneille. Quoique il en soit, il est évident par les details précis que donnent ces auteurs, que le prêtre Diégo Gomez, et le jésuite Corneille Gomez sont un seul et même personnage. Orlandino dit formellement: *Antequam Societati se daret Cornelius ab hoc ipso rege Congensi legatus in Lusitaniam fuerat...* et ailleurs: *Apud regem Conganum, ante initam Societatem, gratia valuerat Cornelius.*—Voir aussi PAÏVA MANSO, op. cit., pp. 93 et 95.„ *Précis historiques,* III ser., t. II, pag. 243.

simul cum Patre Fructuoso Noghera missum), ut in insula S. Thomae cognosceret hujus Christophori Riberi causam, et, si punitione dignum inveniret, eum puniret; et quidquid pecuniarum aut mercium apud eum invenisset, hospitali *Misericordiae* in eadem insula applicaret. A Rege etiam Portugalliae litteras acceperat ad gubernatorem illius insulae, ut brachium ad omnia necessaria ipsi praestaret. Non invenit in illa insula Riberum quamvis id ipsi displicuerit, et, cum scandalum ab eo acceptum intellexisset, per illius punitionem ei satisfacere optabat. Interim Riberus ad insulam Sti. Thomae rediit; et, quamvis intelligeret de sui punitione agi, non desiit ad nostros accedere. In vincula ergo conjectus est a P. Cornelio et patienter admodum punitionem ille tulit et magnam sui peccati cognitionem ostendit, et ad publicam etiam poenitentiam, si opus esset, paratum se obtulit, et religiosum mori se velle affirmavit; et si nollet ipsum Societas retinere, aliam se religionem ingressurum; et ita eum P. Cornelius in Portugalliam mittens, Provinciali commendabat, et ejus peccata ex ignorantia et parum religioso erga fratrem affectu provenisse affirmabat. Dedit ergo P. Cornelius hospitali *Misericordiae* quod pecuniae et bonorum invenit apud hunc hominem; ipse autem cum morbo laborans in Portugalliam venisset, propter commendationem P. Cornelii exceptus et curatus est. Cum autem P. Natalis inusitatum hujus hominis factum non communi punitione dimissionis castigandum judicaret, consuli etiam voluit P. Ignatium, quia ad aliorum exemplum aliquid circa illum statuendum sentiebat. Ille, ex eleemosynis acceptis et fratri ad mercaturam exercendam datis, summam bonorum, quae adquisita fuerant, provenisse causabatur. Missus est tandem ad patriam, et illi injunctum fuit ne diceret se de Societate nostra esse, donec P. Ignatii responsum haberetur.

983. At P. Cornelius, qui ex insula Sti. Thomae in Congum navigavit, sub finem Septembris hujus anni ad civitatem pervenit [1]; ille autem Legatus, quem Rex Portugalliae ad Regem

[1] Haud cum iis et superius dictis cohaerent ea, quae habet P. Baesten, l. c., pag. 121: "Au milieu de ces difficultés sans cesse renaissantes, malgré cette lutte de tous les jours contre des adversaires puissants, le P. George Vaz et ses confrères, ainsi que leur devoué protecteur le prêtre D. Gomez, ne désespéraient pas de l'avenir de la mission du Congo. Cependant la situation présente ne pouvait se prolonger indéfiniment. Il fut donc résolu de commun accord, qu'on informerait en détail le roi de Portugal des indignes procédés du chef noir de San Salvador à l'égard des Pères jésuites; que

Congi mittebat, in ipso itinere mortem obiit. Pervenerunt tandem nostri ad portum, nomine Pindam [1], et, cum tantum quadraginta leucis portus distaret, tres tamen menses et decem dies exacti fuerunt ex quo Pindam venerant, cum [2] Congum ingressi sunt. Oportuit enim Regi suum adventum significare; et cum ille cuidam nobili commisisset ut nostros deduceret, in quadraginta leucis, quod iter quatuor dierum esse solet, duos menses et dies quatuor impendit, nec tamen eo perduxit; sic autem exercebat patientiam nostrorum, ut post multos dies judicaverint in Domino non esse amplius id ferendum, cum et adversa valetudo et alia gravia incommoda, in locis praesertim fere desertis, tantam illius lentitudinem non ferrent. Scripserunt itaque Pindam ad quosdam homines lusitanos ut auxilium, ad iter faciendum, aliquot servorum ad se mitterent; sed nobilis ille litteras intercepit. Secundo igitur ad illos lusitanos cum scripsissent, undecim ab eis servos acceperunt, qui tam nostros quam aliquos pueros P. Petri Domenech, qui ad instituendas orphanorum domos utiles futuri erant, Congum deduxerunt.

984. Cum autem ad civitatem regiam [3] accessissent, intel-

Jean III lui avait tout especialment reccommandés. On devait en même temps faire connaitre au pieux monarque et aux supérieurs de la Compagnie de Jésus les obstacles de tout genre que rencontrait l'évangélisation du Congo qui leur tenait si fort au cœur.

Le digne prêtre Don Gomez se chargea de cette pénible mission. Il se fit accompagner du scolastique Jacques Soveral, dont le zèle devenait inutile par suite de la fermeture des écoles, et dont la jeunesse et l'inexpérience ne devaient pas être exposés aux dangers d'un séjour prolongé en plein pays idolâtre et barbare. Le jeune Soveral acheva ses études de theologie au collège de Coimbre, et devenu prêtre, il partit pour l'Inde portugaise, où il exerça avec fruit les fonctions du saint ministère.

Gomes et Soveral quittèrent le port de Pinda au mois de novembre 1552; ils arrivèrent heureusement à Lisbonne au commencement de l'année suivante.„

....

"Après qu'on eut réglé tous les détails de cette nouvelle expédition avec les autorités portugaises et les supérieurs de la Compagnie, l'ambassadeur, les deux jésuites (PP. Gomez et Nogheira) et les trois jeunes protégés de l'abbé Domenech s'embarquèrent à Lisbonne et firent voile vers l'île de San Tomé; ils *arrivèrent* heureusement *au port de Pinda à la fin du mois de juillet 1553.*„

1 "Le port de *Pinda*, qui était alors le lieu de relâche ordinaire pour les navires étrangers qui arrivaient au Congo, se trouve à peu près vis-à-vis de *Punta da Lenha*, village de factoreries de la rive droite du fleuve, qui appartient aujourd'hui au Congo belge.„ *Précis historiques*, III ser., t. II, pag. 58.

2 Antequam.

3 Banza Congo, alias dicta San Salvador.—"San Salvador est situé exactement au 6° 20' 10'' lat. sud et au 12° 27' 40'' de longit. est, à 150 kilom. de Pinda et à 310 kilom. de St.-Paul de Loanda; sa distance à la frontière la plus rapprochée du Congo belge n'est que de 50 kilom., mais la route est mauvaise et dangereuse. San Salvador n'est plus aujourd'hui qu'une cité en ruines avec 700 habitants noirs et une dizaine d'européens; il

lexerunt se ad Regem delatos, et litteras a Portugallia ei scriptas fuisse (a Legato, ut putabatur, ipsius Regis Congi, quem in Portugallia habebat), quod P. Cornelius Regi Portugalliae et Reginae dixerat, si ipse non mitteretur Congum, quod Regnum illud facile ad idololatriam rediturum esset; quod Rex Congi aegerrime tulit, et statim publicavit, et magna se injuria affectum a P. Cornelio affirmavit; et ita ipsius adventus parum admodum Regi gratus, propter hanc calumniam omnino commentitiam, accidit, cum alioqui Pater hic, antequam Societatem ingrederetur, apud Regem Congi multum gratiae et auctoritatis olim habuisset. Sed hanc rationem inivit Satanas, Deo propter Regis et forte aliorum peccata permittente, qua spiritualis fructus, qui merito sperabatur, impediri posset. Quamvis autem moribus malis praeditus esset, pro honore tamen ducebat magno se christianum esse, et se talem non haberi in Portugallia iniquissimo animo ferebat; et cum hujus existimationis auctor P. Cornelius diceretur, cum primum ad eum salutandum accessit, numquam rectis oculis eum Rex adspexit; et quia eodem die P. Fructuosus Noghera febribus laborare coepit, tum ob occupationem hanc, tum quod calumniam gravem apud Regem passus esset, non rediit [1] aliquot diebus ad Regem salutandum: et cum ad ipsum [2] partim lusitani, partim ex sacerdotibus ejus regionis aliqui accederent, significavit eis non se dolere propter seipsum, quod apud Regem injuste delatus esset, paratus enim erat ad haec et alia ferenda, sed quod Regi magnae molestiae auctores fuissent qui calumniati erant; et utilitatem spiritualem se percipere ex falso testimonio, sed ad Regem damnum redundare.

985. Haec Regi cum renunciata essent, accersivit ipse P. Cornelium, et cum significatione laetitiae eum excepit, et nihil esse ea omnia, quae dicta erant, se existimare significabat; et cum quaedam opportune dixisset idem Pater, ex parte mitigatus ipsius animus videbatur; vulnus tamen alebat in pectore; et ita cum denuo ipsum P. Cornelius inviseret, ei jurandum censuit quod falsa erant quae de ipso Regi scripta fuerant;

---

y a la, depuis quelques années seulement, une mission des Pères portugais de la Congregation du Saint-Esprit. Voir *Bulletin de la Societé de Géogr. de Lisbonne*, ann. 1885, p. 36 et suiv.; ann. 1888, p. 160.„ *Précis historiques*, l. c., p. 59.

[1] P. Cornelius.

[2] P. Cornelium.

et adductus est ad hoc jurandum propter periculum conscientiae Regis. Interim morbus P. Fructuosi crescebat, et duo ex pueris adductis et ipsemet Cornelius vehementer laborare coeperunt; et cum omnes decumberent, praeter unum ex tribus pueris orphanis, qui omnibus inserviebat, magnam patientiae exercendae occasionem omnes habuerunt, cum in eodem loco, et quidem paleis contexto, et ipsi decumberent et necessaria ad ipsorum victum pararentur; et undecima [1] Octobris P. Fructuosus Noghera ex hac vita decessit, cum insigne patientiae et obedientiae specimen usque ad mortem praebuisset. Febribus continuis fluxus accedens ipsum exinanitum extinxit. Et cum ab eo consilium peteret P. Cornelius, respondit cum statum illius Regni ac Regis vidisset, nullum se remedium praestantius [cernere] quam silentio et orationi vacare. Illis enim non paucis diebus multa a Rege non bene designata animadverterat; nec enim consilio valebat et in promissis nulla fides erat. Prohibuerat etiam suis ne nostros alloquerentur aut familiaritatem cum eis haberent; et quo tempore emendatio major sperabatur propter litteras Regis Portugalliae, quibus eum officii sui commonefaciebat, Ecclesiam etiam ex eo tempore affligere magis coepit; nec voluit eleemosynas consuetas, quibus Ecclesia sustentabatur, sacerdotibus conferri, cum alios reditus Ecclesia illa non haberet; nec permisit ut Pro-episcopus ad ipsius domum accederet, aut Missam ab eo pro more audire voluit; immo cum ad palatium veniret, portas ei occludi jussit; sed ab alio quodam sacerdote Missam audivit.

986. Cum autem Pro-episcopus de neganda facultate ei sacerdoti, quem Rex postulabat, egisset, P. Cornelius ei persuasit ne prohiberet, et promisit se Regem allocuturum, quod et fecit; et tria a Rege postulavit: primum erat ut mulierculas quasdam parum honestas, quae prope domum illam habitabant, quam nostris ipse Rex donaverat, inde ejici juberet; secundum erat ut ea itinera, quae lusitanis clauserat cum magno ipsorum damno, eisdem aperire juberet, nam ad id ejus conscientia obligabatur. Cum enim eumdem P. Cornelium ad Regem Portugalliae ut suum Legatum miserat, ab eo praeceptum in scriptis ob-

---

1 "le 12 octobre 1553.„ BAESTEN, l. c., pag. 246.—"21 Octobris.„ FRANCO, l. c., an. 1553, n. 11.—In Polanci ms. haud clare cernitur an scriptum sit 11, ut nos legimus, an 22, 12 aut 21.

tinuerat, ut nulla navis lusitanorum alium quam suum portum ingrederetur in illa maritima regione; et ipse tunc obtulerat se itinera et sinus quosdam maris ad navigia recipienda idoneos (quos *Pumbos* vocant) apertos lusitanis semper se habiturum, et itinera libera relicturum promiserat, et tamen non impleverat. Tertium erat ut pacem haberet cum Ecclesia, et intelligeret Pro-episcopum sine culpa esse de quibusdam scriptis ex regno Portugalliae acceptis, propter quae Rex ei offensus fuerat; et eleemosynas pro suo more donare clericis pergeret, ita ut naves in Portugalliam rediturae Regi Joanni meliora de ipsius factis renunciare possent. Haec tria Rex Congi concessit verbo, sed non ita facto implevit; nam cum postridie Vicarius Episcopi et clerici laetissimi ob concessionem, quam eis P. Cornelius significaverat, ad gratias Regi reddendas in regiam domum irent, portas eis occludi jussit; itaque illi, injuria hac affecti, ad sua redierunt; et quia confessarius Regis eidem suggessit ut, quae Patri Cornelio promiserat, praestaret, die sequenti ne illum quidem in palatium ingredi permiserunt. Sed et quod primo etiam loco promiserat de inhonestis mulierculis a vicinia nostrorum removendis, quamvis ejus secretarius in memoriam illud redigeret Regi, demum id facere noluit. Publice quamdam consanguineam pro concubina habebat, praeter alias, quas domi suae nutriebat; et tantumdem ejus nobiles facere soliti erant.

987. Sex primis mensibus, quibus P. Cornelius in regno Congi fuit, tantum puerum unum christianum fecit, cujusdam domini aut baronis filium, quia constabat quod in pago suo scholam haberet, et ejus filii in ea erudiebantur et legere noverant. Baptizavit etiam tres servos, quibus mors imminebat. Ratio autem cur plures christianos non faceret ea fuit: quod probabili conjectura timebat ne ad antiquos mores redirent, si aliqua media ad vitam christianam ducendam non haberent. Et cum P. Fructuoso constituerat, ne provectis aetate baptismum conferretur, nisi post sufficientem in catechismo instructionem; et si infantes aut pueri essent, prius qui parentes essent eorum scire volebant, an scilicet gentiles essent vel christiani, qui procul habitarent a locis, ubi filii institui possent; tunc enim ipsorum filii baptizandi non videbantur, nisi parentes possent eos instruere; experientia enim docebat quod facile ad ritus gentilicos redirent.

988. Quia vero homines aequo animo id non ferebant, significavit P. Cornelius Regi quod ea cum intentione ad ipsius regnum nostri venerant, ut collegium fieret, ubi quingenti aut sexcenti pueri, primariorum virorum ejus regni filii, instituerentur; et quod sperabat hoc opus a regia ipsius benignitate ineundum esse, quodque in eodem collegio decreverant nostri catechumenorum domum habere, ubi quotidie homines Christi doctrina instituerentur; et magnum fructum ex hoc opere promanaturum se sperare significabat. Perplacuit Regi quod de hoc collegio propositum ipsi fuerat, et locum ab ipso P. Cornelio eligi, et omnia pro ipsius arbitrio fieri debere, significavit; sed, propter calumnias et offensiones, quae subsecutae sunt, quae necessaria erant ad hujusmodi pueros suscipiendos et eruditendos non providit; et ideo non urgebat P. Cornelius Provincialem Portugalliae ad aliquos ex nostris mittendos, donec videret quorsum res evaderent, quamvis sacerdotem socium expetebat ut ejus opera, dum ipse confiteri vellet, uti posset. Si quod agebatur de hoc collegio instituendo successum haberet, sperabat P. Cornelius quod juvenes ibidem instituti, cum domini et barones totius regni futuri essent, ex hac educatione, non sibi tantum, sed toti etiam provinciae magna essent commoda allaturi; qui etiam melioribus ingeniis praediti invenirentur, in latinis litteris et aliis scientiis erudiendi videbantur, ut ex eis aliqui theologi, concionatores et confessarii egrederentur; et jura etiam addiscerent, quia in regno Congi nulla lex, praeter Regis ipsius voluntatem, erat, et inde injustitiae et mala plurima etiam inter lusitanos oriebantur. Nam accidit ut lusitanus quidam, administrator justitiae, alterius lusitani caput baculo tam graviter percuteret, ut velut mortuum reliquerit, et statim die sequenti Rex scriptum quoddam, ne quid contra percussorem tentaretur, subscripsit, et ita libere ille incedebat. Coepit deinde laborare P. Cornelius colicis doloribus gravibus et diuturnis. Crescebat etiam Regis tyrannica crudelitas et contra clericos et lusitanos (quos vel francos vocant), et videbatur data opera, post litteras Regis Portugalliae acceptas, haec agere, ne vel ipsi vel Pro-episcopo aut alii cuiquam subjectus videretur; et etiam cum detrimento honoris ac vitae constare hoc Rex volebat.

989. Post multos dies tandem coepit P. Cornelius convale-

scere, et paucos quosdam ex Portugallia mitti ad docendos pueros principia grammatices, si onus illius collegii subeundum videbatur, petebat. Pueri quidem, quos secum adduxerant nostri, numero tres, optime se gerebant, et tamquam in Societate nostra instituti et ad ejus functiones idonei videbantur; et ita eos admittendos P. Cornelius censebat, et utiliores quam se futuros ad collegium promovendum (si a Rege tandem fieret) affirmabat; et singulis quinquaginta scholasticos assignare, sibi reliquos retinere constituebat.

990. Necessaria ad sustentationem suam a Rege accipiebant: farinam, scilicet, et carnem; sed nullam pecuniam, quam propter rationes non levis momenti nullam accipere P. Cornelius decrevit; quarum prima erat, propter scandalum magnum, quod in recipiendo et repetendo pecuniam Christophorus Riberus dederat. Ad illud enim abolendum haec ratio ineunda videbatur; ut nihil prorsus pecuniae admitteretur; et ne qua occasio daretur aut accipi posset ab illis hominibus ad calumniam intentandam, si quando eis vera et non grata dixisset. Molestia etiam numerandi pecuniam illius regionis eum deterrebat, quia minutissima est, et quinquaginta ducatorum valor hominem onerat, et multum temporis in ea numeranda insumendum erat. Constituit autem cum Rege Congi ut alicui viro honorato, cui vellet, curam injungeret necessaria nostris suppeditandi, et in ejus manu pecuniam reponeret, qua necessaria nostris emeret, quod Regi placuit et cum aedificatione id accepit, et nominavit suum secretarium, nomine Vascum Rodriguez, qui recte suum officium faciebat; populus etiam, praesertim lusitanorum, qui ibidem versabantur, propter praeteritum scandalum illius Riberi, hanc rationem valde probabat.

Et ita nostri in fine hujus anni in regno Congi se habebant [1].

---

[1] Juvat hic verba exscribere, quae habet Baesten, l. c., pag. 246; quae verba tanquam a nobis dicta accipi volumus, hoc tantum discrimine quod, ubi ipse scribit *Orlandini,* intelligatur *Polanco,* a quo quae scribebat desumpsit Orlandini. Ait igitur Baesten, et nos cum ipso: "Ce consciencieux historien (Orlandino) donne tout au long les détails qui concernent la mission du P. Gomez. On voit qu'il a eu des relations authentiques entre les mains. Nous avons vainement taché d'avoir communication de ces documents, qui sont peut être égarés aujourd'hui. Nous sommes donc obligés de nous contenter du récit d'Orlandino.„ Quae prae manibus habuit Baesten, sc., *Avisi,* Orlandini, Franco, Pigafetta, Osorio, Payva-Manso, etc., et nos habemus; vetera documenta nulla adhuc reperire valuimus.

DE PROVINCIA BRASILIAE

AC PRIMO DE OPPIDO S.TI VINCENTII [1]

991. P. Emmanuel de Nobrega in procinctu erat, ut ad mediterranea ejus regionis inter gentiles se conferret; et sic in oppido Sti. Vincentii substiterat, nec cum Gubernatore Brasiliae et ejus classe redierat. Docuerat etenim eos experientia, quod tanto cum majori fructu laborare in illa vinea Domini poterant, et tanto libentius ab Indis erant admittendi, et majorem apud eos auctoritatem habituri, quanto remotiores a Lusitanis essent [2]. Augebat desiderium nostrorum quod aliqui hispani milites ex provinciis Peru in Brasiliam penetraverant, et magna referebant de messe, quam quibusdam in regionibus (quas *Paragai* vocant) inventuri essent [3]. Quidam ex his militibus, nomine Antonius Rodriguez, qui mundo et propriae cupiditati diu militaverat, et in navigationibus valde periculosis versatus fuerat, incidit in P. Emmanuelem de Nobrega, a quo in Societatem admissus ut non amplius ad aurum quaerendum sed ad animas juvandas, quod illi reliquum erat vitae, impenderet [4].

---

1 Verba haec *ac primo de oppido Sti. Vincentii* addidit manu propira Polancus.

2 Vide infra, nn. 997 et 998.

3 "Dopo questo accadete che vennero alcuni Spagnuoli di Paraguai, il quale è un braccio del fiume che chiamano della Plata, cioè argento, che sera de 600 miglia dentro del paese; venivano con loro molti delli Indiani, che chiamano Carigi, per la fama che havevano udito di quelli della Compagnia, desiderando essere christiani e ricevere il battesimo.„ Pietro Correa, di San Vicentio, alli 8 di Giugno 1554.—*Diversi avisi particolari dall' Indie di Portogallo, ricevuti dall anno 1551 sino al 1558 dalli Reverendi Patri della Compagnia di* GIESÙ, fol. 240.

4 "Tinha recebido (P. Emmanuel de Nobrega) por noviço pouco havia o Irmão Antonio Rodrigues, homem que havia sido soldado nas partes do Paraguai, e mui versado nos costumes da gente Carijó, entre a qual estivera muitos annos.„ VASCONCELLOS, *Chronica da Companhia de Jesu no Estado do Brasil,* lib. 1, ann. 1553, pag. 78.

Hic Antonius Rodriguez, Hispali recedens in classe, quae mille et octingentos homines habebat, ad magnum quemdam fluvium (quem *de la Plata* vocabant) in eadem ora maritima Brasiliae usque ad provinciam Peru penetraverat, et, inde missus, ad Brasiliam redierat. Et omissis aliis, quae commemorabat. hoc tantum dicam, quod inter varias nationes, per quas transierunt, et magna ex parte efferatas, quasdam invenerunt magna humanitate praeditas, cujusmodi erant *timbunes*, qui omnino a carne humana abstinebant; et cum hispanos vidissent valde macilentos, cum diu solis herbis victitassent, magna pietate eos amplexi et in ulnis deducentes, eos et curaverunt et paverunt. Ibidem hispanum quemdam invenerunt, qui, vernaculae linguae fere oblitus, optime linguam timbunensium tenebat, in qua multa vocabula latina inveniebantur. Multi populi hujusmodi gentilium ibi erant, qui suis principibus aut primariis hominibus obediebant; et referebat Antonius magnam esse in his dispositionem ad religionem Christi admittendam.

992. De alia etiam provincia, cujus homines charigii [1] vocabantur, referebat quod potentes essent et agriculturae dediti, et tamen crudeles; nihilominus cum christiani apud eos arcem constituissent sub quodam duce, Joanne de Salazar, sub quo erat Antonius, accedentes charigii turmatim, audierunt a quodam interprete, quem christiani secum ferebant, quod christiani erant filii Dei, et quod ferebant eis quaedam utilia, ut cultrøs, hamos et alia hujusmodi; et ita charigii pacificos reliquerunt christianos, qui civitatem ibi confecerunt; et cum suas filias charigii dedissent, brevi in hac civitate, quae Assumptionis dicta est, fere quatuor millia puerorum utriusque sexus praeclaro ingenio praeditorum sunt orta. Et cum multi ex charigiis ad fidem converterentur et christianos in summa veneratione haberent, ingens ibi messis futura videbatur. Ad provinciam quamdam Amazonum idem Antonius cum aliis accessit, quae omnino ea vitae ratione utuntur, quam historici de Amazonis europaeis ferunt; nam in sua provincia viros nullos habitare permittunt, et ad propagationem liberorum ex vicinis aliquos (fortissimos quosque, scilicet, ex iis

---

[1] Sic; saepius tamen scribitur *carigii*.

quos habere possunt) [1] ad tempus retinent; post conceptum, eos dimittunt: et, si proles mascula nascitur, vel occiditur, vel ad patrem remittitur; si foemina, retinetur, absciso dextro ubere ad sagittandi commoditatem. Penes Amazones has ferebatur esse notitia auri, quod multi castellani et portugallenses venabantur [2].

993. Scriptum etiam fuerat ad P. Leonardum Nugnez, qui in eodem praesidio Sti. Vincentii versabatur anno praecedenti, ab urbe Paragai, quam Assumptionis diximus, et ipse P. Emmanuel de Nobrega consuluerat de sua profectione in regionem illam, quae fere trecentas et sexaginta leucas inde distabat. Erant quidem in ea decem sacerdotes, ut ferebatur, ex quibus septem vel octo plurimos habebant filios. Duo vel tres reliqui suspicione non vacabant, cum quinque et sex foeminas indicas domi ad sua ministeria haberent. Bonus quidam sacerdos, qui Nugnius Gabriel dicebatur, initio egregie hos populos docuerat, et eorum filios in quadam magna domo instituebat, et legere et scribere et christianam doctrinam docebat, et quidem cum fructu admirando; et ita cum magno fervore ad Christi fidem accedebant, et festis diebus principes populorum, quisque cum suo, ad ecclesiam mane veniebant, et bonus ille sacerdos processiones cum eis faciebat, et pia quaedam cantica ad Dei gloriam edocebat. Veniebant aliquae mulieres, ex quinque leucis, suos filios baptizandos deferentes; et cum prius homines devorarent, si homini christiano aliquid nocumenti jam inferretur, gravissimum ipsis malum videbatur. Et tamen christiani veteres [3] male admodum cum eis se gerebant; et accidebat ut indum aliquis occideret, si ei non ad nutum obsequebatur, et tamen, pro veneratione nominis christiani, contra talem oculos vix dirigebant. Sed bonus ille sacerdos, non ferens hanc tyrannidem militum, recessit ab ea civitate; et alii sacerdotes, quales superius descripsimus, nec exemplo, nec verbo, gregem illum aut veterum aut novorum christianorum pascebant. Et hispani, qui septingenti numero vel octin-

---

[1] Parenthesim hanc et quae sub ea clauduntur verba, manu propria Polancus inseruit.

[2] Etiam periodus haec, a verbis *Penes Amazones,* Polanci manu exarata est ad paginae oram, signo addito ut textui inseratur.

[3] Christianos intellige, qui ex Europa in illas regiones veniebant, lusitani, hispani et etiam galli.

genti erant, in quatuor vel quinque factiones divisi erant; erat et qui ex matre et filia liberos suscepisset; et demum miseranda erat facies quod ad res spirituales attinet. Cum autem ad illos bonus odor Societatis Brasiliensis pervenisset, sic de illa sentiebant, ut speraret P. Leonardus, si duos ibi menses exigeret, omnia in meliorem statum esse commutanda; nam ipsi hispani, sua vitia erubescentes, auxilium a Societate exspectabant; et cum de adventu P. Leonardi vir quidam eo veniens aliquid renunciasset, tam sacerdotes quam reliqui a vitiis recedere incipiebant, ne, cum eo venisset, tam multos in peccatis irretitos inveniret. Unus mensis in eundo, tres in redeundo, quod adversis fluminibus navigandum esset, consumendi dicebantur.

994. Castellani, qui venerant ex Paragai per hos populos, de his Charigiis multa et quidem admiranda praedicabant. Ut postea a fide dignis P. Leonardus intellexit, ex Charigiis fere viginti hominum millia baptizata esse ferebantur; et hos christianos novos caste vivere cum singulis uxoribus; ab octo et decem leucis ad Missam accedere diebus dominicis, et ad christianae doctrinae lectionem. Singuli pagi suam crucem habebant, et quotidie, qui primas gerebat in eo, congregatis popularibus, curabat ut, qui melius orationes christianae doctrinae sciret, alios doceret; quo absoluto, singuli crucem adorabant, et ad sua negotia vel labores se conferebant. Si sacerdotem aliquem transire scirent, qui aliquam crucem ferret, una et duas leucas properabant eum sequendo ut eis crucem osculari liceret; et si christianus transiret per pagos ubi crux non esset, quidquid habebant offerebant ut crucem conficeret. Cum magnis muneribus ad sacerdotes accedebant, rogantes ut ipsorum liberos baptizarent et bonos mores christianos ac doctrinam docerent. Accidebat et retineri aliquos, qui per pagos transibant, importunis precibus hominum, ut de Deo ipsis aliquid diceret et orationes christianae doctrinae doceret; adeo ut comparati brasilienses populi jam christiani cum illis, perversi quodammodo existimarentur. Excitabatur etiam P. Leonardus ad hanc profectionem, quod quidam valde studiosus juvenis, et qui linguam illam recte noverat, ipsum exspectare dicebatur, ut, mundo valedicens, socium ei se adjungeret.

995. Volebat autem secum aliquid vini ad Missam cele-

brandam ferre; nam vas quoddam exiguum apud illos jam tredecim annos durasse dicebatur, et miraculo adscribebant quod vinum non laederetur. Referebat quidam quod ad consolationem illorum populorum nihil dici poterat jucundius quam quod ad eum accersendum veniret. Vocabant enim P. Leonardum *Barcacum*, id est, patrem verum. Cum autem P. Nobrega ad hoc praesidium Sti. Vincentii venisset et talia intellexisset, ut diximus, ipse simul cum aliis proficisci, desiderio fructus uberioris spiritualis, cogitabat. Accidit autem ut, cum proficisci ex eo praesidio vellet Gubernator, aliqui ex lusitanis, qui oppidum Sti. Vincentii colebant, ad interiora etiam proficisci pararent, partim quod parum contenti essent de his, quae a Gubernatore gesta erant, partim quod spes auri vel argenti inveniendi eis affulgebat; et cum nostri ad mediterranea penetrare vellent, hoc etiam eos movere ad recessum videbatur [1]. Maxima ergo pars ejus oppidi recessum parabat; quod cum intellexisset Gubernator, accersit P. Emmanuelem: rem, quae gerebatur, ei explicat, et quod ostium aperiatur ad populum illum dissipandum ostendit, et, quantum nostri optimo Regi Portugalliae deberent, commemorat. Visum est ergo P. Emmanueli rationi consonum ut abstineret ab illa profectione, donec Rex Portugalliae consuleretur de ratione, quae teneri in eo praesidio Sti. Vincentii deberet, et in aliis, nam modus procedendi Societatis ex eo magnopere pendebat.

996. Rogavit interim Gubernatorem ut saltem ex alio praesidio egredi ad gentiles, interiora provinciae habitantes, per ipsum liceret; nec enim in illis impediebat, quod in praesidio Sti. Vincentii, ubi periculum erat ne oppidum desereretur propter fodinas quasdam, quas argenti esse suspicabantur, centum leucas ab eo praesidio distantes, quas christiani paragai detexerant, et illius provinciae tractum ad Regem Portugalliae pertinere dicebatur, illum, inquam, ubi fodinae inventae sunt; quamvis nondum constabat quod metalli genus ibi inveniretur ob peritorum artificum defectum. Cum autem haec causa in aliis praesidiis non esset, ab illis egredi nostros ad interiora sine ullo praejudicio praesidiorum posse. Sed respondit Gubernator

[1] Magis perspicue: eos etiam ad recedendum ex oppido Sti. Vincentii movere videbatur, quod nostri ex illo oppido recedere et ad mediterranea penetrare vellent. Vide supra, t. II, pag. 717, n. 649.

se minime permissurum ut domus firma inter gentiles constitueretur; si enim infideles aliquid contra christianos perpetrarent, id se non posse punire; posse quidem nostros evangelium praedicare inter infideles, sed ad christianorum praesidia redeundum esse, ubi stabiles domos haberent. Sed hoc non satisfaciebat P. Emmanueli, et quodammodo sibi videbatur sine libertate Deo serviendum esse; nec enim gentilitas brasiliensis talis est qualis illa quae a primitiva ecclesia conversa fuit; nam ibi aut praedicatores occidebant, qui contra ipsorum idola praedicabant, vel evangelio credebant et ad vitam christianis dignam se praeparabant; sed gentilitas brasiliensis, cum idola non haberent, quidquid eis dicebatur facile credebant. Sed tota difficultas in eo erat, ut a pravis moribus gentilicis ad bonos et Christi legi consentaneos reducerentur; ad id autem necesse erat inter eos habitare et bono exemplo eis praeire, et ipsorum filios in doctrina et vita christiana instituere; et ita sperari posse quod boni christiani brevi futuri essent. Si autem postquam illi evangelium praedicarent, domum redirent, licet praedicationi crederent, non id satis fore ad consuetudines veteres extirpandas.

997. Inter christianos videbatur jam is fructus perceptus esse, qui ab eis percipi poterat; nam in aliis, qui in peccatis perseverare decreverant, verbum Dei fructum nullum reportabat, immo cum eorum servi ac ancillae brasilienses, audita christiana doctrina, a peccatis vellent recedere, tales habebant dominos aliqui eorum, ut eis juberent ne ad christianam doctrinam audiendam accederent. Nec deerat qui diceret nihil aliud ex hoc mundo elici posse, nisi secundum suae voluntatis propensionem, quamdiu vita durat, prosequi; nam alia in vita animas nihil sentire, et nostros, qui de futuris poenis et praemiis loquerentur, nescire quid dicerent; addebant alii et vituperationem. Itaque nec ipsi ad eos [1] redire volebant, et alios, ne redirent, impediebant, vel a nostris revocando, vel auctoritatem nostrorum apud eos enervando. Hoc autem aliquos eorum valde offendebat, quod, cum servos multos injuste usurpassent, nostri contra hoc peccatum in concionibus invehebantur. Favebant etiam servis ut ab injusta servitute in libertatem se vindicarent,

---

[1] Ad Patres.

et injustos usurpatores libertatis in confessionibus non absolvebant. Qui ab hoc morbo liberi erant, nostros valde diligebant; sed ex illorum numero multi erant.

998. Videbatur ergo P. Nobregae fructus eo redactus, ut pueri docerentur brasiliensium et servi et ancillae, quae in praesidiis lusitanorum erant. Accedebat quod Episcopus [1], qui in Brasiliam missus tandem fuerat, coepit aliam tenere viam quam nostri tenuerant, et fundamenta jaciebat valde diversa ab his, quae a nostris posita fuerant. Id autem valde displicebat tam P. Emmanueli quam aliis, quod, ubi sperari poterat poena pecuniaria, licet peccata nulla viderentur, magnum examen adhibebatur; ubi spes hujusmodi non erat, etiam gravia peccata silentio praeteriri aut parvi fieri solebant. Admonuit P. Emmanuel Visitatorem; sed ipse ab Episcopo talem ordinem accepisse respondit; et ita late scandalum in illis maritimis populis patere coepit, tam inter neophytos quam inter lusitanos; et qui prius a peccatis aliquo modo metu punitionis abstinebant, quod punitionem venturi Episcopi formidarent, cum jam animadverterent pecunia hujusmodi peccata redimi, ad ea redibant. Quidam, qui diu in publico peccato concubinatus vixerat, punitus est per privationem servi cujusdam; et cum ille aegre ferret, non defuit qui eum admoneret ut sineret servum auferri, nam fieri fortassis posset ut hac ratione a sua concubina separari non cogeretur. Sic aliae ex hujusmodi concubinis pecuniae mulctatae, jam velut securae in posterum, in suis peccatis conquiescebant. Et hac ratione, quod per praedicationem et ministerium sacramentorum aedificari coeptum erat, parum prospe-rum successum in multis habebat, quamvis in aliis tam felicem eum habuerit, ut acciderit ancillas aliquas, ne peccatis dominorum acquiescerent, non solum pugnorum ictus sed et pugionum tulisse, quibus confodiebantur; et tamen dicebant clare quod occidi poterant, sed peccato consensum daturae non erant; et ex servis et ancillis christianis hujusmodi, qui paulo ante Deum ignorabant, multi melius quam lusitani ad sacramentorum susceptionem se disponebant, et in quocumque periculo vel afflictione nomen Jesu in ore semper habebant, et admi-

---

[1] Petrus Fernandez Sardinha, qui Baiam Salvatoris appulerat 1 Jan. 1552. Vide supra, t. II, pag. 722 et seq.

randa erat non minus eorum patientia quam dominorum illorum crudelitas. Affirmat autem quidam ex fratribus, Petrus Correa nomine, admiranda quaedam gessisse Dominum per aliquos ex nostris, quae miracula erant evidentissima, et tamen illi, aliqua ratione moti, occultanda ea censuerunt. Scribit idem Correa, qui postea martyr Domini fuit, multos esse in illis praesidiis, non utcumque, sed egregie pios ac bonos, qui, relictis peccatis prioribus, in quibus vixerant, magnos in virtute progressus fecerant; aliquos autem valde malos, et, ut superius dictum est, parum de eorum correctione sperari poterat; et, quamvis aliqui inter hos medii essent, existimabat et ille majorem inter gentiles fructum capi posse.

999. Habebat in Collegio Sti. Vincentii fere quinquaginta pueros indorum, quos pietatem et litteras docebat, et majorem affectum ad res divinas quam filii christianorum veterum ostendebant. Alloquebatur hos idem Correa in vernacula lingua, quam callebat, et assidue sermonem de rebus fidei apud eos simul congregatos habebat. Postquam autem prohibuerat Gubernator ne ex illo praesidio Sti. Vincentii ad infideles, interiora provinciae habitantes, se conferrent, ad Baiam Salvatoris se conferre hic Correa peroptabat, quia sperabat se aliquid apud circumjacentes indos religionis negotium promoturum; nam, antequam in Societatem ingrederetur, cum magno vitae suae periculo et patrimonii sumptu, pacem cum illis constituerat, eos admonendo quod populum unum omnes facturi erant, ut uni Deo in coelo et uni principi in terra subjicerentur; nam illi hunc Petrum Corream in principem sibi adsciscere volebant, et ei se obedituros pollicebantur. Quod ad media autem humana, conferre posse putabat, si nec hamum nec aliud ferreum instrumentum illis hominibus daretur, nisi christiani fierent et christianorum more regi se sinerent, etiam ab eodem principe terreno, ut politicam quamdam vitae instituendae rationem tenerent; et in Baia Omnium Sanctorum hujus rei experimentum capi posse censebat, nam facile fame urgeri brasilienses poterant, si hujusmodi instrumentis ad cultum illum suorum agrorum (quos *rozas* [1] vocant) necessariis destituerentur; nam, antequam lusitani eo convenirent, propter hanc penuriam, fa-

---

[1] *Roza*, runcatus ager.

mem crebro sentiebant, quae ad mortem multos adigebat; et pro libra ferri ad suam agriculturam, facile servum, immo et filium, dedissent. Si hac vel alia ratione nostri ad brasilienses juvandos non se componerent, fructum ampliorem non sperabant quam [eum, quem colligerent ex] illis, qui cum lusitanis consuetudinem habebant, et ex filiis aliorum, qui in Collegio sustentari a nostris possent.

1000. Gubernator, vir egregius, facile providisset illi peccato latissime patenti de usurpandis injuste servis; sed, cum sine consilio non deberet quidquam in tam gravi negotio constituere, aliqui ex ejus consiliariis, qui etiam hujusmodi aliquos indos domi habebant, suadebant ei ad magnum detrimentum ejus provinciae cessurum, si id fieret; multi enim servis suis privarentur, quorum opera ipsis erat pernecessaria: ejusmodi autem hominibus melius consuli si in servitute retineantur, et ad majorem Regis et populorum communem utilitatem id cedere. P. interim Emmanuel Nobrega, propter hujusmodi rationes injustitiam perpetrandam non esse affirmabat, et suum cuique reddendum esse, et homines a peccatis hac ratione liberandos, a quibus aliter numquam liberarentur: omnia tunc, Deo adjuvante, felicius cessura, si justitiae et divinorum ratio haberetur, et provinciam illam, alioqui fertilissimam, a Deo minus adjuvari propter hujusmodi peccata; liberandos esse servos hujusmodi et ancillas, et in legitimo matrimonio conjungendos, ut liberi inter christianos viverent, et ad Christi legem, quam susceperant, observandam adigerentur, et sic provinciam eorum opera juvari posse et alios brasilienses sic intellecturos esse quae veritatis et justitiae ratio habeatur. Demum ad Regem Portugalliae negotium etiam rejiciendum visum est; et P. Emmanuel Provinciali Portugalliae commendavit ut omnia cum principibus conferret, et impetraret etiam habitandi inter gentiles facultatem. Interim rationem ipse inierat domus puerorum brasiliensium quibusdam officialibus, viris bonis, quod ad temporalem attinet administrationem, committendi, ut tantum institutio in doctrina et vita christiana atque aliis litteris nostris relinqueretur; omnes tamen obedientiam Rectori Collegii darent. Instituit etiam confraternitatem nominis Jesu [1]. Et non solum

---

1 "Neste tempo instituio o Padre Nobrega a Confraría chamada do Menino Jesu (como já na Bahia instituira outra, e outra achára no Espiritu santo) por virtude de

laborem a nostris sed etiam murmurandi occasionem ab externis sustulit, administratione illa temporali externis hominibus data; et ita cum quibusdam ex nostris, inter quos erat Petrus Correa (cujus prudentiam et virtutem et in proximis juvandis fructum commendat), ad Baiam Salvatoris se conferre, prima navigandi commoditate, constituit. Reliquit autem sexaginta fere in illo Collegio Sti. Vincentii, ex quibus quinquaginta pueri brasilienses erant, et decimam orizae, quae ad Regem ex illo praesidio redibat, ab eodem Rege postulandam, ad sustentationem ejus collegii, censuit; et ut nostris necessaria subministrarentur, melius quam eatenus factum fuerat, suggessit; nam penuriam in vestitu non exiguam patiebantur.

1001. Cum Episcopus in Brasiliam mitteretur, cujus promotionem apud Regem nostri curaverant, coepit improbare quod nostri confessiones mulierum brasiliensium et servos et alios brasilienses, qui lusitanicum idioma non callebant, per interpretem audiebant; id enim in Ecclesia inusitatum esse affirmabat; et, si propter ingentem aliquam utilitatem id faciendum esset, interpretem esse debere virum honestum et probatum et ab ipso poenitente eligendum. At P. Emmanuel de Nobrega experientia se doceri affirmabat, quod hujusmodi confessiones per interpretem cum singulari fructu auditae fuissent, et sine ullo sigilli praejudicio; et doctores graves, qui id sentiebant, hujus inducendae consuetudinis auctores sibi fuisse. Utebatur autem opera quorumdam puerorum ex his, qui in collegiis nostris instituebantur, qui ad hoc munus bene instructi erant; et persuasit demum Episcopo ut hoc in Portugalliam scriberetur, et utrinque sententiae Doctorum Lusitaniae staretur. Sed admonuit P. Emmanuel perutiles esse hujusmodi confessiones per interpretem, et maximi momenti in illa provincia, quamdiu pauci sacerdotes idioma brasilicum tenebant, et ad salutem aeternam quibusdam necessarias hujusmodi confessiones esse, qui, quamvis attritionem habent, contritionem tamen, quae

---

bullas Pontificias, que pera isso houve; aggregando a ella aquellos moços orfãos, que temos ditto vierão do Reino á sombra dos Padres; com intensão de fazer d'elles dignos obreiros da vinha do Senhor: e juntamente os meninos filhos dos Indios, que o Padre Leonardo Nunes havia congregado: pera que todos em boa conformidade se criassen na doutrina da Fé, e aprendessem a ler, escrever, e contar: e os orfãos alem do sobreditto aprendessem a lingoa brasilica, e os filhos dos Indios a portuguesa.„ Vasconcellos, l. c., pag. 79.

remissionem mereatur peccatorum, non habent; et ita si virtute sacramenti priventur, quae ex attritis contritos redderet, aeterna beatitudine eos privari posse.

1002. Aliam etiam consuetudinem improbavit Episcopus, qua pueri, qui in collegiis nostrorum instituebantur, cantica et musica instrumenta, quibus illi abutebantur ad suam impietatem, convertebant ad res divinas et pias [1]. Crines etiam tondebant ad eumdem modum, quo gentiles id facere soliti erant. Valde autem reprehensione dignum censebat ut ritus gentilicos christiani imitarentur, et id non debere permitti a P. Emmanuele affirmabat. At Emmanuel cum videret corda infidelium his canticis, ad laudem B. M. Virginis et Dei compositis, et ipsorum instrumentis adhibitis, ad Deum et ipsius cultum trahi, et alioqui non esse hos ritus ad idolorum cultum (nam illi idola non habent) nec fidei catholicae nocere, non esse talem consuetudinem excludendam censebat; et quamvis obedivit prohibenti Episcopo, curavit tamen ut hoc ad judicium piorum et doctorum hominum in Lusitania referretur.

1003. In collegio puerorum consuetudo a nostris inducta fuerat ut diebus veneris in quadragesima et adventu, et aliis quibusdam anni temporibus, disciplina vel flagellatio fieret; et multi viri de populo se illis adjungebant sic tecti ut non cognoscerentur; et tam nostri quam etiam pueri omnes his flagellis se caedebant cum magna populi aedificatione. Hoc etiam improbavit Episcopus; et ejus concionator in primis suis conciobus acriter in poenitentias publicas invectus est. Reprehendebat etiam quod nostri ad mortificationem vel abnegationem quosdam humilitatis actus publice facerent; nam deprimi dicebat sacerdotalem auctoritatem. Hoc etiam in Portugalliam utrinque scriptum est. Sed cum vitia in populis non exigua essent, quod contra haec se Episcopi auctoritas converteret, occasionem dabat suspicandi quod parum rebus Societatis nostrae faveret, vel quod id tantum, quod ipse constitueret, probaret; quae alii, despiceret. Dicebat etiam Parisiis se docuisse P. Ignatium et P. Simonem, et mordebat, cum opportune poterat, Societatem, quamvis exterius P. Emmanuelem cum magno honore exciperet ac tractaret: et cum invenisset, adveniens

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 722, n. 657.

in civitatem Salvatoris, quod servi, diebus dominicis, ad Missam et praedicationem audiendam et a prandio doctrinam christianam, in ecclesiam nostram frequentes convenirent, voluit eos hoc labore liberare; et a quodam suo quotidie proponi christianam doctrinam, quem tamen fere nullus audiebat. Cum ad haec accederet quod, quae a nostris gratis praestari solita erant, aliter a sacerdotibus Episcopi fierent, et quae superius de mulctis pecuniariis retulimus [1], Societas quidem ipsa apud Lusitanos detrimentum in sua auctoritate non patiebatur; sed aegre ferebat P. Emmanuel quod parum consuleret suae auctoritati Episcopus, dum alienum animum a Societate ostendebat, et etiam a domibus, in quibus pueri instituebantur, quas parum sibi gratas esse significabat, et eremitoria etiam vel ecclesias, quae inter gentiles fiebant; et scribens Episcopus P. Simoni, perstringit P. Emmanuelem de Nobrega quod sui propositi tenax videretur; et Visitatorem postulabat; et se ut consulerent, cum speculator esset constitutus et rerum indicarum experientiam haberet, nostris injungendum censebat.

1004. Reliquit P. Emmanuel apud S. Vincentium (ut eo redeam unde digressus sum) P. Leonardum Nugnez et P. Payvam cum multis orphanis et filiis gentilium nobiliorum. Cum enim multos non possent alere, filios eorum, qui principes erant locorum, praeferendos aliis existimabant. Et non cum exiguo dolore aut suo aut gentilitatis expeditionem illam omisit, quam jam adornaverat; et inter caetera officinam fabri ferrarii secum deferre constituerat, ut ad agriculturam, et piscationem, et alios usus necessarios, instrumenta ferrea gentilibus donare posset. Nihil enim inter humana media ad eorum animos conciliandos utilius futurum erat. Sed Gubernatoris consilium, ut diximus [2], haec omnia consilia dissolvit. Suggerebat etiam idem P. Emmanuel aliquem ex nostris, ad ordinandos fratres Societatis et confirmationis sacramentum hominibus ministrandum, mittendum esse, qui ad hoc solum, sine alia jurisdictione, Episcopus crearetur; tam procul enim aberat Episcopus Brasiliensis a quibusdam ex his oppidis, etiam maritimis, ut citius ex Portugallia quam ex Baia Salva-

---

[1] Supra, n. 998, pag. 462.
[2] Supra, n. 995, pag. 459.

toris, ubi Episcopus residebat, responsum et auxilium exspectari posset; immo et ire et redire in Portugalliam facilius esse; hac tamen in parte non visum est ejus petitioni satisfaciendum esse.

1005. Quidam Ludovicus de Goëz cum uxore sua, magno spiritualis profectus desiderio accensus, nostris ignorantibus, votum emiserunt caste vivendi; et maritus quidem Societatis etiam ingressum vovit, et ejus uxor ingressum in monasterium, vel quidquid nostri consulerent; non tamen hoc novum exemplum viros conjugatos in Societatem admittendi, in Societatem admitti debere visum est.

1006. De peregrinatione P. Emmanuelis, qui loca maritima cum praetore navigavit usque ad praesidium Sti. Vincentii et inde ad eadem fere loca rediit, multa dici possent, sed quaedam tantum attingam. Suo in comitatu sacerdotem quemdam, nomine Franciscum Perez, cum quatuor pueris orphanis bene institutis, adducebat. Apud Illaeos concionatus est idem Pater Nobrega et aliquorum confessiones auditae sunt. Inde ad Portum Securum navigarunt, ubi invenerunt P. Navarrum [1], cujus doctrina multum utilitatis, tam lusitanis quam neophytis et aliis gentilibus, attulerat; utrisque enim concionabatur, sed gentilibus et neophytis et aliis gentilibus in lingua ipsis vernacula, quam optime didicerat; et ex gentilium oppidis, quae circuire solebat, ad ecclesiam et habitationem Sti. Amari se recipiebat, prope quod templum erat B. Virginis plurimis miraculis clarum. Populus ille Portus Securi constitui apud se novam domum vel collegium, in quo pueri alerentur et docerentur, postularunt, et ad id sumptus et impensas necessarias obtulerunt. Consuluit Gubernatorem P. Nobrega, qui, cum nostrae Societatis studiosissimus esset et pietatis operibus impensus, rem probavit, et statim locum ad domum aedificandam designavit, qui citris et pomis (quae vocant aurea) consitus erat. Statim multi ex civibus multa promiserunt, et quatuor delecti sunt, qui eleemosynas ad aedificium colligerent. Vir autem quidam, qui brasilicam linguam probe tenebat, promisit se tot filios indorum nostris traditurum, quot ea domus alere posset. Hoc interprete, P. Nobrega gentilibus verbum Dei praedicavit,

---

1 P. Joannem de Azpilcueta, navarrum.

quo valde excitati et commoti sunt. Erant autem servi diligentissimi et magno cum fervore ad rem divinam cum P. Navarro faciendam se conferebant. In alio etiam populo vicino, ad servos vernacula ipsis lingua per eumdem interpretem concionatus est.

1007. Inde ad Portum Spiritus Sancti difficili navigatione appulerunt, ubi residebat P. Alfonsus Blasius, qui occurrit in cimba advenientibus; et non solum nostros, sed et praetorem totumque comitatum ad templum nostrum deduxerunt, ubi simul omnes hymnum *Veni Creator Spiritus* decantarunt. Affirmabat P. Nobrega nullibi se majora virtutis documenta quam in hoc populo, alioqui satis civili, invenisse. Domum magnam et egregium templum nostris construxerant, et multi octavo quoque die de peccatis confitebantur. Die sequenti postquam eo pervenerunt, P. Nobrega, non sine magno totius populi gaudio et ipsius concionatoris, concionatus est, et, prout fecerat Gubernator in oppido Portus Securi, ita et in hoc Spiritus Sancti, eleemosynam magnifice elargitus est. In hac domo, sicut et in caeteris aliarum coloniarum maritimarum, multi servi et aliqui ex indis liberis instituuntur, et ex Collegio Sti. Vincentii in hoc plures pueros in dies adduci P. Nobrega jussit, tum quod domus ampla sit, tum quod provincia omnium rerum affluentia abundet.

1008. Inde ad flumen Januarii [1], quo coloniam novam lusitanorum Gubernator deducere optabat, nostri se contulerunt; sed homines ex navibus egressi non sunt, quod indigenae lusitanos odio prosequerentur. Multi ibidem ex lusitanis in morbos inciderunt, cum quibus nostri et charitatis et patientiae exercendae occasionem habuerunt; et nullus, per Dei gratiam, mortuus est, quamvis auditis eorum confessionibus ad omnia eos praepararent et eis solatio essent. Inde nostri ad quosdam pagos verso flumine ascenderunt, qui lusitanis erant benevoli, et per interpretem eis P. Nobrega concionatus est; et, congregatis eorum pueris, christianam eis doctrinam tradebant, et cantica quaedam, ad Dei et B. Virginis laudem pertinentia, ut addiscerent et memoria retinerent curabant. Frater noster Petrus Correa, ante quam ad Societatem nostram accederet, inter hos in-

---

[1] Rio Janeiro.

dos versabatur, et cum eum occidere vellent, persuasit cuidam foeminae brasiliensi quod ejus filius esset, a lusitano quodam viro ex ea susceptus. Cum autem illa id credidisset, a morte eum defendit. Cum ergo foemina haec Petrum Corream simul cum P. Leonardo, postquam Societatem ingressus esset, vidisset, postquam eo P. Nobrega pervenit, postulavit ab eo ut se deduceret ubi filius ejus erat, quem abbatem verum et sanctum vocabat; et ita deducta est simul cum filio et filia gravida ad oppidum Sti. Vincentii, quae ibidem peperit, et omnes simul baptizati fuerunt, omnibus admirantibus Dei providentiam in his hominibus ad vitam adducendis.

1009. In hac navigatione P. Nobrega otiosus non fuit, nam illius classis homines satis ei negotii exhibebant; complures enim in peccato mortali versabantur, cum mulieres inhonestas secum ducerent. Omnia igitur navigia illius classis perlustrare decrevit ut hominibus spirituale auxilium afferret, et illud navigium, in quo exules e Portugallia vehebantur, peculiari cura invisit; et, quamvis prae caeteris duriores viderentur, ex illis tamen fructum uberiorem quam ex aliis percepit, et a vitiis, quae id generis hominibus familiaria esse solent, magnam emendationem per Dei gratiam est consequutus. Deinde ad aliam se transtulit navem, ubi multae inhonestae foeminae ferebantur, et curavit ut in quamdam navis partem detruderentur, et ibi simul clausae dormirent; et ita magnae Dei offensae evitatae fuerunt. Praeterea christianam doctrinam homines ejus classis docebat; et, mores pravos reprehendendo, ab eis avocare curabat.

1010. Ad locum quemdam classis pervenit (quem Angram Regiorum [1] vocabant) et nullus ex militibus ejus classis in continentem descendit, sed in desertam quamdam insulam ut recentem aquam caperent, ubi tam P. Nobrega quam ejus socius in morbum inciderunt; sed, Deo propitio, melius statim habere coeperunt. Cum autem ex oppido Sti. Vincentii P. Leonardus Nugnez cum cimba eis occurrisset, et in eadem P. Nobregam deduceret, et cum gravis tempestas eos in medio mari adorta esset, cimba submersa est; quia tamen insula quaedam vicina erat, indi P. Nobregam totum madidum conduxerunt; cum

---

[1] Sic; rectius, ut videtur, *Regum;* lusitanice *Angra dos Reys.*

enim natare non didicisset, aliter incolumis emergere mari non potuisset, cum praesertim adhuc ex aegritudine debilis esset. Laetus inter hos labores P. Nobrega ad Collegium Sti. Vincentii se contulit, et pueros gentilium, qui in eo instituebantur supra nonaginta, in itinere obvios habuit. Hos omnes Collegium Sti. Vincentii alebat, et eorum parentes, qui ad filios invisendos saepe veniebant, hospitio excipiebat. Populus ipse perhumaniter P. Nobregam excepit, qui suis eleemosynis Collegium liberaliter juvabat. Templum ibi nostri habebant, et ipso die Purificationis B. Virginis cum solemni pompa processerunt ab eo ad templum ejus oppidi cum suis pueris, qui cereos accensos in manibus ferebant; et in reditu, post Missam celebratam, P. Nobrega concionatus est. Petrus autem Correa singulis dominicis diebus in brasilica lingua concionabatur; et ex his, qui mane veniebant, major pars post meridiem redibat, praeter servos et brasilienses liberos ejus oppidi, quibus pergratum erat pueros brasilienses concinne decantantes audire.

1011. Inde misit P. Nobrega ad fluvium [1] (quem anserum vocabant) P. Leonardum Nugnez, Gubernatore id rogante, ut quosdam nobiles hispanos, qui amissa classe eo convenerant, ad oppidum Sancti Vincentii deduceret; deditque idem Gubernator navigium P. Leonardo ut eosdem homines deduceret; quamvis ferebatur quod illi ad interiora penetrare vellent ut se conjungerent aliis castellanis, qui in provincia Paragai habitabant, et timebatur ne ipsum P. Leonardum secum deducerent, quod tamen non fecerunt. Ejus loco P. Payva concionabatur lusitanis, nam P. Emmanuel, ut superius diximus, ad interiores indos etiam penetrare, et aliam urbem constituere, ut melius indigenas ad Dei cognitionem et obsequium deducere posset, cogitabat. Nec solum ipse graviter tulit quod a Gubernatore impediretur, sed et alii fratres, qui spe fructus uberioris ad mediterranea proficisci optabant; quamvis in oppido Sti. Vincentii mediocris illi messis non deesset; nam praeter conciones lusitanicas et brasilicas, multi etiam ex indis, et ex his quos mamilucos vocant, id est, lusitanorum et brasiliensium foeminarum filios, ad confessionis sacramentum tali cum devotione et con-

---

[1] Rectius fortassis *lacum;* nam nullus est in hac Brasiliae ora fluvius, quem sciamus hoc nomine *anserum, dos patos,* vocari; est autem ingens lacus, *Lago dos Patos.*

tritione accedebant, ut similem in lusitanis desiderarent. Processiones etiam disciplinantium, vel se flagellis caedentium, ex ipsis brasiliensibus, in quadragesima fiebant cum aedificatione non exigua, et quotidie catechismum eis, per tintinnabulum evocatis, explicabat. Hoc etiam anno instituit P. Nobrega qui legere et scribere non solum domesticos pueros sed etiam externos [docere] inciperent; et hac ratione non poenitendus fructus ex hoc oppido et etiam ex aliis in ora maritima, in qua nostri residebant, capiebatur.

1012. In quodam campo, duodecim leucas a Sancto Vincentio distante, tres pagi brasiliensium congregari et habitationem figere decreverant, ut simul omnes a nostris doceri possent, qui magnam sitim audiendi verbum Dei, et discendi quae fidei sunt, ostendebant. Multi autem servi, qui in peccato mortali versabantur cum ancillis, ab eo recesserunt, in uxores eas ducendo, vel relinquendo; et ita se gerebant, ut lusitani occasionem erubescendi haberent.

1013. Postquam brasilienses ex praedictis pagis in unum locum convenerunt, ante quam P. Nobrega ex oppido Sti. Vincentii recederet, ad eos se contulit ipso die Decollationis Sti. Joannis, ad eum locum veniens, ubi seorsum qui convertebantur ad fidem Christi habitabant. Quinquaginta catechumenos solemniter admisit; et duos ex fratribus, qui eos et alios docerent, ibi constituit, et bene admodum de illis sperabat; non prius tamen ad baptismum admittendos catechumenos censebat, quam fidem suam bonis operibus comprobarent. Ipse autem ad alios, quos Deus elegisset, vocandos ad religionem Christi, progrediebatur, et praemisit Petrum Corream ad poenitentiam et remissionem peccatorum gentilibus praedicandam, qui secum omnia opportuna ad conciliandas omnium voluntates ferebat; et praecipue juniores undecumque ad nostros confluebant. In novo illo populo quidam Joannes Ramamlus, antiquissimus omnium lusitanorum, qui in tractu versabantur, habitabat, qui multos filios, et sanguine praecipuis cognationibus indorum conjunctos, habebat, quorum primogenitum peregrinationis suae comitem P. Nobrega habebat, quo major apud indos auctoritas ejus ministerio accresceret. Omnes autem hos filios Joannes Ramamlus ex brasiliensi quadam foemina habebat, quae cujusdam principis viri, et magnae inter indos potentiae,

filia erat; et ita in hac familia medium inter humana efficax habere sibi videbatur P. Nobrega ad gentilium ejus provinciae reductionem. Judicabat autem ad hoc genus hominum, qui in gradibus prohibitis uxores ducebant, [dispensandi potestatem], quod aliquod impedimentum vel consanguineitatis vel affinitatis intervenisset, esse necessariam; nec solum propter gentiles, sed etiam propter christianos illis in populis habitantes.

PORTUS SECURUS [1]

1014. P. Navarrus seminabat Christi verbum diligenter in hoc oppido et locis ei vicinis; in communibus tamen occupationibus praedicandi in brasiliensi et hispanica lingua, et in confessionibus audiendis et pacibus conficiendis, occupabatur, cum paucitas operariorum efficeret ne ad interiora provinciae illius penetrare posset. Versabatur ille populus in magna suae salutis oblivione, et vix praeter nomen christianorum quidquam retinere videbatur. Immersi in odiis, in litibus et publicis contra honestatem peccatis, quod initio diffidentiae causa P. Navarro esse poterat, cum ex agro talibus sentibus pleno magnus sperari fructus vix posset. Dedit tamen gratiam Dominus quibusdam ut a peccatis recederent. Alii dimittebant concubinas, alii in uxores ducebant; multi suas lites arbitrio P. Navarri subjiciebant et aliorum, qui eum juvabant; [et ita] in gratiam redibant. Hoc tempore, alio in populo ejusdem provinciae, magna dissensio exorta est, et homines in diversas factiones divisi fuerunt; et cum nulla ratione ad emendationem adduci possent, ignis oppidum illud invasit, cujus originem nemo sciebat, et major ejus pars cum multis bonis incolarum conflagrarunt; et mulier quaedam non exiguae auctoritatis affirmavit eidem P. Navarro quod, cum domi suae esset, voces quasdam velut puerorum clamantium audierat; et cum domo egressa esset, ut videret quid sibi vellent, neminem vidisse, sed ignem tantum observasse, qui tunc accendi

---

[1] Inscriptionem hanc recentior manus apposuit.

coeperat, et tam brevi tempore omnia consumpsit, ut remedium adhiberi non potuerit. Hoc incendium adjuvit P. Navarrum ut majori cum efficacia in quodam alio primario oppido concionaretur, in quo multum ad reducendos homines ad poenitentiam laborabat; sed cum illi obstinati in suis peccatis essent, descendit super eos ira Dei eadem ratione et subito quodam igne pene totum oppidum intra muros exarsit, nec domibus aut mercibus, quae ibidem erant, quisquam remedium afferre poterat.

1015. Evaserat incolumis cujusdam viri divitis domus, qui male de concubinatu publico audiebat. Cum autem ille per vias publicas se jactaret, et vera non esse, quae contra ipsum fama circumferret, ex eo indicio probaret, quod ipsius domus intacta ab igne manserat, aliis, inter quas erat domus, incensis, permisit Dominus ut postridie in supremo culmine domus ejus ignis accenderetur, et tota illa, cum rebus quas habebat in eadem, igne consumpta fuit.

1016. Pervenerat ad hoc oppidum rumor illius horrendi sacrilegii, quod Ulyssiponae accidisse diximus contra Sanctissimam Eucharistiam [1], quod, quamvis omnium animos terruit et afflixit, vir quidam ex primariis ejus regionis, domo sua egressus, quasi amens vociferari coepit, quasi ratiocinando cum Deo, et ad templum nostrum venit, quod ab illo oppido aliquantulum distat, et illud ingressus, tanto cum zelo locutus est, ut animos audientium inflammaret. Instituta est ergo a P. Navarro generalis processio, in qua multum plurimi flagellis se ceciderunt, et alia pietatis opera ad Dei gloriam et Sanctissimi Sacramenti egerunt.

1017. Post paucos dies accessit ad oppidum Portus Securi P. Ambrosius Perez, qui hoc anno ex Portugallia missus fuerat, qui exceptus est magna hominum consolatione, et praesertim ipsius Navarri, qui eum in oppido Portus Securi cum socio reliquit; et in docendis tam christianis quam indis se occupare coepit. Ipse enim Navarrus, cum litteras a Gubernatore et a nostris accepisset, quibus eum hortabantur ut se comitem adjungeret quibusdam viris, qui, nomine Regis Portugalliae, ad interiora illius gentilitatis investiganda mittebantur, missio-

---

[1] Supra, n. 752, pag. 339.

nem amplexus est, et quidem libenter; sperabat enim alios magis dispositos fore ad Christi religionem amplectendam quam eos gentiles, qui Portui Securo vicini erant. Solus tamen, propter penuriam sociorum, profectus est, cum instructionem P. Ambrosio reliquisset, et quae ad doctrinam christianam pertinent, et ejus declarationem in brasilica lingua traductam.

DE HIS, QUI MISSI SUNT IN BRASILIAM, ET DE PROVINCIALIS ELECTIONE

1018. Hoc anno, ut superius tetigimus [1], septem ex Societate nostra in Brasiliam missi sunt. Primus fuit P. Ludovicus de Grana, theologus, qui fuerat Conimbricensis Collegii Rector: duo alii, sacerdotes, Ambrosius Perez et Blasius Laurentius; et quatuor fratres, qui sacerdotes non erant, [Gregorius] Serranus, Josephus [Anchieta vel Ancheta, Antonius] Blasquez et Joannes Gonzalez. Scribit autem P. Blasius Laurentius ex Baia Salvatoris, quod omnes incolumes in Brasiliam pervenerunt, etiam illi qui, ut superius diximus, gravibus morbis laborabant, et de quorum curatione medici parum sperabant. Nec tamen in itinere labores illis defuerunt, nam plures eorum mare vexabat, ut vix esset qui cibum pararet aut male habentium curam gereret; et aliquando locum dormiendi septies et octies una nocte mutabant, quamvis tabulae quietis locum praeberent, quia sic nautis videbatur necessarium esse; et inter has delicias tandem aegrotantes convaluerunt. Nec sine fructu spirituali haec navigatio confecta est, nam P. Ludovicus concionando et Missam siccam (ut dicunt) dicendo, pro more nautico, et P. Blasius christianam doctrinam quotidie docendo, in rebus spiritualibus homines illos juvabant; et, inter alia vitia, jurandi

[1] Supra, n. 855, pag. 390, et n. 868, pag. 396.

abusus sic ab hominibus ejus classis sublatus est, ut, si quis pro consuetudine errasset, ab aliis etiam saecularibus accusaretur et injunctas poenitentias devote persolveret: multae etiam concordiae inter dissidentes compositae fuerunt. Qui Gubernator in Brasiliam mittebatur [1], magna dilectione Societatem prosequebatur et P. Blasio Laurentio confessus est. Ad aliud etiam navigium cum P. Ludovico idem Blasius transivit, ubi multorum audierunt confessiones. In familiaribus etiam colloquiis multos in spiritu sunt consolati. Si quis etiam aegrotabat, ejus curam habebant; nautis etiam in suis laboribus, cum ope indigerent, nostri praesto aderant; et quamvis propter ventos contrarios primis diebus parum abfuit quin in Portugalliam redirent, Deo juvante et prosperum ventum immittente, duobus fere mensibus ad Baiam Omnium Sanctorum appulerunt, ubi nostri magno cum desiderio exspectabantur; et ita amanter admodum et ab externis excepti fuerunt [2].

1019. P. Ludovicus de Grana praedicationi, et, simul cum aliis duobus sacerdotibus, confessionibus operam dare coepit; nec enim aliis quam nostris civitatis homines confiteri volebant. Frater noster Antonius Blasquez pueros legere et scribere, et quosdam grammaticam, et omnes simul christianam doctrinam, docebat. Diebus autem dominicis et festis P. Blasius ad alium populum vicinum, una leuca distantem, se conferebat, ut ibidem Missam celebraret, et christianam doctrinam tam lusitanis quam indigenis brasiliensibus proponeret; et ad hos posteriores docendos opera interpretis, quem secum adducebat, utebatur.

1020. P. Ambrosius Perez ad Portum Securum, ut superius diximus, destinatus fuit; P. Vincentius Rodericus cum alio quodam sacerdote ad locum quemdam gentilium profectus est, ubi cum solemnitate [gentiles] quemdam suum inimicum occidere et comedere volebant. Cupiebant autem [3] illum

---

[1] Duarte, sive Eduardus, da Costa.

[2] "Partira de Lisboa este tão grandioso soccorro no anno corrente de 1553 a 8 de Maio, em companhia de D. Duarte da Costa, fidalgo illustre, filho d' aquelle D. Alvaro da Costa, Embaixador que foi d' El Rei D. Manoel ao Emperador Carlos Quinto, e grande amigo da Companhia. Vinha per Governador geral, o segundo d' este Estado Chegarão a lançar ferro na Bahia de Todos os Santos no dia referido do 13 de Julho do mesmo anno, com alegria dos que vinhão, e dos que esperavão, costumados a ver todos os annos Armadas do seu Rei.„ VASCONCELLOS, l. c., pag. 80, n. 135.

[3] P. Vincentius Rodriguez et socius.

christianum efficere, et, si paratum ipsum viderent, baptismum eidem conferre. Invenerunt autem fere duo millia brasiliensium, qui suis cantibus hilaritati operam dabant: ille autem, quem occisuri erant, et quem nostri aliquando allocuti fuerant, in campo quodam ramis absconditus erat, quo nullum christianum accedere permittebant. Pervenerunt nihilominus nostri ad illum et intellexerunt perseverare in voluntate christianae religionis suscipiendae, quod cum gentiles praesensissent, prohibere conati sunt ne ad eum accederent, ne per baptismum verum eorum cibum laederent; sed nec aquam nostri ad eum baptizandum habere poterant, quia indi vino tantum in hujusmodi ipsorum festis utuntur. Decreverunt ergo nostri aliquid comedere ut occasionem haberent aquae petendae, quam tamen brasilienses negarunt, nam qui rem intelligebant, ne ipsis daretur prohibuerant; sed accidit ut mulier quaedam gentilis, cucurbitam aquae plenam ferens, a nostris evocaretur ut ad bibendum aquam ipsis daret. Unus autem ex nostris, cum simularet se bibere, parvum lineum aqua madefecit et cum illa hominem interficiendum baptizavit. Sed cum brasilienses id sensissent, magnis cum clamoribus indignari coeperunt, et a vetulis irritabantur quod cibum suum laedi permitterent, et cum hoc fervore in nostros se converterunt, qui eis securum animum et amantem exhibuerunt. Continuit autem illos Dominus ne nostros occiderent, immo obstupescebant ipsimet brasilienses quod nostros tam intrepido animo in tam praesenti mortis periculo viderent. Recedentes autem nostri puerum quemdam ex domesticis ea nocte ad illum hominem, postridie mane interficiendum, miserunt; cum enim parvulus esset, ab eo non cavissent gentiles. At puer officio illo egregie functus est, et hominem illum et consolatus est et animavit ea nocte, et ita placuit divinae bonitati animam illam ab impietate hostium ad coeleste regnum evocare.

1021. Ad hoc usque tempus nostri, qui in Brasilia versabantur, Provincialem Praepositum non habebant, sed Praepositi Portugalliae obedientiae subjacebant, quamvis duo millia leucarum ab eo regno distarent. Nam Indiae Provinciali subesse non poterant; quia praeterquam quod India remotior erat (siquidem quinque fere millibus leucarum a Portugallia distat), navigatio a Brasilia in Indiam rara aut nulla est; et

ita P. Miron, Provincialis Portugalliae, suas facultates, quascumque poterat, P. Emmanueli de Nobrega communicaverat [1]. Sed P. Ignatius, qui intelligebat diversis in locis Brasiliae nostros residere, licet pauci adhuc essent, nec enim ad triginta ascendebant, Praepositum Provincialem censuit, ut superius attigimus, constituendum; et ita Patrem de Nobrega, missis patentibus litteris, Praepositum Provincialem creavit, et in virtute obedientiae ei praecepit (quia propter humilitatem fieri poterat ut officium detrectaret) ut curam hanc subiret, et gubernationem omnium domorum et personarum, quae sub obedientia Societatis erant, susciperet, et alii quam Praeposito Generali non subesset; et quia tunc in usu erat ut Provinciali-bus collateralis assignaretur, P. Ludovicum de Grana hoc officio fungi voluit, et quomodo se invicem haberent, regulas quasdam eisdem praescripsit. Quod si in collegiis multitudo personarum Societatis esset, aliquem ex his, cui magis confideret, Rectori collateralem, ab ipso Provinciali eligi voluit; sive autem collaterales eligerentur sive non, aliquos designari in consultores voluit, et ut ipse novus Provincialis sibi eligeret ex his, qui magis in rebus Societatis versati et majori fide digni essent, praescripsit. Quamvis enim comitari Provincialem cuncti non possent, aliquis saltem eorum comitari poterat; et in rebus magis arduis verbo aut scripto hujusmodi consultorum sententiam exquirere debere significavit; quamvis, auditis eorum sententiis, libere quod ipsi videretur statuere posset.

1022. Nondum tamen professionem emiserat P. Emmanuel, sicut nec P. Hieronymus Domenech, cum Provinciales effecti sunt; injunctum est tamen P. Emmanueli ut professionem ipse emitteret in alicujus Praelati manibus, quandoquidem ibi nullus Societatis professus erat, et ut P. Ludovicus de Grana ad eamdem professionem admitteretur scripsit [2]; formulam etiam scribendi distinctius et exactius eidem Emmanueli

---

[1] Postremis his verbis *et ita P. Miron... communicaverat,* respondent illa Patris VASCONCELLOS, *Até este tempo governava Nobrega com titulo sómente de Vice-Provincial, subordinado a Provincia de Portugal,* l. c., pag. 85, n. 147.

[2] P. Emmanuel de Nobrega professionem emisit, ut ex autographo constat, VI cal. Maji (26 Aprilis) anni 1556 in manibus Patris Ludovici de Grana, in oppido Sancti Vincentii; vota autem simplicia, quae professionem sequuntur, ibidem in manibus Patris Ignatii de Acebedo, 6 Aprilis 1567.—Pater vero Grana suam emisit 16 cal. Novembris (17 Octobris) 1566, in manibus ejusdem Patris Acebedo, in civitate Salvatoris, in sinu Omnium Sanctorum.

transmisit, tam in litteris, quae aliis possent ostendi, quam in secretioribus; climata etiam regionis, et mores gentium et alia hujusmodi scribi voluit, non tam ut curiosis satisfieret, quamvis et ejus rei haberetur ratio, quam ut Praepositus Generalis, rebus melius perspectis, si quid oporteret, posset providere. Hae litterae sub finem Julii mensis scriptae fuerunt a P. Ignatio, 1553 [1], et mense Septembri in Portugallia jam erant acceptae, ut cum prima navigandi commoditate in Brasiliam mitterentur [2].

---

[1] Eas vide in *Cartas de San Ignacio.* t. III, pag. 234.

[2] De rebus hoc anno in Brasilia gestis quaedam habet VASCONCELLOS, *opere cit.,* quae Polancus praetermisit. Unum nos huc transcribendum censemus in gratiam praesertim eorum, quibus haud praesto sit VASCONCELLOS opus. Ait ille, lib. I. n. 138, pag. 84: "Hum mez andado depois da chegada d' este soccorro, passou a melhor vida na casa da Bahia o Padre Salvador Rodriguez. E foi esta outra providencia do Ceo; porque só elle era Sacerdote (como vimos) e a tardar mais o soccorro, ficaria em grande falta a casa com dous Irmãos sómente. Foi este Padre o primeiro dos da Companhia, que chegou a gozar o premio dos trabalhos d' esta penosa vinha. Foi rara sua sinceridade, e obediencia: tal, que dizendolhe (despedindo-se d' elle pera San Vicente) o Padre Nobrega, por modo de hyperbole: Vossa Reverendissima não morra em quanto eu não tornar, recebeo este ditto como preceito de obediencia: e chegando depois as portas da morte, davalhe isto grande cuidado, parecendolhe que não poderia ir a ver a Deos sem que houvesse quem o absolvesse d' este preceito: e na verdade teve respeito a morte, que a nada perdoa, a tão santa sinceridade; porque esteve desconfiado dos medicos tempo notavel, fóra do que parecia natural, sustentando a vida, até que chegou o Padre Luis da Gram, que com poderes de Collateral do Provincial (nondum erat Nobrega Provincialis nec Grana Collateralis, sed nec ulla extraordinaria potestate ad hoc opus erat) absolveo aquel alma retida em laços de obediencia só imaginados: e o mesmo foi livral-o do escrupulo, que dar a alma ao Criador. Com razão lhe chamava o veneravel Padre Joseph (Ancheta) homem de simplicidade e obediencia.

Varão alem d' isto verdadeiramente humilde. Sómente elle era Sacerdote (come dissemos) e não lhe foi comtudo pesado ficar debaixo da obediencia e superioridade do Irmão Vicente Rodrigues, que ainda o não era. (E que d' estrondo podia causar n' outro tempo, e n' outro coração, esta só sombra de desprezo!) Em todas as virtudes religiosas foi exemplar; em todo genero de occupação incansavel; em todo o bem do proximo diligente; e em toda sorte de devação affectuoso, especialmente devotissimo da Virgen Senhora Nossa da Assumpção: em nenhuma cousa fallava com mais gosto, que nos mysterios d' esta sua Mãi. Pagou-lhe ella este amor com o mimo que muito desejava: e foi desatal-o d' esta vida em seu proprio dia; depois de padecidos com grande paciencia os trabalhos de sua enfermidade, cheio de fé e esperança, recebidos todos os sacramentos da santa Igreja, espirou no ponto em que o relogio dava a meia noite, que foi principio do dia da Assumpção do anno presente de 1553, com hum Crucifixo na mão, e na boca o santo nome de Jesu e Maria, com grande consolação de seus Irmãos, que neste primeiro exemplar da morte tomarão animo pera fazer menos caso da vida.„

Consule etiam *Diversi avisi particolari dall' Indie di Portogallo.*

DE PROVINCIA INDIAE

DE REBUS INSULAE ORMUZ

1023. Inter eos qui in Provincia Indiae versabantur, si situs habeatur ratio, primi occurrunt, qui in Insula Ormuz id temporis residebant. Est enim haec insula, inter quasdam alias circumjacentes ipso in ore sinus Persici, ante Indiae ingressum. Eo missus fuerat hoc ipso anno, 1553, P. Antonius de Heredia [1], ubi P. Gondisalvum [2] aegrotantem invenit, et urbem ipsam valde afflictam, nam turcae obsidione eos cinxerant, et, ex incommodis ac laboribus in varios morbos incidentes, ex eis plurimi mortui sunt. Habuit ergo messem amplissimam ut et praedicationibus, et audiendis confessionibus, et familiaribus colloquiis urbem illam consolaretur. Esse solebant decem vel duodecim millia familiarum in ea civitate; sed hoc anno vix tria millia, propter obsidionem jam dictam, quae in causa fuit ut reliqui in varia loca dilaberentur, quamvis paulatim redire incipiebant. Erant ibidem ad centum et quinquaginta familiae christianorum conjugatorum, tam lusitanis quam ejusdem regionis hominibus connumeratis. Erant et sexcenti milites praesidiarii, lusitani; reliqui saraceni erant, permixtis quibusdam gentilibus et judaeis, armeniis etiam, rutenis et abexinis (sic enim aethiopes, prestejani subjectos, vocant); sunt etiam alii externi plurimi ex variis nationibus, qui, mercaturae gratia, ut

---

[1] "P. Antonius de Eredea (Heredia) Cocino et Alexius Madeira submissi anno 1553, qui cum secundo Aprilis discessissent, Armuziam 20 Maji tenuerunt.„ TRIGAULT, *Vita Gasparis Barzaei*, lib. III, cap. 2.

[2] P. Gundisalvum Rodriguez. Vide supra, t. II, pag. 729, ann. 1552, n. 671.

ad emporium celeberrimum confluebant. Habet illa insula ab uno latere Persidem una leuca, ab altera Arabiam duodecim leucis distantem.

1024. Non habebat collegium Societas in ea insula nec domum, sed tantum eremitorium quoddam minus quam media leuca a civitate distans, quod tres cellulas, a P. Magistro Gaspare confectas contemplationis gratia, habebat. In antro quodam ejus loci, insignis ille iogus, quem Paulum nominavimus, cum de rebus Portugalliae ageretur [1], olim vixerat, et ad Christi fidem ab eodem Patre conversus est. Ad ministeria autem Societatis obeunda locus erat parum idoneus, cum procul ab urbe distaret, cujus spiritualibus necessitatibus diu noctuque subveniendum erat, praesertim cum aestus veris tempore sit ea in insula tam intolerabilis, ut vix alii quam purgatorii igni comparari possit, ut P. Heredia scribit; et in eundo et redeundo ad urbem sex ex fratribus nostris, ibi admissis, brevi tempore confecit; nam indigenae, vel aquae immersi, vel aliis remediis, aestum hunc acerbissimum temperare solent. Civitas ergo, eorum qui obierant experientia edocta, P. Antonium rogavit ut in civitatem commigraret, cum aegrotaret graviter, sicut et P. Gaspar bis aegrotaverat et P. Gondisalvus; bis enim aut ter eundum aut redeundum ad civitatem erat.

1025. Acquievit ergo illis P. Antonius, et prope hospitale habitationem accepit, et eremitam quemdam in illo D. Pauli eremitorio constituit, et confraternitatem quamdam sub nomine Jesu instituendam curavit, ne devotio, qua homines ad eum locum afficiebantur, periret; et ut illum, cum opus esset, reparare possent; et quamvis fructum non poenitendum ex illo populo caperet cum in illo eremitorio habitaret, longe uberiorem coepit postquam in urbem commigravit. Habebat enim oratorium domesticum ubi et Missam celebrabat, et confessiones audiebat, et legere ac scribere quinquaginta pueros, doctrinam etiam et mores christianos, docebat, et quidem perutiliter; nam sub noctem quotidie cum eisdem animas purgatorii commendabat, et simul cum eisdem litanias cantabat, et ut oraretur pro his, qui sunt in peccato mortali, petebat. Diebus mercurii in hospitali Missam celebrabat in gratiam aegrotantium, et in die

---

[1] Vide supra, n. 904, pag. 409, et t. II, pag. 170, ann. 1550, n. 364.

confessiones eorum audiebat, quamvis et aliis diebus, si opus esset, id faceret. Diebus veneris, cum pueris et aliis plurimis eos comitantibus, cum processione ad eremitorium D. Pauli pergebat et ibidem concionabatur, cum frequentes auditores adessent. Diebus autem dominicis in summo templo, quod intra arcem erat, tantumdem efficiebat: diebus autem festis post meridiem, et omnibus diebus mercurii, in eodem templo catechismum interpretabatur mulieribus solutis et neophytis; nam ex hisce solutis mulieribus plures quam sexaginta congregabantur, praeter eas, quae matrimonio junctae erant. Singulis autem noctibus quadragesimae processiones fiebant disciplinantium, et eis in atrio domus idem Pater concionabatur; et erat tantus hominum fervor ut etiam gentiles et saraceni ad eos spectandos concurrerent.

1026. Ex his laboribus fructus colligebatur non mediocris, dum alii vitam emendant, alii religionem ingrediuntur, et ad id alio se conferunt, alii suis inimicis reconciliantur, etiam cum gravissimae injuriae praecessissent; multi etiam, et quidem ex primariis, aut fere omnes, in praecipuis anni festis confitebantur et ad sanctissimam Eucharistiam accedebant. Erat qui crebrius id faceret; sed constantior fructus fuisset, si homines, qui Ormuzii versabantur, in continuo motu non fuissent; nam fere in navigationibus, accedendo et recedendo, bona pars temporis consumitur; ideo fructus minus maturus et majori cum labore ibi colligebatur. Incolae autem christiani gravia etiam incommoda, quod ad religionem attinet, patiebantur, quod tam vicinam haberent Arabiam et Persidem, immo in eisdem domibus cum aliarum sectarum hominibus viverent; nam aliquando in una domo christiani, saraceni, judaei et gentiles unum commune ostium domus habebant, et filia christiana matrem et sorores [non] christianas habebat. Ut autem huic incommodo aliqua ratione provideret, curavit P. Antonius ut mulieres solutae, quae per civitatem sparsae erant, ad duos vicos urbis simul omnes reducerentur, ut de familiaritate cum saracenis recederent, et ut aliae etiam familiae conjugatorum versus eamdem urbis partem se reciperent. Modus autem consulendi solutis hujusmodi foeminis unicus ille erat, ut in matrimonio collocarentur; nam religiosae fieri non poterant, nec ullum ibi monasterium earum conservari propter bellorum perturbatio-

nes potuisset. Aliquando etiam in Indiam mittendo, eas à periculis etiam fidei praeservare nitebatur. Et haec et similia hoc anno 1553 et 1554 Ormuzii gesta sunt.

1027. Hoc tamen addam, quod quidam religiosus, qui, cum in Aegypto in civitate Cayri captivus esset, Ormuzium venerat, significavit P. Antonio quod in urbe Barut [1], quae itinere duorum vel trium dierum Hierosolymis distat, versus Alepum [2] domus quaedam erat religiosorum Sti. Francisci, quam illi deserere volebant ut Hierosolymam aut Venetias se conferrent, quod solitudinem, sine occupatione cum proximis, non libenter ferrent. Hanc domum nostris facile donari posse dicebat, et in christianis Arabiae, qui erant illis in locis, posse aliquid fieri. Admonebat ergo P. Ignatium num vellet aliquem de Societate in domum illam mittere; nam hoc commodi capi poterat, quod inde singulis mensibus ab Ormuzio litterae recipi poterant, ubi quae in India geruntur crebro intelligunt et significant barutensibus, et eadem via nostris, qui in Italia versarentur, facile et breviter res indicae significari poterant. Ferebant autem domum illam B. Francisci in eodem esse loco in quo Sanctus Georgius serpentem occidit [3]. Sed et aliam viam ad litterarum communicationem significat magis expeditam; ut, scilicet, consules venetorum, qui in civitatibus Alepi et Cayri resident, amicos habere nostri studerent; nam per illos facile in Indiam scribi et inde recipi litteras posse; singulis etiam mensibus ex illis locis Ormuzium scribi.

1028. Hoc eodem anno sacerdos ille, nomine Michaël de Nobrega, qui, cum a Societate defecisset et ex India profectus esset, in manus turcarum inciderat, ex urbe Cayri P. Ignatio scripsit, et alterum socium in civitate Baxora prope Ormuzium redemptum [4] fuisse admonuit; ipse vero, licet captivus, chari-

---

[1] Beyrouth, Berytum.

[2] Prope viam, quae Beryto Alepum ducit.

[3] "A peu près à une demi-lieue de la ville (de Beyrouth), on montre au bord de la mer l'endroit que l'on désigne comme étant celui où saint George a delivré la fille du roi en tuant le dragon qui désolait ces contrées: la caverne que le monstre habita est a un mille au delà, du côté de la montagne.„ MISLIN, *Les saints lieux,* t. I, cap. VIII, pag. 247.

[4] Sic perspicue in ms.; quod si recte est, tunc cave ne haec intelligas de Andrea Montero, qui cum Michaële Nobrega a Societate discedens, ei itineris Ormuzium usque socius fuerat. Is enim non redemptus sed peremptus a turcis prope Ormuzium fuit. Vide supra, t. II, pag. 746, ann. 1552, n. 706.

tatis ministeria, etiam sacerdotalia, aliis christianis captivis etiam impendebat, et viginti tres viri non infimae notae, ejus opera bene dispositi, ex hac vita migrarunt, postquam eidem confessi fuissent, et sepulturam eisdem in ecclesia christianorum a Patriarcha ejus regionis impetravit. Octo etiam infideles per eum, ut scripsit, ad fidem adducti fuerunt; et aliqui ex eis, quibus mors imminebat, pleni confidentia, et nomen Jesu et Mariae matris ejus invocando, ex hac vita recesserunt. Cum duos etiam sanos baptizasset, postridie mortui fuerunt auxilium matris Dei invocando. Magnam autem accepit consolationem hic P. Michaël, qui jamdiu sine precibus horariis aut breviario fuerat, quod a sacerdote quodam, qui in Italiam religionis [causa] venerat, illud accepit. Cogitabat autem, si ex servitute liberaretur, de profectione ad presteianem, Aethiopiae Regem, ubi ducentos fere lusitanos esse intellexerat [1].

DE BAXAIN *(sic)*, GOA, COCIN, CAULAN

ET SANCTO THOMA

1029. Primum in ora maritima Indiae collegium est in civitate Bazain, in Regno Cambayae, undeviginti gradibus cum dimidio ab aequinoctiali distante. Rector illius erat P. Gonsalvus Rodriguez; et in insula vicina, nomine Tanaa, P. Franciscus Enriquez residebat, et per illos ac alios fratres nostros ipsis adjunctos ea operabatur Dominus, quae similia sunt eis, quae aliis annis dicta fuerunt. In insula tamen de Tanaa sic lux Evangelii fulgere coepit, ut idololatria prorsus exterminata a tota [2] insula fuerit.

---

1 Vide *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 307 et 310.

2 Signo † hic apposito et in ora paginae iterato, scripsit Sacchinus: ***Falsum, ut constat ex litteris sequentium annorum.*** Et re quidem vera, anno 1556, die 30 Decembris scribebat ex urbe Tana hic P. Franciscus Enriquez: "è pur adesso assai gran città, essendovi concorsa molta gente, come di gentili, che seguitano riti d' idolatria." *Diversi avisi*, etc. fol. 294.

1030. Per eamdem maritimam oram quinquaginta septem leucas progrediendo occurrit insula Goae, quae paulo minus quam sexdecim gradus ab aequinotiali linea distat. Ibi, ut diximus, praecipuum est collegium Societatis in tota India, in quo residebat initio hujus anni P. Gaspar, qui praefectus fuerat a P. Francisco non solum Collegio nostro Goënsi, sed omnibus aliis, qui in India Societati parebant, quamvis ille longe propensior erat animo ad Sinas aut Japonenses aut etiam Aethiopes, nam et ad Regem Aethiopiae (quem Prestejoannem vocant) scripserat, suam illi operam offerens, antequam Provinciae curam suscepisset; et vix ejus animus conquiescere poterat nisi in obedientiae virtute, cum se quodammodo defraudatum suo desiderio inter infideles moriendi videret. Cum autem Aethiopiae Regi scripserat, ad lusitanorum, qui in ejus ditione versabantur, spirituale auxilium se propensum esse significabat, si Rex ipse (quem satis obstinatum in suis erroribus haereticis, immo et mahometicis et gentilibus et judaicis, audiebat) ad populi sui doctrinam et institutionem nollet ipsius opera uti. Ipsis etiam lusitanis Aethiopiae scripsit quod sperabat facultatem se a P. Ignatio impetraturum ad eos invisendos, et intra unum annum responsum exspectabat; sed aliter divinae providentiae visum est, qui eum ab hujus vitae exilio ad patriam coelestem, ut credendum est, evocavit.

1031. Curam interim tam spiritualium quam temporalium rerum Societatis in India, post recessum P. Francisci anno proxime elapso, gessit cum aedificatione magna. Concionabatur tamen singulis hebdomadis in nostra et aliis ecclesiis quinquies et sexies, et quidem tanta cum frequentia et commotione hominum, ut admiratione res valde digna esset. Confessionibus etiam et aliis negotiis spiritualibus externis multum temporis tribuebat; itaque per diem integrum occupatus, vix prope mediam noctem sumendi cibum tempus habebat. Tanta fuit hujus viri erga proximos charitas, ut omnino apud se constitutum haberet nulli suam operam negare, cui aliquid subsidii ferre quocumque modo posset; et ita exhaustus laboribus, ne in ipsa quidem infirmitate sibi temperabat, et quodammodo in ipso suggestu extinctus est. Cum enim afflicta esset valetudine, et tamen devotioni populi suam operam negare in concionando nollet, in summo templo cum evangelium illud explicaret,

assimilatum est regnum coelorum homini regi [1], inter concionandum, viribus corporis destitutus, concionem non absolvit, et, in collegium deportatus, statim P. Melchiorem [2] ad se vocari jussit et ei significavit quod in procinctu esset, immo in via ad futuram vitam; et ita brevi ad Dominum migravit [3], ingenti luctu apud populum relicto, qui ut patrem verum eum habebat; et multis cum lacrymis hominum et planctibus [4] sepultus est; et cum faciem illius vidisset populus, qui ecclesiam et claustra impleverat, luctum renovavit; et aegre in sacellum cadaver illatum est, quod vi capere velle videbantur. Septem fere annos in Societate vixit [5], et, *consummatus in brevi, explevit tempora multa*, juxta dictum Salomonis. Magnam a Deo gratiam consecutus ad homines a peccatis evocandos et ad salutis viam reducendos; et vix decem operarii laboribus, quos ipse subibat, satisfacere potuissent, ut quodammodo ex carne se compositum non videretur meminisse; singularibus et ipse virtutibus praeditus, cum, in mediis laboribus ad aliorum utilitatem, sui tamen numquam oblivisceretur, et usque ad extremum spiritus admirabilis patientiae et aliarum virtutum exemplum praebuit.

1032. Post mortem P. Gasparis hoc ipso anno P. Melchior Nugnez gubernationem collegii et provinciae totius suscepit, et quidem ex obedientia P. Francisci Xavier, qui, quamvis P. Gasparem nostris in India praefecit, eo moriente, P. Melchiorem

---

1 "Concionabatur, ut solebat, et quidem decimo quinto quoque die in aede cathedrali, alternatim cum P. Francisco de Macedo, ex D. Dominici instituto. Cum ergo ea in aede, summo, ut solebat, concursu, sexta Octobris anno 1553, de ejus Dominicae evangelio verba facere coepisset (erat autem illa parabola Regis, qui voluit rationem ponere cum servis suis)... TRIGAULT, l. c., lib. III, cap. 14.

2 Melchiorem Nuñez. — "Tum Gaspar Baccainum misit (F. Alexium Diaz), qui P. Melchiorem Nuñez (quod erat jam a B. Xaverio constitutum) advocaret, ut ei jam non in cursu sed in meta lampada traderet et moriturus officium resignaret. Venit Melchior; sed serius; jam enim Gaspar in coelum praecucurrerat.„ TRIGAULT, ibid.

3 "Itaque cum duodecim dies totos jacuisset vir apostolicus, demum decimo octavo die Octobris sub noctem, qui dies erat D. Luccae sacer, in Domino suaviter obdormivit anno 1553.„ TRIGAULT, ibid. Mire fallitur BARTOLI, ni error sit typographi, dum ait, verba exscribens Patris Aires vel Arias Brandão: "Morì, come ho detto, in fra dodici giorni, la notte dietro a S. Lucia.„

4 *et planctibus* insertum est manu Polanci.

5 "annis in Societate non amplius septem, mensibus fere sex, e quibus quinque solum annis in India, mense uno, diebus sexdecim vixerit...„ TRIGAULT, ibid. Et rectius quidem quam Polancus; nam ex his, quae Polancus ipse ait supra, t. I, ann. 1546, pag. 193, n. 151, jure deducitur Patrem Gasparem Societatem ingressum esse *sub finem Aprilis* anni 1546. — "A' venti d'Aprile, ait ipse Gaspar litteris ad Sanctum Ignatium datis, quas refert BARTOLI, *Dell' istoria della Compagnia di Jesù. L' Asia*, part. I, lib. V, 2.

in hoc officio ipsi succedere jubebat, quod, apertis ejus litteris, quas clausas reliquerat, intellectum est. Hic P. Melchior Nugnez paucis ante annis ex Portugallia in Indiam venerat, doctrina et concionandi dono non mediocri praeditus. Cum autem hoc ipso anno P. Balthasar Diaz in Indiam ex Portugallia pervenisset cum sociis (nam P. Urbanus, ut superius tetigimus, in ipso itinere vita functus est), et concionandi talento valeret, existimavit idem P. Melchior alia loca Indiae pro officii sui ratione sibi visitanda esse; et cum Collegium Cochinense et Caulanense visitasset, et ad Commurini tractum pervenisset, ibi de morte P. Francisci Xavier intellexit [1].

1033. Abstulit etiam divina bonitas sub idem tempus P. Emmanuelem de Morales, qui etiam erat strenuus vineae Domini operarius, et litteris ac concionandi dono perutilem operam Indiae praestabat [2]. Itaque cum pauci essent nostri in amplissima illa messe operarii, tamen, intra menses non multos, tres hos insignes, scilicet, Franciscum Xavier, Gasparem et Emmanuelem, a terrestri Societate in coelestem, ut sperandum est, transtulit, ut inde suppetias ferrent utilius et efficacius, ut sperandum est, in terra militanti Societati.

1034. In Collegio Cochinensi Rector erat P. Franciscus Perez. Distat ea urbs et insula, in qua sita est, centum leucas Goa in eadem ora maritima, et paulo minus quam undecim

---

[1] Longam et pulchram *de praeclaro P. Francisci obitu* epistolam dedit Ignatio Melchior Nuñez anno 1554, quam habes in opere *Epistolae Indiae, De stupendis et praeclaris rebus, quas divina bonitas in India et variis Insulis per Societatem nominis Jesu operari dignata est in tam copiosa Gentium ad fidem conversione*, Lovanii. Apud Rutgerum Velpium, Bibliopol. Jura. Sub Castro Angelico. *Cum Privileg. Reg. ad 4. annos.* 1566, fol. 199.—" Tambien llegó el padre maestro Melchior (Nuñez) de Baçaim, y començó á proseguir el ministerio del padre maestro Gaspar (Barceo), que era predicar los domingos y fiestas mañana y tarde: lúnes y mártes en las parrochias de Jesus y de las onze mil virgines, miércoles en la misericordia, viérnes en la tarde doctrina de penitencia. Despues fué á visitar algunos de nuestros padres en diversas partes; al padre Francisco Perez que está en Cochin cien leguas desta ciudad, al padre Nicolás (Lanciloto) en Coulon, que está ciento y veynte y cuatro. Estando en Coulon (Comurini ait Polancus) supo de una nave que venia de Pegu, cómo nuestro Señor se avia llevado á nuestro padre maestro Francisco, con lo demas que despues sucedió.„ Arias Brandão, Goae, Patribus fratribusque Societatis, 23 Decembris 1554.

[2] "Ancor verso la fine di questo medesimo anno 1553 compiè il brieve corso delle sue fatiche nella Costa della Pescheria il P. Manuello Morales, Portoghese, natio del Ducato di Braganza e nobile di legnaggio. Fu acquistato alla Compagnia in Coimbra, dove era allo studio l'anno 1543, dalle prediche del P. Francesco Strada.„ BARTOLI, l. c., lib. v, 35, ubi fuse prosequitur quae in India gessit Emmanuel. Vide infra, n. 1038, et litteras Patris Arias Brandon, seu Brandão, fratribus Societatis 23 Decembris 1554 Goae datas.

gradibus a linea aequinoctiali. Cum Malaca transiret P. Franciscus Xavier, hunc P. Franciscum Perez inde Cochinum miserat, ubi egregiam operam ei civitati navavit. Hunc virum magnae perfectionis esse P. Franciscus sentiebat et aliis referebat. Ter fere in hebdomada concionabatur, et aliis pietatis functionibus de utriusque sexus hominibus et omnis aetatis bene merebatur, sociorum etiam industria et labore, tum in juventute instituenda, tum in aliis, adjutus.

1035. In Collegio Caulani, quod ulterius viginti quatuor leucas in eadem ora maritima est, paulo minus quam decem gradus a climate distans, caeteris praefuit etiam hoc anno P. Nicolaus Lancillotus, et quodammodo miraculo ejus vita conservari ad multorum utilitatem videbatur; nam ethica febre jamdiu laboraverat. Magna christianorum multitudo ad Christi gregem ibi accesserat et in dies accedebat; et puerorum, qui ex nobilibus vicinarum provinciarum gentilibus nati erant, prout anno superiori diximus, satis magnus [numerus] instituebatur.

1036. Viginti sex leucas ulterius progrediendo, caput est Comurini, octo gradus a linea distans, et inde ora illa maritima reflectitur versus orientem. Caput nostrorum, qui in eo tractu versabantur, erat P. Enricus Enriquez, qui, ut superius diximus, novorum christianorum messem et numero et virtute praestantiorem quam alia Indiae loca habebat; et hoc anno, sicut et praeteritis et consequentibus, hic Pater cum sociis abusus gentilitatis extirpare, et cum fide chistianos mores imprimere in animis hominum nitebatur. Multas interim injurias et persecutiones et ille et socii a saracenis perferebant.

1037. Ulterius in eadem ora maritima, in oppido, quod ultimum Indiae proprio nomine sumptae habetur, et Sti. Thomae vocatur, in tractu Chiromandel, etiam hoc anno P. Cyprianus Superior erat, et tam cum lusitanis quam cum indigenis christianis multum bonus senex et cum copioso fructu laboravit.

1038. In insula Ceilan P. Emmanuel de Morales cum magno animorum proventu laboraverat anno praecedenti et parte hujus; sed hoc ipso anno Goam rediit, et ferventer pro suo more concionari et confessiones audire coepit, et omnibus spiritualibus ac temporalibus necessitatibus proximorum magno cum zelo charitatis se totum impendebat; inter quos labores in sanguinis fluxum incidit, et intra paucos, ut superius tetigimus,

dies, cum magna sua consolatione quod se circumdatum fratribus videret (cum paulo ante in insula Ceilan solus fuisset), eos animando et nomen Jesu usque ad ultimum spiritum [in ore] habendo, mortuus est duos fere menses antequam P. Gaspar ex hac vita decederet [1].

DE COLLEGIIS MALACAE ET MOLUCI.

1039. Cum is, qui praesidio Malacae praeerat [2], parum se benevolum P. Francisco Xavier et rebus nostrae Societatis praeberet, et alioqui, pro amplitudine messis, Indiae perpauci essent Societatis nostrae operarii, et Cochini major quam Malacae fructus speraretur; P. Franciscus Perez, qui Malacae aliquot annos cum magna aedificatione et fructu versatus fuerat, inde, juxta praescriptum P. Francisci Xavier, Cochinum, ut superius tetigimus, se contulit; et ita, cum primis mensibus hujus anni corpus ejusdem P. Francisci Malacam ab amicis deferretur, nullus ibi de Societate residebat. Missus tamen fuit ex India P. Polycarpus [3], qui Malacae cum paucis de nostra Societate versatus est, et, quae bene coepta erant, prosequi curavit; et multi ad Christi fidem accesserunt, et pietatis opera, quae

---

[1] Vide supra, n. 1033, et ibi BARTOLI verba corrige ajentis *verso la fine di questo anno*. Obiit enim hic Morales mense Augusto. Cave etiam ne hunc Emmanuelem Morales unum eumdemque facias cum alio ejusdem nominis et cognominis, quem, postquam magnis laudibus affecisset Xaverius litteris ad Joannem Beiram datis 20 Junii 1549, e Societate dimitti jussit aliis, quas Paulo Camerte dedit 4 Februarii 1552.

[2] Alvarus Ataide, seu de Gama, de quo conqueritur Xavier litteris ad P. Gasparem Barzaeum datis 16 Julii et aliis ad Franciscum Perez 12 Novembris 1552.

[3] Hujus nullibi alias mentionem reperimus factam, nequidem a diligentissimo BARTOLI, a quo primus, qui post haec tempora Malacam destinatus est, fuisse dicitur P. Balthasar Diaz. Fatetur tamen ipse BARTOLI non omnino orbatam Societatis Patribus fuisse Malacam toto hoc tempore quod intercessit inter S. Francisci Xaverii obitum et P. Balthasaris Diaz in eam urbem adventum. Ait enim: "Era già da gran tempo che Malacca non aveva chi de' nostri l' ajutasse nell' anima; perochè dapoi che quivi D. Alvaro Ataide per avarizia distornò al Saverio l' ambasceria della Cina, e questi, come da città per troppe sceleraggini rea del flagello, con che poscia Iddio la ferì, ne fe' uscire la Compagnia, ella più non tornò a rimettervi casa, ancorchè in tanto alcum Padre di passaggio per le isole del Giappone vi si mostrasse. Ora in giungervi il P. Diaz vi fu accolto con istraordinaria allegrezza.„ l. c., lib. VII, 43.

consuetis Societatis ministeriis exerceri solent, ibidem cum aedificatione nostri exercuerunt.

1040. P. Joannes de Veyra, qui in Indiam sub finem anni praeteriti venerat [1], ad Malucas, ubi prius versabatur, et ad Collegium insulae Ternatae (quam Malucum vocant) admodum exspectatus rediit. Antequam in Indiam proficisceretur, de rebus ad universale bonum pertinentibus benemeritus fuit; quinquies enim proditiones quasdam a saracenis tractatas, ad arcem Regis Portugalliae occupandam, rescivit ac detexit ducibus ejusdem Regis Portugalliae, qui suae incolumitati opportune consuluerunt, et insidias in caput saracenorum converterunt. Cum paucos ergo dies hic P. Joannes de Veyra in Molucensi Collegio conquievisset, ad insulas Mauricum quibusdam ex nostris ex India missis, se contulit; ipse autem in insula quadam primaria, nomine Tollo [2], cum socio Francisco Godino substitit; alius, cognomine Figaredus [3], ad alios populos progressus est. Eorum officium erat parvulos baptizare christianorum filios, majores autem natu a pravis moribus et vitiis revocare; et ferventer suo munere omnes fungebantur. Alius ex nostris, nomine Antonius Fernandez, cum facultate ab ipso P. Joanne de Veyra accepta, ad insulas Amboyni navigavit, quod ille magnopere cupiebat. Praefectus arci Ternate cum magna sui praesidii parte versus insulas Mauri perrexit eo animo, ut christianos ab infidelibus separaret, quod et fecit; nam ex uno solo populo ducentos abstraxit, et ita alios multos ab aliis populis. Comitabatur Praefectum Rex ipse Ternate saracenus, qui rationibus minas addebat; nam nudo ense minabatur se eos eversurum nisi omnes christianos a se separarent, nam et seipsum in exemplum adducebat, qui sorores suas, chistianam fidem amplexas, inter lusitanos vivere permisisset; nec tolerabile sibi videri ut saraceni cum christianis simul viverent. Quaedam mulier ipsi Regi chara et magno in honore habita erat; sed cum a consanguineo quodam intellexisset eam christianam esse, cum lacrymis facultatem ei concessit ad populum christianorum accedendi; sive ex animo hoc faceret, quia sic sentiebat, sive ex ambitione, quod principatum quem-

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 771, ann. 1552, n. 747.
[2] A BARTOLI scribitur *Tolo*, ut et a PAGÉS.
[3] Sic; rectius *Figueiredo* Melchior.

dam a Rege Portugalliae postulaverat; et nostris et christianis favorem non mediocrem tunc ille exhibebat, quamvis temporis decursu longe aliter se gessit. Curavit etiam P. Alfonsus de Castro, qui in Collegio Moluci reliquis praeerat, per arcis praesidem aliquos pueros ex insulis Mauri eo deducendos, tum ut ipsi in christiana doctrina et moribus in collegio instituerentur, tum ut legere et scribere in Collegio Lusitano discerent, et interpretis officio deinde fungi, et nostros in animarum ad Deum reductione adjuvare possent.

1041. In insulis Ambuini versatus fuit aliquandiu P. Christophorus Riverus (alius ab eo quem diximus in Regnum Congi missum), quem lusitanus quidam comitabatur, cum de Societate nullum comitem haberet. Multos in ea insula ad Christi fidem convertit, eodem victu contentus, quo indigenae, qui parce admodum et duriter vivunt, et humi cubitando; et cum in morbum incidisset, ex quo postea mortuus est, cum non posset incedere suis pedibus, deferri se ab aliis curabat per domos christianorum, eos visitando atque docendo et ad optima quaeque adhortando, in qua occupatione usque ad ultimum spiritum perseveravit. Omnes nostri, qui in Malucis insulis Deo serviebant, peculiari cura Deo commendandi esse P. Francisco Xavier videbantur, nam in laboribus et periculis gravissimis et magna rerum necessariarum penuria charitatem exercebant.

DE REBUS JAPONENSIBUS

1042. Quarta die Februarii 1553 P. Balthasar Gagus, cum Joanne Fernandez et Petro de Alchazeva, ex civitate Amanguchi, ubi P. Cosmus de Torres manebat, Bungum profectus est; quo cum pervenissent decima Februarii, Regem adeuntes, perhumaniter ab eo excepti fuerunt. Cum secundo P. Balthasar Gagus ad ipsum rediret, litteras ad Indiae Pro-regem ejus ministerio Rex scripsit, quibus de donis ad se missis et nostris Bungum destinatis gratias agebat, et sacerdotes, qui ad sua regna praedicaturi Creatoris legem venissent, se peculiari fa-

vore prosecuturum promittebat, et locum in quo habitarent daturum, et pergratum sibi esse quod P. Balthasar in illa regia civitate secum maneret, et litterarum communicatione cum ipso et aliis Pro-regibus, prout multos annos optaverat, familiariter agere posset, et se valde affectum ad Regis Portugalliae obsequium significabat, et multos in sua ditione ad Christi fidem converti per Evangelii praedicatores gratum admodum sibi fore. Has litteras Petrus de Alchazeva Firandum detulit, fere septuaginta leucas inde distans, unde facilius in Indiam vel mitti vel ab eo deferri poterant.

1043. Biduo postquam Bungo Petrus recesserat, turbae maximae Bungi excitatae fuerunt: tres enim ex primariis dominis aut baronibus ejus regni contra Regem arma sumpserunt; et eo res progressa est, ut aliqui nostros admonerent ut sibi et rebus suis consulerent cum civitas igne et gladio vastanda esset. Cum P. Balthasar conjiceret in magnas angustias Regis animum redactum esse, misit Joannem Fernandez, qui linguam japonicam tenebat, ut curaret ipsum animare et adhortari ut speraret in Domino, qui eruit de manibus inimicorum et malis omnibus eos, qui in ipso confidunt et bona voluntate praediti sunt; se etiam Deum oraturum promittebat ut Regem ab hoc periculo liberaret. Cum Joannes Fernandez in palatium pervenit, tanta erat ibi nobilium multitudo, ut proditores ab amicis vix discerni possent. Cum ergo diffideret Joannes se posse Regem adire, forte Rex ipse portam aperuit versus locum illum, ubi Joannes Fernandez erat, cui cum verba P. Balthasaris referret, cum sua magna consolatione ea Rex audivit, et, ut pergeret in se Deo commendando, obnixe rogavit.

1044. Nostri sicut et reliqui in summo periculo versabantur, qui tantum in Deo et ipsius protectione ancoram spei fixerant. Sed, brevi spatio temporis, tres illi principes rebelles occisi fuerunt cum liberis omnibus, uxoribus et fautoribus; et cum magnam caedem exerceri nostri viderent, ad orationem confugerunt; et dum orarent, filius cujusdam ex proditoribus ad ecclesiam nostram confugit, et P. Balthasarem rogavit ut se in arca quadam absconderet; qui sub lecto quodam eum abscondit, donec die sequenti sibi posset melius consulere. Cum ignis palatio rebellium injiceretur, tam valide accensus fuit ut trecentae domus urbis eodem incendio conflagraverint, inter quas

multae nobilium et mercatorum erant. Nec est admodum difficile, cum domus pulchrae quidem, sed tamen ligneae, in civitatibus Japonensibus fiant. Et cum in una earum nostri res suas, ad cultum divinum pertinentes et ad suam sustentationem, servandas reposuissent, spem omnem abjecerant quidquam ex eis recuperandi; sed peculiari quadam Dei providentia cubiculum illud, in quo res nostrorum asservabantur, ab igne salvum permansit, cum reliqua omnia in eadem domo igne consumpta fuerint; nec res nostrorum vel ab igne vel a direptione quidquam nocumenti passae sunt. Eadem nocte misit Rex quemdam nobilem de suorum numero ut P. Balthasarem inviseret, et ei condoleret de susceptis laboribus et jactura rerum suarum, et ut bono essent animo jubebat quod jam bellum prospere extinctum esset; et quamvis aegre ferebat quod res nostrorum incendio periisent, se damnum illud compensaturum esse. Gratias ei egit P. Balthasar, et significavit res nostras a Deo fuisse conservatas, quod Regem, ubi id intellexit, magna laetitia affecit. Post paucos dies P. Balthasar Regem adivit, et de rebus divinis, occasione sumpta ex praeteritis periculis, a quibus liberatus fuerat, cum eo locutus est.

1045. Missus fuerat a Rege P. Balthasar in cujusdam Bonzi domum, quae ad inhabitandum ei assignata erat, cum quo disputandum crebro illi erat de rebus ad Deum pertinentibus; sed quamvis veritas eos convincere videretur, cum illam non amarent, duriores reddebantur, et ad clamores prorumpebant, blasphemias horrendas dicentes; et domum egrediebantur ut se victores fuisse populo persuaderent; et alii ei [1] illudebant, alii abscindendum ipsi caput jactabant ut videretur an resurgeret. Baptismum etiam deridebant, et uno verbo, quidquid Patres e chengico venientes dicerent, mendacium esse affirmabant; *chengicum* ipsi rem e coelo venientem interpretantur: itaque, etiam irridentes, doctrinam nostrorum coelestem esse fatebantur.

1046. Solebant autem hujusmodi bonzi convicti sese ulcisci, noctu lapides in domum jactando; aliquando etiam in publica via nostros lapidibus petebant; publice tamen nocere nostris non audebant quod Regem timerent; qui cum intelle-

---

[1] Patri Balthasari.

xisset domum nostrorum lapidibus projectis molestari, nobilibus ejus viae injunxit ut noctu vigiles disponerent, quod illi statim sunt exequuti, eisdemque injunxerunt, si quem deprehendere possent lapides torquentem, ligatis manibus ac pedibus, puniendum servarent; sed illi, Regis praeceptum intelligentes, a molestia nostris exhibenda omnino cessarunt. Crescebat interim, harum perturbationum occasione, christianorum consolatio et fervor, qui per urbem publice se christianos esse profitebantur et alios ad Christi fidem excitabant; quia tamen Bungi plurimi bonzi et pessimi erant, et, cum reditus eorum minuerentur, nostros intense oderant: quod enim illis dare soliti erant qui ad Christi fidem accedebant, cum subtraheretur, detrimentum illi non exiguum sentiebant. Multi etiam ex gentilibus, qui nostrorum praedicationes audierant, eleemosynas consuetas bonzis denegabant, unde tragoedias illi excitare, quacumque ratione possent, non desinebant.

1047. Unus ex christianis bungensibus magno ardore Christi fidem praedicabat, adeo ut in tota ipsius vicinia nulla domus esset, in qua christianus aliquis effectus non esset; per eumdem etiam alii ad christianam religionem suscipiendam dispositi fuerunt. Alius quidam christianus filios habebat, qui nondum fidem susceperant, cujus filiorum unus, cum in morbum incideret, a Patre remedium aliquod postulavit. Respondit Pater, corporis medicinam se non habere sed animae, quam, si vellet, ei daturus esset; et ita domum rediit nihil filio declarans, qui tamen eadem nocte mortuus est. Pater ergo flens ad nostros accessit et mortem filii se dolere significabat. Merito, inquit P. Balthasar, doles, et magna poenitentia dignus es, quandoquidem filius tuus propter tuam negligentiam in infernum descendit: quae res tantum terrorem illi christiano incussit, ut statim uxorem et filios ad eum adduxerit ut christianos eos efficeret, qui fidem devote admodum susceperunt; et cum paulo post quaedam ejus filia in morbum eumdem incidisset, ex quo frater mortuus erat, hortatus est eam Pater ut Christo confideret, et omnia bene cessura esse affirmabat; postridie autem filia sanitati restituta jam erat.

1048. Alius nobilis christianus P. Balthasarem rogavit ut ad domum ipsius, Bungo distantem una fere leuca, accedere vellet ut uxorem et filios christianos efficeret; et, cum ei acquie-

visset, triginta uno die ibidem baptizavit; et quamvis bonzi, pro suo more disputando, sese illi opponerent, semper victi, Deo adjuvante, discedebant. In alio vicino loco multi etiam christiani effecti sunt, inter quos puer quidam tredecim annorum, caecus natus, ubi sacro lavacro baptismi renatus fuit, statim videre coelum et solem coepit, et mox, perfecte illustratis oculis, visum integrum recepit, quae res admiranda magnopere novas illas plantas in fide conservavit. Quidam alius christianus, officio faber ferrarius, per publicas vias continuo, quae Christi sunt, praedicare solebat; et, cum aliquem ad fidem disposuisset, ad P. Balthasarem adducebat; et cum festum quoddam apud japonenses solemne celebraretur, ille, ad nostrorum domum cum instrumentis officii sui veniens, ibidem laborare coepit; et cum japonenses ab eo peterent cur in ea solemnitate laboraret; vos, inquit, stulte festa daemonis celebratis; ego vero, qui legem Creatoris ut christianus secutus sum, ad confusionem daemonis hos clavos cudo, qui horum Patrum lusitanorum domui serviant. Alii etiam japonenses viri primarii, jam christiani effecti, cum domus nostrorum edificaretur, ad eam veniebant, et dicebant se quidem aedificandi artem ignorare, sed aedificantibus inservire posse, praeparando illis cibum; et ita eis ministrabant: alii saxa, calcem, arenam et aquam deferebant [1].

1049. Fuit autem aedificata domus in usum nostrorum in situ quodam a Rege donato duodecima Junii, qui optimus et in primis opportunus erat, in quo P. Balthasar, die veneris, pridie festi B. Magdalenae hujus anni 1553, altam et pulchram crucem constituit, cum eum omnes christiani et duo nobiles lusitani, qui forte Bungi aderant, comitarentur, et ipse vestitus superpelliceo officium Sanctae Crucis cum magna omnium consolatione dixisset. Ejus civitatis et pagorum vicinorum christiani ad septingentos ascendebant, et numerus in dies augebatur, et multi eorum in fidei rebus egregie instructi erant et parati ad mortem pro illa subeundan [2]. Tres autem

---

[1] "Quando i Padri edificarono la prima chiesa intitolata *Nostra Signora della Pietà*, tutti indifferentemente ci vollero aver le mani; e perchè i nobili non sapeano di quell' arte, e pur anch' essi ne volevano il merito, si presero parte d' essi a carreggiare le travi, le pietre e qualunque altra materia alla fabrica bisognava, parte a cuocere il cibo e apprestare la tavola de' lavoranti." Bartoli, l. c., lib. VIII, 4.

[2] Quae a n. 1042 hucusque narravit Polancus, et alia plura, continentur litteris,

tentationes molestas pati aliquando solebant hujusmodi christiani. Prima est, quod quae in altera vita agerentur ignorarent, cum nullus ab ea rediens quid ibi ageretur referret: 2.ª quod ipsorum leges valde antiquae essent, et per eos, quos sanctos existimabant, traditae, et ideo non facile relinquendae: 3.ª quod lex Christi sero nimium ad eos accederet, cum multis ante saeculis venire debuisset. Sed facile, nostrorum instructione veritatem edocti, acquiescebant. Agebant autem hoc anno pacifice nostri in ea civitate, et tam Regem quam ejus regni gubernatores fautores habebant, qui christianam religionem et mores magnopere probabant.

1050. In civitate Amanguchi P. Cosmus de Torres domui nostrorum praeerat. Multi ibidem Christi fidem in dies suscipiebant, et qui jam christiani erant, vitam religiosis dignam agebant, et magna charitate non solum nostros sed et lusitanos velut fratres prosequebantur; et consanguineorum atque amicorum infidelium vix recordari videbantur nisi ut eos Domino commendarent, vel ut de rebus divinis cum eis loquerentur. Ea tamen civitas sectarum japonensium multitudine plena erat; et accidit non raro ut una in domo maritus sectam unam, uxor aliam, filii vero aliam amplectantur. Nec refert id magnopere apud ipsos; sed cum aliquis eorum Christi religionem admittebat, statim sollicitus esse incipiebat reliquos ad Christum adducendi. Reliqui etiam infideles eos, qui christiani efficiebantur, fugiebant, cum tamen diversarum sectarum studiosos non fugerent. Ea praeterea humilitate et charitate hi homines praediti erant ut, ad nostrorum domum accedentes, saepe culinae sponte sua inservirent. Ad remedia etiam spiritualia petenda et dubia solvenda in spiritualibus exercitiis nostros adibant, et infideles reprehendendo, coram ipsorum oculis idola confringebant, et addebant; si haec quid possent, cur nihil nobis, dum ad ea confugimus, dicunt? Singulis dominicis diebus Missae sacrificio et orationi magna cum attentione assistebant, et longe ferventiores se exhibebant christianis Indiae.

1051. Hoc tempore fama quaedam a Bonzis seminata est, quod illi christiani fierent, qui, propter avaritiam, eleemosynam

---

quas Goae, anno 1554, dedit Fr. Petrus de Alcaceva Patribus fratribusque Societatis in Lusitania degentibus

Bonzis dare recusarent; quod cum christiani intellexissent, P. Balthasari proposuerunt, ut, quando nostri eleemosynas non admittebant, saltem contenti essent ut, in ecclesia nostra capsula quaedam imponeretur, in qua quilibet christianus, qui eleemosynam dare pauperibus vellet, eam deponeret et nostri pauperibus eam distribuerent. Convenerunt etiam inter se ut singulis mensibus semel omnes pauperes cibo reficerent, et in domo nostra vasa posuerunt, quae suo tempore oryza replebant (is communis est non solum pauperum sed aliorum etiam cibus) ita ut superesset semper pauperibus, quibus, antequam cibum caperent, de praeceptis divinis exhortationem habebant; aliquis etiam ex nostris aderat, et omnibus multum aedificationis horum hominum charitas afferebat.

1052. In situ nostris Bungi assignato coemeterium ad christianos sepeliendos benedictum fuit, et feretrum ad cadavera deportanda novi christiani fecerunt; et nobiliores inter eos cadavera deferebant ut sepulturae traderentur; ac demum misericordiae operibus valde dediti erant. Cum nostri habitationem priorem mutassent, multi, qui Creatoris legem audire cupiebant, ad priorem illam domum accedentes, de Patribus chengico petebant; solebant autem gentiles malevoli respondere quod in Portugalliam rediissent. Cum hoc resciisset P. Balthasar, misit Fr. Joannem Fernandez ut in media platea concionaretur; et ex eo tempore ad domum et ecclesiam frequentes convenire ad verbum Dei audiendum coeperunt.

Et haec de rebus japonensibus sint dicta [1].

1053. Scripserat hoc anno P. Ignatius P. Nicolao Lancilloto quod, si videretur P. Francisco Xavier expedire, Romam ipse venire poterat. Multa enim significabat se habere, quae coram

---

[1] Multo plura, et quidem scitu digna, de rebus Indicis et Japonensibus enarrare potuisset Polancus, ea excerpens ex litteris, quae haud paucae sunt nec breves, quas tum Patres et fratres Societatis, tum Episcopus, ejusque Vicarii, et Gubernatores Indiae aliique scripsere. Quod autem Polancus non praestitit, praestitere ORLANDINI, MAFFEI, JARRIC; et, quod ad Japoniam spectat, GUZMAN, et tandem BARTOLI, quo nemo melius, nostro quidem judicio, res has Indicas et Japonenses tractavit.

tractanda viderentur. Sed, cum litterae in Indiam pervenerunt, P. Franciscus ad coelum migraverat. Tam etiam erat hic P. Nicolaus viribus exhaustus, ut tam longam navigationem subire consultum non esset.

1054. Eidem autem P. Francisco, ut superius attigimus [1], ut Europam veniret eo tempore scripsit, quo jam ipse ex hac vita discesserat, et quidem in virtute obedientiae id injungebat; et si in India ei fuisset perseverandum, potius ut alios mitteret ad japonenses et sinenses et ipse subsisteret in India hortabatur. Inter alias autem rationes, propter quas eum in Portugalliam revocabat, ea erat, ut delectum haberet hominum, qui ad missionem indicam essent idonei, ut ad hanc vel illam regionum illarum partem destinarentur, et ut Regem [2] ad expeditionem missionis in Aethiopiam, et ad res Congi et Brasiliae fovendas praesens urgeret. De consultoribus etiam et collateralibus, quae scripta diximus P. Nobregae, eidem P. Francisco, quod ad Rectores attinebat, scripsit; et ut quinque vel sex professos in India relinqueret, qui magis idonei ei viderentur, et inter alios P. Gasparem, injunxit; quod si plures quam sex viderentur ei admittendi ad professionem, numerus et electio personarum ejus discretioni committebatur, hoc tantum suggerendo (quod constitutiones in Indiam nondum pervenissent), quod sacerdotes in vita et doctrina praesertim theologica approbati esse deberent; et formula professionis ad eum est transmissa [3].

---

1 Vide supra, pag. 68, n. 38.

2 Regem Portugalliae, Joannem III.

3 Has litteras habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 225 et seq.

APPENDICES

TABLE OF CONTENTS

I

CENSURA

EXERCITIORUM S. IGNATII

A P. THOMA DE PEDROCHE, O. S. DOM.,

CONFECTA

ET ARCHIEPISCOPO TOLETANO OBLATA ANNO 1553 [1]

(Vide in hoc tom. III, pag. 335, n. 746.)

---

[1] *Historia varia*, vol. I, fol. 284-287.

CENSURA

284

De fray Thomas de Pedroche, lector de S. Pedro M(ártir) en Toledo, que presentó al Arzobispo Siliceo el año de 1553, contra los exercicios del P. M. Ignacio [1].

Copia de censuras de la s. Inquisicion contra s. Ignacio sobre los ss. Exercicios spirituales aprouados por su Sanctidad [2].

fol. 1.° fa. 1.ª [3].

TEXTUS

Cum filius Ignatius de Loyola praepositus generalis societatis Jesu per nos in alma urbe nostra erectae, et per nos authoritate App.ca confirmatae, quaedam documenta, sive exercitia spiritualia, ex sacris scripturis, et vitae spiritualis experimentis [elicita] composuerit [4]:

CENSURA

Cerca desta letra se a de notar, y ponderar para mejor entender las cosas, y proposiciones, que despues se

---

[1] Inscriptionem hanc apposuit manu propria P. Christophorus de Castro, Collegii Complutensis historiographus et horum monumentorum, quibus *Historia varia* conficitur, collector. Vide *Cartas de San Ignacio,* t. I, Introduccion, pag. VII, et *Litterae Quadrimestres,* t. I, pag. 7. Ipsius Patris Castro sunt verba *textus, texto* et *censura* singulis paragraphis apposita.

[2] Hic etiam titulus ad oram paginae appositus est manu, ut videtur, ipsius Patris Castro jam senescentis.

[3] folio 1.°, facie 1.ª—Hinc recte colliges exemplar Exercitiorum, quod prae manibus hic censor habuit, non fuisse neque primae editionis romanae, an. MDXLVIII factae, neque secundae conimbricensis hujus anni MDLIII, sed exemplar quoddam manu exaratum. In illis enim exemplaribus, romano et conimbricensi, non folia sed paginae singulae numeris disctinctae sunt.

[4] Verba haec sunt desumpta ex apostolicis litteris, quibus Paulus III Exercitia haec approbat; quae quidem litterae in omnibus fere Exercitiorum exemplis ante eorum initium reperiuntur.

pondran, que este Ignacio o Iñigo de loyola, segun es fama fue notado en la Inquisicion por hereje. Uno de los dejados, y alumbrados, el cual Iñigo, o Ignacio, se fue huyendo a Roma para escaparse de la Inquisicion e Inquisidores: Bien se que Dios puede de las piedras sacar hijos de Abrahan y que de Saulo perseguidor de la Iglesia sacó un vaso de eleccion, *et percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt:* [1]

fo. 5.º fa. 1.ª

TEXTUS

ESTAS RESPUESTAS NO PARECEN DE ALGUNO DE LA COMPAÑÍA [2].

Haec documenta [sive] spiritualia exercitia, quae non tam a libris quam ab unctione Sancti Spiritus, et ab interna experientia, et usu tractandorum animorum edoctus, Noster in Christo P. Ignatius de Loyola Societatis nostrae institutor et Praepositus generalis composuit ab idiomate hispano in latinum duobus modis sunt versa [3].

CENSURA

A este apuntamiento se satisface con que los exercicios de la Compañia son cosas

Acerca desta letra se ha de notar, y ponderar, que este Ignacio, ó Iñigo de Loyola fue español, y fue de tan pocas letras, que no supo, ni fue bastante

---

1 Psalm. LXXVII, 20.

2 Manus Patris Christophori de Castro.

3 Verba haec, prout jacent, non reperiuntur in apostolicis litteris; sed in epistola, *cujusdam* (Frusii?, Polanci?) *de Societate,* post litteras apostolicas et *testimonia eorum, quibus censura exercitiorum est commissa,* in omnibus fere exemplaribus apposita.

para escrivir, estos exercicios, y documentos en latin, sino en romance, y lengua española. Item mas se ha de notar, y ponderar, que mas de la experiencia ynterior de su pecho, y de la ynterior uncion del Spiritu Sancto, que no de los libros, sacó y compuso el dicho Ignacio, ó Iñigo estos exercicios, y documentos espirituales. Lo qual sabe, y no poco a la fuente de los dexados, y alumbrados [1], los quales dexado, y pospuesto lo revelado en los libros, se remiten, y entregan, á lo que el espíritu les dice, dentro de su pecho, y tienen por cosa ynfalible que siempre les habla el spiritu de Dios. Quod tamen est contra illud. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex deo sint* [2].

muy llanas, y contemplaciones vulgares, aunque substantiales, y divinas, no muy delicadas ni altas, pero de hombre mas exercitado en contemplar; que docto en scientia, y esto confiessa con toda humildad Ignacio en este texto.

fo. 6. fa. 1.ª

TEXTO

Constat non eo animo impressa esse, ut passim in vulgus emanarent, etc. Sed excussa volumina in potestatem sunt redacta.

CENSURA

Si este libro de exercicios, y documentos espirituales es bueno, y util para la perfeccion, y tan facil para al-

Las cosas del espíritu no las alcanzan los que con disposi-

---

[1] Qui hi *dejados* et *alumbrados*, *derelicti et illuminati* fuerint, vide in opere *Los heterodoxos españoles*, t. II, lib. V, cap. I, auctore MARCELLINO MENENDEZ ET PELAYO.

[2] *...nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.*—Ep. I, JOAN., IV, 1.

tion carnal las leen, que aun para entender un soneto de amor es menester sentir algo de amor, so pena que no gustaran dellos, y quien no creyere ser bueno el libro de los exercitios pruebe a hazerlos, y vera lo que es.

canzarla en breve, por qué no se da y concede á todos, y si es malo, y tiene errores y supersticiones, por qué se sufre y se permite, en escondido, ciertamente cosa es no poco sospechosa, nam *qui male agit odit lucem* [1], et *ego palam loquutus sum mundo* [2].

fo. 1. fa. 1.ª

TEXTO

Praepositus generalis Societatis Jesu, etc. Quidam de Societate Jesu etc.

CENSURA

Con este mesmo argumento se probaria que las Religiones son impropiamente llamadas assi, pues todos los que somos cristianos somos, y nos llamamos Religiosos.

Desta letra y contextu, consta que el titulo, y apellido de esta hermandad, y Compañía es Societas Jesu. Ciertamente este título, y apellido, es sobervio, y cismatico y no poco injurioso a todo el pueblo christiano, nam cum evangelio teste non sint, sed neque possint esse, nisi duae societates, altera Societas Jesu, altera Societas diaboli. Si isti, et tantum isti nominantur, et sunt de Societate Jesu, superest reliquos omnes et esse et nominari de Societate diaboli.

---

[1] JOAN., III, 20.
[2] JOAN., XVIII, 20.

fo. 8. fa. 2.ª

TEXTO

Solet tamen totum exercitiorum tempus triginta dierum, aut circiter spatio concludi [1]. 284 v.º

CENSURA

Querria ver y saver como de las letras sagradas, y de las vidas, y escripturas de los sanctos, se coge, y saca que tiempo de treynta dias baste comunmente para los exercicios spirituales. Y estoy maravillado como Jesuchristo maestro de perfeccion, y los evangelistas, y S. Pablo, con los demas Apóstoles, no toparon con exercicios que en tan breve tiempo, y con tanta facilidad, y con tanta efficacia bastan para la perfeccion. *No se haze uno perfecto en 30 dias, empero enséñase suficientemente la entrada de lo que el hombre ha de hazer de su parte para usar este officia: que despues estos 30 dias muchos los hazen 60, y muchos toda su vida, y es harto lleguen a proficientes.*

fo. 10. fa. 2. considerat. II.

TEXTO

Exercenti se in prima hebdomada, expedit nescire quid in 2.ª sit acturus [2].

CENSURA

Falsum, et prudentiae contrarium est, quod scientia eorum, quae ad per- *Potuit nihil vessanius dici, quam quod*

---

[1] Annot. 4. in Exercitiorum initio.
[2] Annot 11.

hac obiectione habetur? etenim in omni arte ita proceditur a facilioribus ad difficiliora, a notioribus ad minus nota, nec convenit immisceri omnia, sed hoc vel maxime observandum est, in virtute addiscenda, cuius est difficilis aditus, et via ardua eo magis, quo longius proceditur.

fectionem requiruntur, perfectionis acquisitionem impediat. Est praeterea superstitiosum, et vanum, perfectionis acquisitionem in ignorantia, et nescientia eorum quae ad perfectionem conferunt statuere, atque collocare.

Ibidem, considerat. 12.

TEXTO

In quotidiano quolibet exercitio, ex quinque infra describendis expendi debet unius horae tempus, et nihil minus [1].

CENSURA

Molestum nulli esse potest unius horae tempus, quod si fuerit, non erit sane difficile vel in vincenda molestia ipsa unam insumere horam, ut cum iterum orare velit, molestiae nihil patiatur.

Ut patet intuentibus, vane atque superstitiose fidere videtur in hac temporis mensura, ad perfectionis acquisitionem, hoc enim tempus probata hominum conditione alteri molestum, alteri aptum erit.

---

[1] Annot. 12.

fo. 11. fa. 2.ª, considerat. 15.ª

TEXTO

Tradens exercitia non debet alterum impellere ad paupertatem, et promissionem eius, magis quam ad oppositum, nec ad hoc potius quam ad illud institutum vitae, quia licet extra exercitia licitum sit etc.... longe tamen convenientius meliusque est *inter exercitia ipsa* id non attentare, sed Dei potius voluntatem quaerere atque praestolari, donec ipse creator, ac dominus noster animae sibi devotae sese communicet etc. Quapropter dictanti exercitia standum est in quodam aequilibrio sinendumque, ut citra medium creator ipse, cum creatura, et haec vicissim cum illo rem transigat [1].

Fateor quoniam hic melius diceret INTER IPSA EXERCITIORUM INITIA [2].

CENSURA

Esta letra manifiesta, y claramente contiene, y afirma, y enseña una proposicion, y asercion temeraria, y escandalosa, y heretica, y es que entre tanto que dura el tiempo de los exercicios, no tiene lugar la predicacion, ni el predicador para persuadir que entre muchos bienes se haga la ellección de uno dellos en particular. Ciertamente es negocio de admiracion que la predicacion, y suasion que es licita, y sancta fuera del tiempo de los exer-

En los exercicios entre otras cosas se enseña la election, la qual no conviene que sea predicada ni meditada a los principios de los exercitios y esto se persuade en este texto, y no error ni herejia alguna. ay tantas razones para esto que todas no se

---

[1] Annot. 15.

[2] Cur hic melius diceretur *inter ipsa Exercitiorum initia* vere non attingimus. Hispanice enim scripserat Ignatius *en los tales Ejercicios espirituales.*

pondran aquí. lo 1.º si el que da los exercitios desde luego tratasse de election, el exercitante como inexperto luego pensaria, que se le dezia aquello con cobdicia que entrasse en la Religion. lo 2.º porque como Aristóteles enseña, nuestro entendimiento practico procede del fin a la election de los medios, pues quando se trata del conocimiento del fin no es menester tratar de los medios. lo 3.º porque elegir estado es lo mas difficultoso de los exercitios, y demanda muchos principios para su effecto, y no seria bien tratar al principio della [1].

cicios, no sea licita, ni se permita durando, y correndo el tiempo dellos. A mi ver clara y abiertamente esta doctrina es de dejados, y alumbrados pues que pospuesto, y dejado lo escrito, y pospuesta, y dexada toda la enseñanza y doctrina que por buenas voces dan los buenos, y sabios, se remiten, rinden, y entregan, y dexan á lo que el spiritu, y Dios dixeren alla en lo secreto del alma. Y si esta doctrina no es de dexados, y alumbrados querria ver una que fuesse dellos para cotejarla con esta, y ver cuanta distancia ay de la una a la otra.

fo. 16. fa. 1.ª

TEXTO

Debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes, prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt, et non prohibitae [2].

---

[1] Accurate omnino conferenda est haec responsio cum Ignatii verbis et diligenter utraque perpendenda, ut videatur quantum a vero Ignatii sensu procul sit hic Exercitiorum propugnator. Verum enim est *intra Exercitia ipsa* de status electione agi; sed perinde verum est etiam dum de electione agitur, quod *el que da los Ejercicios no debe mover*, etc.

[2] In *principio et fundamento*.

Haec assertio est in primis contra sacras literas, nam inter res creatas sunt hae tres (scilicet, divitiae, paupertas, et victui necessaria) et sacrae literae non docent, nec dicunt, quod indifferenter nos habeamus ad has tres res, sed potius oppositum (videlicet quod differenter ad haec tria nos habeamus). Juxta illud proverbiorum [1], *divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria*, et illud Pauli [2], *habentes victum, et quibus tegamur his contenti simus*. Praeterea 2.° haec assertio est contra legem naturalem homini insitam, quae non indifferenter ad omnes res creatas inclinat, et manuducit, sed cum differentia, nam lege naturali differenter inclinamur, etiam secluso tempore praecepti, ad diligendum amicum, et benefaciendum illi, et ad diligendum illum qui non est amicus, et benefaciendum illi. Item lege et inclinatione naturali, non indifferenter, sed differenter (utpote magis) ferimur ad diligendos nos ipsos nostrosque consanguineos, atque cognatos, quam extraneos. Item etiam lege naturali non indifferenter ducimur ad proprium esse et vivere, ad famam, honorem et divitias, constat autem, quod ista

Este texto se ha de entender que por quanto el que haze los exercitios ha de hazer election de estado, que de su parte este aparejado para elegir aquel que entendiere le conviene mas para el servicio de Dios, y por decir en suma lo que este texto dize, entiendo que el hombre quanto es a la preparacion de animo, de su parte no mas ha de querer riquezas, que pobreza etc. sino que si quisiere mas riqueza sera por entender que le cumple mas para servir a Dios.

---

[1] xxx, 8. *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.*

[2] Ep. I ad Timoth., VI, 8. *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.*

omnia sunt res creatae; est igitur praedicta assertio contra legem naturalem homini insitam. Praeterea 3.° haec assertio est contra conditionem, et habilitatem naturalem rerum creatarum, nam non omnes aeque indifferenter, sed potius multum differenter se habent ad hominis utilitatem, ut constat si ex una parte (exempli gratia) sumas coelos, elementa, terrae fructus, ex alia autem parte accipias muscas, pulices, cinifes, noctuas, vespertiliones etc. ergo non indifferenter sese habere debet homo ad res creatas omnes, sed potius cum quadam differentia. Praeterea haec assertio non deducitur, nec deduci potest ex principio ibidem posito, nisi in virtute unius propositionis tacitae, et subintellectae, quae et falsa est, et contra legem naturalem, quae quidem propositio talis est. Omnes res creatae indifferenter se habent ad utilitatem hominis, nec una differentius, et magis, quam alia confert ad hominis commodum. Ut iste sit integer sillogismus ibidem factus, omnia supra terram sita creata sunt hominis ipsius causa ut eum ad finem creationis suae prosequendum iuvent. Sed omnia huiusmodi creata indifferenter, et aeque indifferenter sunt creata gratia hominis, et indifferenter, et aeque indifferenter iuvant hominem; ergo debemus nos absque differentia habere ad res creatas omnes. Praeterea praedicta assertio est contra naturam, conditionem, et proprietatem caritatis, quae non indifferenter, sed potius differenter, et ordine quodam in-

clinat ad diligibilia, etiam secluso tempore praecepti.

Ibidem.

TEXTO

Quod in nobis est non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem.

CENSURA

Haec assertio est contra legem naturalem, et contra communem hominum inclinationem, qua feruntur ad amandam, et procurandam salutem, et fugiendam infirmitatem, nec naturae conditor in re hac venit reprehendendus, quod scilicet homini talem legem et inclinationem naturaliter indiderit. Itemque sanitas magis confert ad iuvandum hominem ad finem suum, quam infirmitas, ergo falsa est assertio, scilicet quod in omnibus non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem, imo e contrario, quod in nobis magis quaeramus sanitatem quam aegritudinem postquam magis confert consequenter, et illatio haec notissima est, consequens autem (285 v.°) probatur duplici medio, primo ex eo quod Deus, potius sanum fecerit hominem quam infirmum. 2.° quia sanitas de per se, aut quantum est in se, confert ad hominis utilitatem, infirmitas vero dumtaxat de per accidens. Item supra posita assertio reprobatur, quia si, quod in nobis est, non quaeramus magis sa-

Tambien se responde a esto con decir que se entiende que el exercitante ha de preparar su animo con elegir desto lo que mas cumpliera al servicio de Dios. Como quien todo lo quiere para este fin desinteresado de si mesmo y porque la sanidad ordinariamente es mejor para servir a Dios, elijala, pero si Dios le diere enfermedad, se conformara con su voluntad, y visto hemos hombres perfectos, que llegan (285 v.°) *a este punto de que realmente estan aparejados a lo que Dios ordenare de ellos indiferentemente y el buen criado*

esto ha de hazer con su amo, y por exemplo lo vi yo en el hijo del Duque de Maqueda un buen cristiano, que al tiempo de su muerte no solamente estaba indiferente para vivir, o morir, para sano, o enfermo, sino que dezia que de su parte no queria mas gloria, que infierno, sino es porque en el infierno no se alababa a Dios, y en la gloria si.

nitatem quam aegritudinem, ergo, quod in nobis est, non magis sumamus sana, id est sanitatem causantia vel conservantia, quam infirma id est infirmitatem causantia, seu conservantia, et per consequens, quod in nobis est, non magis sumamus vitam dantia, quam mortem conferentia, haec autem quis audeat asserere. Item si, quod in nobis est, non quaeramus magis sanitatem, quam aegritudinem, ergo, quod in nobis est, non quaeramus magis corporis et membrorum eius, atque organorum integritatem, quam earumdem mutilationem, consequens hoc, et est turpissimum, et contra communem animi conceptionem.

Ibidem.

TEXTO

Quod in nobis est honorem contemptui non praeferamus.

CENSURA

En este texto Ignatio habla vulgarmente de honrra, y quiso decir que esto que es vocari ab hominibus Rabi y habere primos accubitus, et primas Cathedras, y este ser estimados en el mundo nos hayamos indiferentemente a ello

Crediderim hoc in loco nomine honoris etiam famam, nomenque bonum comprehendi, ac proinde haec assertio est contra legem naturalem, et communem hominum inclinationem. Praeterea et contra illud ecclesiastici 41. *curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni*, et proverbiorum 22. *melius est nomen bonum, quam divitiae multae*, et eccles.

7. *melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa*. Praeterea praedicta assertio, est contra illud: *Pater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te* [1]; que fue menester que Dios padre honrase, y clarificase, y afamase a su hijo y lo levantase, y sacase del desprecio, e ignominia de la pasion, y muerte para que la doctrina que dexava sembrada, y para sembrar tubiesse efficacia y fuesse en gloria y honrra de su padre.

pero ni negó, ni pudo negar, que somos obligados a ser dignos de aquella honrra que Arist. dice ser premio de virtud.

fo. 58. fa. 1.ª

TEXTO

Cum oporteat per affectum ex Dei amore coelitus infusum fieri electionem [2].

CENSURA

Haec assertio praesupponitur tanquam certissima et notissima, ac receptissima, ut constat ex illa particula: *Cum* etc. Praeterea, ut ex verbis expressis huius assertionis constat, sermo est de amore illo, quem caritas, quae virtus theologica est, effluit in nobis, nam dicit ex Dei amore coelitus infuso. Haec assertio non modo temeraria, sed etiam scandalosa, verum etiam haeretica videtur, si oportet per affectum ex Dei amore coelitus infusum fieri electionem. Quomodo gentiles et alii qui ne-

La razon deste texto esta clara, porque del amor del fin nace el amor de los medios. cierto es que quien mucho ama una calongia antes va a Roma por la posta que en mula por ganalla. de manera que para que la eleccion sea ordenada al fin sobrenatural que deseamos,

---

[1] *Pater, venit hora, clarifica...*; JOAN., XVII, 1.
[2] *Posterioris modi eligendi* regula prima.

no puede ser perfecta, ni bastante si no procede de caridad.

gative sunt infideles eligent, cum non habeant amorem illum coelitus infusum, nec caritatem illam virtutem theologicam; praeterea quomodo eligent haeretici qui et illa confusa caritate carent; praeterea quomodo eligent fideles in peccato mortali existentes. Praeterea qualiter isti omnes convertuntur, si eligere nequeunt, cum nudi sint a caritate et amore illo infuso, quo quïdem caritas, et amor infusus principia sunt electionis. Praeterea ex hac assertione manifeste colligi videtur, quod ex timore electio fieri non potest, quod est contra litteras sacras. multis in locis quibus homo suadetur ad licitas illasque, et sanctas electiones faciendas, ut patet cum dicitur. *Nisi poenitentiam egeritis omnes simul peribitis* [1]; et illud: *apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus et pereatis de via iusta* [2].

Ibidem.

TEXTO

286

Eligentem convenit praesentiscere in se ipso, quod quidquid affectionis (sive multum, sive modicum sit) erga rem electam tenet ex solius Dei amore proficiscatur.

CENSURA

Estando este texto tan claro, no se que

Haec assertio necessaria quadam consequentia deducta est ex priori praece-

1 *...si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis:* Luc., XIII, 5.

2 Psalm. II, 12.

denti, nec inconvenit ex falso sequi falsum, quandoquidem uno dato inconvenienti multa sequuntur, si enim detur hominem non esse rationalem seu intellectualem, necessaria et bona consequentia sequitur illum non esse beatificabilem. Praeterea in verbis praeadductis duae continentur assertiones, altera est quod homo potest sentire in se amorem coelitus infusum, et caritatem virtutem illam theologicam, et non solum potest id sentire, sed potest id sentiscere, scilicet frequenter id cognoscere sensuali, et experimentali cognitione, in se ipso, imo non solum potest sentire, et sentiscere hunc infusum amorem, et caritatem theologicam sed potest praesentiscere, imo asseritur in verbis praerecensitis, non solum quod homo potest sentire, et potest sentiscere, et potest praesentiscere in se ipso quod habeat caritatem illam theologicam, et amorem illum coelitus infusum, sed etiam asseritur formaliter, et expresse, quod oportet, et convenit, quod homo sentiat et sentiscat, et praesentiscat in se ipso quod habeat amorem illum coelitus infusum, et caritatem illam theologalem. De hac prima assertione in textu hoc necessario et quasi in causa necessario contexta dicemus inferius fol. 106, ubi expresse, et formaliter ponitur haec propositio. Altera assertio in verbis prioribus formaliter expressa, et contenta est, quod homo potest sentire vel sentiscere, et praesentiscere in se ipso, quod omnis eius affectio, quam [habet] ad rem electam, vel eligibilem, procedit

necesidad avia de arguir; quiere decir, que se sienta el hombre desinteresado de si, y que quidquid elegerit non proprio suo quodammodo ductus sed dei amore illectus eliget.

ex solius Dei amore coelitus infuso, et ex caritate illa theologica, imo quod oportet, et convenit ad electiones faciendas quod homo sentiat, et sentiscat, et praesentiscat in se ipso quod omnis affectio sive multa, sive modica, quam habet ad rem electam, aut eligibilem, proficiscatur ex Dei amore coelitus infuso. Haec 2.ª assertio pendet ex prima, ut clara luce constat, et ob id requirenda est, ad folium superius citatum, ubi patebit quantum erroris, aut periculi, et damnationis habeat.

fo. 72. fa. 1.ª

TEXTO

Considerare eumdem Deum, et dominum propter me in creaturis suis operantem, et laborantem quodammodo.

CENSURA

In Dei operationibus eius eximiae providentiae curam agnoscimus, quis igitur rem istam contemplatus, non vehementer exardescat divino amore: quis non immortales gratias agere curet? (286 v.º)

Certe vana esse videtur haec contemplatio, qua Deum fingimus propter nos laborantem, ut ex illius labore excitetur in nobis spiritualis amor, quasi Deus illo labore afflictionem, et fatigationem sentiat. Procedit haec huius viri consideratio et contemplatio, ad eum modum, quo in nobis excitatur affectus, et amor ad carnalem patrem nobilissimum, si videremus eum laborantem, et afflictum pro nobis. Deum pro nobis aliquo modo laborare certum est, tum ex illo Isaiae 1.º *laboravi*

sustinens, tum etiam quia secundum naturam assumptam vere et propriissime pro nobis laboravit, ut constat aperte ex novo testamento, et prophetis, atque aliis libris veteris testamenti. Deum autem in creaturis aliquo modo laborare, eo scilicet quod eas pro nobis facit laborare, admititur ad eum modum (286 v.°) quo dictum est genes. 22. *nunc scio, quod timeas Deum* [1] vel nunc scire feci, quod timeas Deum. Sed ad hunc sensum quemadmodum contemplamur Deum pro nobis in creaturis laborantem, ita etiam contemplabimur eum in creaturis dormientem, et morientem, nam pro nobis facit eas dormire, facit etiam et eas mori.

fo. 93. fa. 1.ª

TEXTO

Primum apparuit Dominus Matri suae postquam surrexit, et ita dicere oportet, ne jure audiamus illud, *adhuc et vos sine intellectu estis?* [2].

CENSURA

Certe Evangelista Marcus c. 16. oppositum expresse asserit dicens. *Surgens (Jesus) mane prima sabbati apparuit primo Mariae Magdalenae;* et per consequens Marcus est sine intellectu, et mentitur, aut falsum asserit, nam si

Nullum est in hoc loco responsum. Difficultatis vero, quae hic opponitur, facilem solutionem invenies apud P. Suarez, Comment. in 3.am part. S. Thomae, Disp. 49. Sect. 1.ª Confer etiam ipsius eximii Doctoris volumen quartum *De virtute et statu Religionis*, Tract. x. *De Religione Societatis Jesu*

---

1 ...*nunc cognovi quod times Deum:* Genes., XXII, 12.

2 MATTH., XV, 16.

lib. 9, cap. 5, 6 et 7; ubi doctrina libelli Exercitiorum luculenter exponitur et ab adversariorum impugnationibus plane vindicatur.

verum est quod primo apparuit matri suae, quomodo verum est, quod primo apparuit Mariae Magdalenae?

fo. 98. fa. 2.ª

TEXTO

Spiritualis proprie consolatio tunc esse noscitur quando per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui.

CENSURA

Ignotum est hoc sane qui in exercitio spiritualium meditationum parum sunt versati sed qui, haec exercitia vel 18 diebus exercuerit, maiora his videbit.

Procul dubio nihil aliud hoc est quam ignotum cognoscere per ignotius quandoquidem illa interna motio, et ille status in quo homo iam non potest creaturam ullam nisi propter Deum diligere, multo magis ignotum est homini quam spiritualis consolatio.

Ibidem.

TEXTO

Nec iam *(anima)* creaturam ullam nisi propter ipsum *(Deum)* potest diligere.

CENSURA

Hac assertione animam viatoris hominis confitentur posse per exercitia ad tantam perfectionem pervenire, ut iam sit impeccabilis, nam animam non

posse creaturam ullam, nisi propter Deum diligere, et animam non posse peccare idem sunt, cum peccatum consistat in aversione a Deo. Certum est divam virginem, et non multos viros dono gratiae fuisse sanctificatos, et in gratia confirmatos, constat etiam, quod philosophi contemplati sunt virtutes, et virtuosos viros, quosdam in gradu heroico, ceterum non reperi, quod anima viatrix possit per exercitia, ad tantam pervenire perfectionem, et caritatem ut iam non possit peccare, nec possit ullam creaturam, nisi propter Deum diligere, quod idem est: nam si homo in statu innocentiae conditus, et justitia originali vestitus, potuit peccare, et creaturam aliquam non propter Deum diligere, quis mortalium audeat asserere, quod homo viator per exercitia spiritualia, potest pervenire ad tantum statum in quo statum illum non solum adaequet, sed etiam superet, quandoquidem in statu illo, ille primus homo potuit peccare, et creaturam non propter Deum diligere, iste autem in hoc statu neutrum illorum potest. Praeterea, si primus ille Angelus, gratia et decore vestitus, et omni lapide pretioso adornatus potuit peccare et creaturam aliquam non propter Deum diligere, quomodo viator homo, per exercitia spiritualia, potest ad talem statum, et ad tantam perfectionem pertingere, in quo viator adhuc existens, non potest peccare, nec creaturam, nisi propter Deum diligere.

fo. 106. fa. 1.ª

TEXTO

287 Quem certe Dei amorem debeo sentire in me, et radicem esse et causam cuiuscumque meae affectionis erga cognatos et amicos omnes.

CENSURA

Charitatis habitum nobis inesse non possumus, nisi certitudine morali sentire. at actum nihil prohibet evidenter experiri, nisi quod semper in dubio est, an ille actus ex charitate procedat, an vero ex natura. Volo dicere, evidenter ego sentio, me nunc temporis Deum actu diligere, velleque in posterum quidquid fecero pro eius gloria facere, igitur illum Dei amorem actualem sentio radicem in me esse cuiuscumque meae affectionis.

Hic supponendum est cum authore (ut constat fol. 58, fa. 1.ª regula 1.ª) quod est sermo de amore dei coelitus infuso, qui est actus caritatis infusae, et in sacris litteris miro modo commendatae.

Hac in littera duae expresse continentur assertiones, 1.ª quod homo potest, imo debet sentire in se Dei amorem coelitus infusum. 2.ª homo potest, imo debet sentire quod amor Dei coelitus infusus est radix, et causa omnium bonorum affectionum in christo homine existentium, cum sensualis cognitio, et notitia dicat evidentiam et certitudinem. 1.ae propositionis sensus iste est, quod homo potest imo debet evidenter, et certitudinaliter, atque infallibiliter cognoscere quod habeat in se coelitus amorem infusum, et in hoc sensu illa prior propositio videtur non modo temeraria, et scandalosa, verum et haeretica, est enim contra illud Pauli 1.ae Cor. 4. *nihil mihi conscius sum* (hoc est nullius peccati mortalis habeo conscientiam) *scd nec in hoc*

iustificatus sum[1] (hoc est nec id sufficit ut me iustum definiam, et pronuntiem); scriptum est enim, *delicta quis intelliget, ab occultis meis munda me* domine[2]. Est etiam contra illud Job, 27. *nec reprehendit me cor meum in omni vita mea*[3]; et c. 9.° dixerat, *si simplex fuero* (id est iustus), *hoc ipsum ignorabit anima mea;* est etiam contra illud Hieremiae 17.° *pravum est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognovit illud? ego dominus scrutans renes et corda*[4]. fateor quod si Author cum dicit, quod debemus sentire, aut persentiscere in nobis amorem dei coelitus infusum, per verbum sentire, et per sentiscere intelligit cognitionem non quidem certitudinalem, atque demonstrativam demonstratione experimentali (quam quidem mea sententia verba authoris prae se ferunt) sed dicat et intelligat cognitionem coniecturalem, atque fallibilem, nil habet reprehensione, aut censura dignum. De 2.ª propositione, cum de prima dependentiam habeat, patet quid dicendum, aut sub censura ponendum sit.

fo. 113. fa. 1.ª

TEXTO

Etiamsi plane compertum definitumque esset, nemini contingere salutem, nisi praedestinato.

---

1 *Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum:* Ep., I ad Corinth., IV, 4.

2 *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me:* Psalm. XVIII, 13.

3 *neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* JOB., XVII, 6.

4 *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes.* JEREM., XVII, 9 et 10.

Catherinus non multis abhinc annis scripsit, quosdam esse homines de quibus non sit usque adeo certum, an praedestinati sint, an reprobi, cuius scripta non sunt combusta. Verumtamen, quamquam et hanc ipsam opinionem non probaret Ignatius in textu, nihil aliud voluit insinuare, nisi quod quamvis sciret se quispiam ex electis non esse, ac nemini contingere salutem nisi electis, desperare adhuc non deberet, sed semper orare, et nunquam deficere.

Sane satis videtur temerarium, ubi Papae intercedit auctoritas tam leves obiicere rationes.

CENSURA

Haec assertio, por quanto vertit in dubium quod non solum praedestinati salvabuntur, sed etiam aliquibus non praedestinatis continget salus, est non modo erronea, temeraria et scandalosa, verum etiam haeretica, *scit enim dominus qui sunt eius* [1]; et iterum *quos praescivit et praedestinavit* [2].

Ill.e ac R.me Praesul, nostris his annotationibus, nihil detrahere aut minuere intendimus, huic novae societati, sed dumtaxat puram, mundamque reddere spiritualium exercitiorum doctrinam, quae autem diximus, et scripsimus tuae authoritati, et sapientissimae censurae, atque sacrosanctae matris ecclesiae emendationi subiicimus.

---

[1] *Cognovit Dominus qui sunt ejus:* Ep. II ad Timoth., II, 19.
[2] Epist. ad Rom., VIII, 29.

II

CENSURAE

IN EXERCITIA SANCTI IGNATII

A R. P. THOMA DE PEDROCHE O. S. DOM.

FACTAE

ET SANCTAE INQUISITIONIS TRIBUNALI TOLETI

EXHIBITAE

REFUTATIO INCERTI DE SOCIETATE JESU AUCTORIS

II

† IHS

SINDICACIŌ
DE LOS EXER.os DE N. P. IGNACIO

hecha por el P. Fray Pedraça (creo se llamaba), segun me dixo el P. Nadal, y del Orden de S.t Domingo, en Roma [1].

Perge. [2] Item mas, se ha de notar y ponderar que mas de la experiencia interior de su pecho y de la interior unction del spū. s.° que no de los libros sacó y compuso el dicho Ignatio ó

---

[1] Ex Arch. S. J. Rom.—Codex chartaceus, in 8.°, 64 foliis constans, quorum 62 priora numeris, a 1 ad 123, per singulas paginas distincta sunt, ita ut n.us 123, respondeat folii 62.i priori paginae; posteriori autem hujus folii paginae sicut et postremis duobus foliis nullus est numerus nec in eis quidquam scriptum est. Haec 64 folia in sex fasciculos dispertita et numeris, a 1 ad 6, in ima singulorum fasciculorum primae paginae ora appositis, distincta sunt. Singuli fasciculi, praeter sextum, duodecim foliis constant; sextus autem quatuor. Singula folia in suprema primae paginae ora anagrammate † JHS ornata sunt. Assuti fasciculi in libri formam sunt et crassiori alba charta cooperti, in qua haec leguntur verba:

Sindicat.
in Exerc.

Manus est triplex: 1.ª ignoti cujusdam, qui titulum in prima pagina superscripsit; 2.ª etiam ignoti, qui totam refutationem exaravit; 3.ª Patris Hieronymi Natalis, alia emendantis, alia addentis, graeca praesertim et hebraica, alia delentis et alia deletorum loco quandoque substituentis.

Libelli hujus auctorem Patrem Hieronymum Natalem fuisse opinamur; nemini enim, praeterquam auctori, jus esse videtur tot verba emendandi, mutandi, etc., quot emendavit, mutavit in hoc libello Natalis, cui etiam familiare admodum erat graeca et hebraica suis scriptis latinis interserere. Affirmare tamen id certo non audemus, quia nullo certo argumento nobis constat. Imo P. Ignatius Pinius, a quo primum accepimus extitisse in tabulario S. J. romano longiorem Apologiam a P. Hieronymo Natali conscriptam, qua singula a Fratre Pedroche objecta, graviter prolixeque refutat, eam Apologiam ait esse *totam autographam;* nostra vero haec, licet per eam singula a Fratre supradicto objecta, sin minus graviter, saltem prolixe refutantur, autographa *tota* certe non est

[2] Vocabulum hoc *perge,* quod in omnium fere hujus refutationis partium fronte iteratur, significare, ni multum fallimur, satis clare videtur desiderari hic aliquod quasi initium seu exordium, quod sequentia praecederet. Et re quidem vera, qui haec cum *Censura* integra, quam in praecedenti appendice prima dedimus, conferat, videbit procul dubio deesse hic animadversionem censoris primam et partem secundae cum suis responsionibus, quae uno vel forte pluribus foliis continerentur. Desiderabantur autem ista jam tum cum fasciculi numeris distincti sunt et codex ex fasciculis compactus et titulus inscriptus.

Iñigo estos Exer.os y documentos spūales; lo qual sabe, y no poco, á la fuente de los dexados y alumbrados; los quales, dexado y postpuesto lo revelado en los libros, se remitten y entregan á lo que el spū. les dize dentro de su pecho, y tienen por cosa infalible que siempre les habla el spū. de Dios, quod tamen est contra illud: *nolite omni spiritui credere, sed probate spūs. an ex Deo sint* [1].

I. Est praeterea notandum ac ponderandum quod magis ab experimento cordis interiori et unctione interna spūs. s.i elicuerit vel composuerit dictus Ignatius vel Iñigus haec (2) exercitia et documenta spiritualia; quod sapit, et non parum, scaturiginem relictorum et illuminatorum, qui quidem, omissis et posthabitis iis quae revelata sunt in libris, se cōmittunt et tradunt iis quae spūs. ipsis dictat intra ipsorum pectora, et habent pro re infallibili quod semper ipsis loquatur spūs. Dei; quod tamen est contra illud: *nolite omni spiritui credere, sed probate spūs. an ex Deo sint.*

R.

Video quid erres, quid timeas. Non audes experiri spiritum Dei vel divinas inspirationes, quod derelicti, illas sequuti, in errores inciderunt et infamiam: times, si internas inspirationes commendes, ne et tu de illis habearis, quod impense solent vereri tuae nationis homines: procuravit .n. in Hispania daemon (nonnullis (3) illudendo, quo in genere sunt toletani derelicti et Magdalena Crucis, quibus insignes errores spiritus instillavit) ut vera spiritus exercitia odiosa atque infamia redderentur; at inter quos homines? inter eos, ubi valide potest multa propter infamiae timorem veterator. Sed quo pacto urges? suspicione; nihil aliud; nam si conaris legitime ac necessario concludere, risum movebis, ne indignationem dicam et [2] zelum. Quo ig.r [3] ar.o uteris? Magis ab unctione s. spūs. ut supra, quam a libris omissis et posthabitis [4], etc. Quis tibi dixit dereliquisse et postposuisse Ignatium libros? contra potius pronuntiat ēpla. īpa. [5] *ab spiritu hausit non sine libris*, potius quidem ab spū. q. a li-

---

1 "*Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.*„ Ep. I, JOAN., IV, 1.

2 *et*, NATALIS.—*vel.* Ita legebatur antea.

3 Ita NATALIS.—*At quo argumento.* Sic scriptum erat.

4 *omissis et posthabitis*, NATAL.—*derelictis.* Sic prius legebatur

5 *ipsa.* Vox addita a NATAL.

bris; at derelicti tui nihil curant libros, nulli sūmittunt quae dicunt sibi a spiritu revelari; Ignatius omnia multis doctis ac piis viris, tandem [1] sedi apostolicae; nisi (4) propterea derelictus est quod te nihil consuluit.

Sed vide quid dicas. Si suspiciosum est quod xpiani. ab unctione doceantur plus q. [2] a libris, quid facies Hieremiae, Joanni, Paulo, Doctoribus sacris? Quid est quod dicit Tho.[s] tuus ac noster legem esse inditam evangelicam? Quo pacto lex in corda Apostolorum atque Evangelistarum infusa est? Quid tu impedis manum Domini? Quid tu prophetias aspernis? Quid tu quod inquit Paulus: *unusquisque vestrum psalmum habet et revelationem habet* [3], quid divisiones spiritus prohibes?

Hoc responde, obsecro te. Potest Deus immediate illuminare corda hominum? Negare non potes. Quid, si id faciat, eritne hic homo derelictus et suspectus de haeresi? At tu hoc dicis (etsi imprudens id facias). Nam hoc vide: non negas habuisse unctionem (5) Ignatium. Quid igitur oppugnas eum, quem non negas unctionem habuisse, suspectum esse, etc. Id est veritatem non ferre.

At dicis: postea demonstrabo non fuisse unctionem sed errorem. Nihil igitur adhuc [4] oppugnare potes suspicionis, q. dicat ab unctione spūs. magis q. a litteris, etc. Quid tu, si haberes Dei aliquam inspir.[em]? Nonne vere illam a spiritu magis q. a litteris habere te profitereris?

Quo .n. [5] pacto tu theologiae studes? Nonne ad revelationes et spūm. te ducunt libri? An humane es theologus et inspirationis nihil, nihil [6] illustrationis divinae coniicis aliquando te habere? Quid? Tunc magis a libris q. a spiritu illas veritates haberes [7]? An adminicula potius essent [8] litterae, ut saepius esse debent [9], spiritus ipsius et veritatis?

Et tamen Ignatius libros adhibuit totamque rationem theo-

---

1 *tandem*. Additum est a NATAL.

2 *quam*. Additum est a NATAL.

3 "*unusquisque vestrum psalmum habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet.*„ I Corinth., XIV, 26.

4 *adhuc*. Additum est a NATAL.

5 Particulam *enim* adjecit NATAL.

6 Conduplicatio vocis *nihil* Patris NATALIS est.

7 *Haberes*. Additum a P. NATALI.

8 *Potius essent*. NATAL.—*sunt*. Legebatur antea.

9 *Esse debent*. Additum a NATAL.

logiae consuluit [1], saltem ubi illa edere constituit exercitia, ut quae (6) exceperat ex divina potius inspirat.e q.m e libris, libri omnes, theologi, sacrae omnes litterae confirmarent. Nū propterea derelictus erit quod magis ab spiritu acceperit q.m a libris? Propterea est derelictis similis? Imo propterea non est, quia contraria omnia quam quae solent derelicti fecit. Quod si haec faciens, haec dicens, derelictus est, quis non erit tibi e sanctis Doctoribus derelictus? Memineris, quaeso, idem nos praedicare de divo Thoma. Nū fuit propterea vir san.mus e colluvie derelictorum?

At ego suspicor illud in Ignatio esse derelicti. Credo facile; sed iniuria suspicaris; exue animi affectum et aversionem; consideras veritatem ipām, auctoritatem sedis aplīcae., consensū orbis, bonorum fructum, eorum, qui in Societate vivunt, mores, doctrinā, etc.

At non probavit spūm. Ignatius? non potuit accuratius quam per Scripturam, per Ecclesiam, per bonos ac doctos (7) viros.

Credo te nihil hic habere residui, quod scrupulū tibi iniiciat: gaudeo equidem: sed ad alia proficiscamur.

Fo. 6.º Fa. 1 ª

TEXTUS.

Constat non eo animo, etc. Si este libro de exercicios y documentos spūales. es bueno y util pā. la perfection, y tan facil para la alcançar tan en breve, por qué no se da y concede á todos? Y si es malo y tiene errores y superstitio.es, por qué se sufre y permite en escondido? Nam *qui male agit, odit lucem* [2] et *Ego palam locutus sum mundo* [3].

I. Si liber hic exercitior.m et documentor.m spūalium. tam est bonus et utilis ad perfectionem et ad eam tam facile assequendam tamque brevi, cur non oībus. datur et conceditur? Sin

---

1 Ita NATAL.—Prius ita legebatur: *Quid, Ignatius libros non adhibuit? totamque rationem theologiae non consuluit?*

2 "*Omnis enim qui male agit, odit lucem.*„ JOAN., III, 20.

3 JOAN., XVIII, 20.

autem malus est, et continet errores et superstitio.es, cur toleratur et permittitur in occulto? (8) Nam *qui male agit odit lucem*, et *Ego palam locutus sum mundo*.

R.

Quid te movet ut et nobis et exercitiis nostris plus tribuas q. nos vel velimus vel possimus? Quis unq.m e nostris id praestare exercitia dixit ut brevi perfectionem consequamur? Faxit Xps. ut multo tempore, labore, industria, mortificatione, usu virtutum, religioso nostro instituto idonei simus, qui ad illam serio contendamus. Certe amplectimur omnia adminicula, interea ad orationem et directionem vitae exercitiis utimur. Det Xps. Jesus fructum nobis per illa colligere primum in nobis, dein in proximis nostris.

Sed videamus quid te offendat quod non passim evulgentur exercitia. Hic tu nos non oppugnas sed Ecclesiam, quae consulto id concessit; sed audi quam providenter id fecerit (9). Vidit exoriri facile posse qui non intelligerent exercitia atque etiam calumniarentur. Voluit igitur per Societatem illa exponi, tradi ac dispensari. Hac in re providit hominum conscientiis ne offenderentur. Atque adeo quod te facere oportuit priusq. de exercitiis censeres, nos consuleres, a nobis libri intelligentiam acciperes. Id benignissime providit Summus Pontifex ne ita impingeres.

Alioqui quid oppugnas? ne in vulgus temere darentur? Vide; si te offendunt exercitia munita apostolica auctoritate, quid vulgus censes non offenderent? At *Ego palam locutus sum mundo*. Sed id tn. quod Xps. loquutus est mundo palam, commendari iubebat Paulus fidelibus hominibus. Dionysius item Timotheo iubet ut ne mysteria [1] etc. manifestet prophanis (10), quandoquidem non oīum. erat fides, ut nunc fortassis non oīum. est devotio vel erga Societatem devotus animus.

Sed age rursum, *qui male agit odit lucem;* si bona sunt exercitia edantur in vulgus; sin mala, supprimantur omnino.

Lepide nunc dicis; sed vide quid dicis. Ecclesiam colligis odisse lucem et male agere, quae prohibet Scripturas sacras in vulgus passim emanare, nam interdicit ne sermone vulgari

---

[1] S. DIONYSIUS AREOPAGITA. *Lib. de mystica theologia*, cap. I.—Item, *de ecclesiast. hierarchia*, cap. I, etc.

edantur. Age nunc, collige: vel sunt bonae vel malae sacrae litterae, etc. Jam vides quo te cõiecisti.

Expecta tamen adhuc paululum; quid vos non habetis per manus et traditis vestra scripta victoriana [1]? vestros libellos devotionum? et vestris devotis dispensatis, non item aliis, non in vulgus editis? Consiste; ago similiter adversum te: vel sunt mala, etc. (11). An vero id nobis oberit similiter [2] facere quod impressa sunt exercitia, quod confirmata a sede apostolica, quod Sūmus. Pontifex id etiam probávit in exercitiis fieri quod vos vestro consilio, vestra auctoritate, facitis? Et hoc ausculta: experimur nos exercitia nostra nihil fere prodesse sine instructore et iudice rerum oīum. quae ei, qui exercetur, accidunt; quod igitur non dentur in vulgus eo spectat ut ne vel sine fructu vel temere quis illis utatur; nam omnibus non conveniunt exacta exercitia, non omnibus dandae electiones, ut primis exercitiorum annotationibus traditur. Igitur nec temere nos evulgamus; damus tamen omnibus, qui exerceri volunt, tum etiam omnibus quotquot confidimus considerate atque utiliter illis usuros.

(12) Jam si tu contendis bona non esse exercitia, nec prohibere potes quin edantur; boni potius consulere deberes ut quam paucissimi illa videant. Hoc igitur voluit Societas, hoc aplīca. sedes, ut exercitiorum illis fieret copia, qui vel recte illis usuri essent, vel cum fructu illa essent experti; quemadmodum non erant omnibus danda, si data typis non essent, ita quae impressa sunt, in hanc utilitatem retineri ab Societate voluit Summus Pontifex; nec propterea coniicere debes non publicari quod iudicium reformident, quum in orbis christiani supremo

---

1 Quae hic de scriptis victorianis dicuntur, ad opera P. Francisci de Victoria O. P. spectant, quae nondum per id temporis in lucem prodierant, ut patet ex iis, quae hic transcribimus ex opere *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, auctoribus JACOBO QUETIF et JACOBO ECHARD, tom. II; pag. 130. "Obiit vir summus Salmanticae anno Dñi. MDXLVI, die XII augusti... Non abs re a Matamoro citato Franciscus noster, velut alter Socrates, sed christianus, exhibetur: nam non secus ac vetus ille academiae sectae princeps, Platonisque et similium praeceptor, sic iste ut se quicquam vivo suorum operum in lucem exire permitteret nunquam adduci potuit, eos contentus nactum esse discipulos, quorum in cordibus sua sic sensa insculpserat, ut ea et verbo et scripto posteris mandare et communia reddere possent, quod et plures magistri, gloriae potius quam suae studiosi, grati fecerunt. Quaedam tamen sub ejus nomine a suis collecta, typis prodierunt, quae sequuntur.—*Relectiones XII theologicae*. Lugduni, 1557, etc.„—Porro haec prima editio fuit theologicarum lucubrationum P. Victoria.

2 *similiter*. Additum a NATAL.

iudicio sint diligentissime excussa et gravissimo decreto confirmata.

Hic satis de hac censura. Quid tu deinde?

Fo.º 1.º Fa.ª 1.ª et Fo.º 5.º Fa.ª 1.ª

TEXTUS.

Praepositus generalis Societatis Jesu, quidam de Societate Jesu, etc. Desta (13) letra y contexto consta que el título, nombre y appellido desta hermandad y compañía est Societas Jesu. Ciertamente este título y appellido es soberbio y scismático y no poco injurioso á todo el pueblo xpiano.; nam cum, evangelio teste, non sint nec possint esse duae societates, altera societas Jesu, altera societas diaboli, si isti et tantum isti noïantur. et sunt de societate Jesu, superest reliquos omnes et esse et nominari de societate diaboli; hoc est: ex hac littera et contextu constat titulum, nomen ac denominationem huius fraternitatis et societatis esse: Societas Jesu. Certe ista denominatio et titulus superbus est ac schismaticus et non parum iniuriae inferens toti populo xpīano., nam cum (evangelio teste), etc.

R.

Vide quid hic dicas, frater mi; este (14), inquit, apellido es soberbio y scismático y no poco, etc. At in confirmationibus totius instituti, in multis lrīs. aplicis. sedes Petri hanc appell.em probat, confirmat, suscipit. Quid igitur? superbiae notam, schismatis et insolentiae impingere audes Ecclesiae? Minime, inquis, gentium. Id ego quidem, cui igitur mihi quam ego, id vellem te ex animo dicere ac poenitere quod non sūma cum observantia et honore de sede aplica. loquutus sis.

Sed age, quis unquam dixit sedem apostolicam schismaticam propositionem suscipere ac probare? Quod si suscipit, qui est schismatica? vel a quo divisa est? At schismaticum est nomen Societatis, superbum et iniurium populo xpīano., quod nobis arrogemus nomenclaturam quae oībus xpīanis. est communis, quasi alios ab Ecclesia separemus atque ad societatem relegemus diaboli (15), postquam una est societas Jesu et nos illam occupamus totam ut nihil esse possit aliis residui quod profiteri

valeant. In hanc sententiam arbitror te argumentari. At vero, bone Jesu, quam longe erres a scopo, quam procul a re ipsa dissides! Nonne recipis nomen in Ecclesia receptum: religionis scilicet Trinitatis, S.i Spiritus, eorum, qui Jesuates vocantur, qui fratres Jesu in Aragonia, qui militum Xpi. in Portugallia? Quid igitur sunt xpīani. reliqui e religione alterius quam Trinitatis, S. S., Jesu, et Christi? Nū propterea et vos et alios religiosos relegabis ad religionem quaternitatis [1], mali spiritus, antichri.? Quid est quod illarum te non moveat nomenclatura, et nostram tam atrociter insecteris? ut superbam dicas, schismaticam, iniuriam universo populo xpīano? (16). Quid vides dissimile? probat illa nomina Ecclesia. Nostrae Societatis nomen tot litteris apostolicis, tot diplomatis comprobatū est. Dicuntur illae religiones Trinitatis, S.i S.tus, Jesu, Chri. Nos religionis nomen non usurpamus fere (etiam si religio sit nostra societas); malumus inferius quoddam nomen mutuari.

At societas Jesu est cōmune nomen xpīanis. Est et religio Trinitatis, S.i S.tus, Xpi., Jesu, xpianis. omnibus coīs; nū non est una religio xpīana? Ea si non est Trinitatis, S.i S.tus, Xpī., Jesu, cuius est? Quod si ita est, iam nomen illarum religionum est superbum, schismaticum, iniurium xpīanis. Quid igitur tu ante 40 annos, quibus arbitror te theologum esse et monachum, zelum pro Domino exercituum, pro Ecclesia, pro xpīana. religione non suscepisti (17) et tua censura illarum religionum appellationes expunxisti? Quid te nunc movet? Ego nihil dicam nec iudicabo. Tu te interroga, tuam conscientiam scrutare, tuos affectus examina.

Sed vide quid confecisti tua argumentatione. Tuam Praedicatorum iugulasti nomenclaturam. Nam si nomen, quod alioqui est aliis cōe., nos non possumus Societati nostrae attribuere, cur vos proprium Episcoporum nomen et officium usurpatis, ut religio vel ordo dicamini Praedicatorum? Ita Episcopi non erunt per te praedicatores, nec alii sacerdotes, quorum etiam proprium est praedicare, ut constat ex Dionysio [2], tū alii religiosi praedicatores non erunt? At ego, inquis, id non nego. Nec nos alios esse societatis Jesu inficiamur. Alioqui quo spectant nostrae praedicationes, sacramentorum minist.es, nostra exercitia

---

1 *quaternitatis.* NATAL.—*Trinitatis* antea scriptum fuerat, sed perperam, ut patet.

2 S. DIONYSIUS AREOPAGITA. *De ecclesiastica hierarchia.* cc. I et V.

spiritualia, tot labores, tot peregrinationes in (18) Italia, Sicilia, Hispania, Gallia, inter haereticos, inter mahumetanos, iudaeos, idololatras, nisi in societate Jesu illos conservemus, hos ad eam adducamus [1] Nonne commeministi esse nomina, non in humanis tantum sed etiam in divinis, quae cum alias cōīa sint, tamen appropriantur, ut cum amorem dicis S.^{um} S.^{um}, sapientiam Filium? Ita tu dicis nomen esse commune praedicatorum sed appropriatum ordini; cur igitur nobis non licebit idem dicere ac profiteri quod vobis?

Sed redeamus ad tuam collectionem. Duae tantum sunt societates, etc. Ego vero similiter colligo. Nonnisi duae sunt societates, Jesu et diaboli. Ordo praedicatorum est societas. Non est diaboli. Igitur est societas Jesu. Quid potes hic tu negare? Quod si vos estis societas Jesu, quid nos oppugnatis quod illa (19) apell.^{e} utamur?

Sed video quid erres in tuo dilemmate, ubi dicis duas esse tantum societates. Id verum est, si genus dicas utriusque; et hoc quidem est quod Xps. dixit, *qui non est mecum contra me est* [2]. Sin species, falsum est; fuerunt .n. semper permultae societates Jesu speciales in generica illa Jesu Xpi. societate; congregationes .s. multae, monasteria, collegia, capitula, religiones. Age nunc, collige: sunt tantum duae societates generice. Damus. At isti dicuntur et sunt de societate Jesu, reliqui igitur omnes de societate diaboli. Vides ita nihil confici. Nam multi praeterea de societate Jesu universa et sunt et vocantur, et perinde fit ac si ita colligeres: duae tantum sūt civitates, Dei et diaboli. Fratres dominicani sunt de civitate Dei; igitur alii omnes de civitate (20) diaboli.

Sed video te hoc vidisse; propterea addis: isti et tantum isti sunt et nominantur de societate Jesu. Quis tibi hoc persuasit? Quis dixit unquam, quis audivit, ut nos soli simus et vocemur de societate Jesu?

At Societas vocatur Jesu vestra religio, quo nomine universus christianismus a Paulo appellatur. Quare, inquis, vobis arrogatis nomen oībus. christianis commune? Quare tu non animadvertis, frater mi, id esse usurpatissimum in Ecclesia ut

---

[1] Ita NATAL.—Prius scriptum fuerat: *hos conservemus, illos ad eam adducamus.*
[2] MATTH., XII, 30.

commune alioqui nomen certa proprietate ad particularia usurpetur? Religio nonne est nomen omnibus xpīanis. commune? Et tamen religiones et sunt et dicuntur monastica instituta; et quidem similr. lutherani argumentantur ad tollendas religiones monasticas atque tu ad tollendam nostram nomenclaturam. Una, inquiunt, religio xpīana. Quare (21) nulla est monastica. Quid tu his perditissimis hominibus respondebis? Hoc .s.: est una religio xpīana; sed tamen in illa religione particulares religiones sunt, in quibus cultus Deo exhibetur, non ex praeceptis solum petitus, sed e consiliis etiā. evangelicis, et ab his quidem non utcumque sed per vota ab Ecclesia approbata atque consecrata. Recte tu quidem atque ordine. Verum, obsecro te, quid est cur ita tibi non respondes ubi subest scrupulus de nostrae Societatis nomine? Est una quidem societas Xpi. in universum, sub qua particularis quaedam societas Jesu instituta est, quae non sectatur solum quae alii socii Jesu, hoc est xpīani., servare tenentur communi obligatione, sed votis religiose praeterea susceptis, probante ac consecrante Ecclesia, perfectionem evangelicam (22) profitetur, sequi Xpi. vestigia atque Apostolorum desiderat quam fieri poterit proxime ex Dei benignitate singulari ac gratia. Itaque Societas Jesu gaudet ex devotione cognominari. Nam cum constet primum quidem religionem institui et esse quae nomen habeat, unde ab aliis discernatur, accidit .n. quemadmodum vocetur religio ut religio sit, modo .n. grām. accipiat a Deo specialem ad certum vitae institutum, vota edat evangelicorum consiliorum, ab Ecclesia omnia haec probentur ac confirmentur. Haec .s. faciunt spālem. religionem. Et alii quidem ut internoscantur, nomen accipiunt ab institutore ut Augustinienses, alii a loco ut Carthusiani, nonnulli ab officio ut Praedicatores, aliqui [1] ab humilitate ut Minores ac Minimi; haec congregatio, haec (23) societas ab Jesu voluit ex animi devoto affectu appellari, et tamen alioqui, ut quum vocat oēs. Xps. generali quadam vocatione ut tollant crucem suam et ipm. sequantur [2] sociique eius sint, selecte tamen vocat adolescentem ut, venditis rebus omnibus, quas haberet, et in paupe-

---

1 *aliqui.* NATAL.—*Illi* antea legebatur.

2 *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et equatur me.* MATTH., XVI, 24.

res erogatis, se sequeretur [1]; cum item unicuique praeceperit Deus de proximo suo, misit tamen Jesus Apostolos selectos ad oves, quae perierant domus Israel [2], ad omnem praeterea creaturam [3] ut illi lucrifierent animae ejus sanguine divino redemptae; quid esset novi si quis diceret vocare quidem Chrum. omnes ad suam societatem, nos tamen peculiariter? hinc factum esse ut nostram haberemus ra.em congregationis ac si velis religionis (24) illa animi devotione ducti, sive velis hac etiam persuasione, desideravimus ut societas nostra, quae hoc esset instituto, his ministeriis, hoc fine, Jesu Xpo. consecraretur ac dedicaretur, quem toto animo, toto pectore desideraremus sequi. Dedit nomini auctoritatem Summus Pontifex; nos cum gratiarum actione suscepimus, xpīani. omnes boni consulunt, nam si unus aut alter contra sentiunt, non propterea moveri loco res debet; debent .n. hi Papae, Cardinalium, Episcoporum, omnium ordinum auctoritati cedere, atque iure ipso vel essent cogendi ut in eam irent sententiam, vel certe negligendi. Quid, quaeso te, vir optime, in tanto consensu orbis christiani, in tanta veritate ac sinceritate animorum, non potius adiuvas parvulos hos servos tui ordinis sacri ac tuos (25), imo vero omnium hominum servulos dedititios?

At vero dicas: nihil erit igitur unde societas ista vel religio ab aliis religionibus discernatur; nam alii religiosi omnes ista ratione sunt e societate Jesu, hoc est, ex illis, qui cum professione consiliorum evangelicorum Xpm. sequuntur. Audi, Pater mi, facile hoc tibi largior: sunt omnes religiones societates Jesu; non dicuntur tamen; igitur satis nomine ipso discernimur nos; quod vos non usurpatis, nos intimo affectu suscipimus; nam re ipsa et particulari vocatione et instituto satis constat nos ab aliis religionibus esse distinctos. Nomen hoc alia nulla religio agnoscit quo ab aliis discernatur; nos ab apostolica sede accepimus. Quid est quod desideres amplius? Quod si quando fiat ut vobis etiam placeat nomen Societatis (26) Jesu usurpare, tum vero consentaneum erit ut aliquid addamus illi nomenclaturae. Quamquam iam providit Societas ad illa tempora; non enim

---

1 *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me.* MATTH., XIX, 21.

2 *Sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israël.* MATTH., X, 6.

3 *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae* MARC., XVI. 15.

simpliciter usurpamus nomen societatis, sed minimam se vocat societatem Jesu, quod quivis videre potest in constitutionibus passim, et P. Ignatio est illud familiare ut quoties Societatē nominat, in re praesertim gravi, nunquam omittat minimam dicere Societatē. Itaque hoc tempore, quo nulla religio monastica appellatur Societas Jesu, satis eo nomine internoscimur, sive velint isto noīe. appellari, habemus nomen minimae Societatis Jesu quo discernamur. At si scires, vir religiose, unde hanc appellationem appetiit haec minima congregatio, nihil certe dubito quin pro tui ordinis singulari spū. ac charitate, pro tui animi devotione ac candore (27) illam esses summa cordis tui ac spiritus alacritate deosculaturus. Ex animi .n. sntia. et affectu loquor. Ecce coram Jesu Xpo. Dno. nro., nihil nos minus [1] cogitasse quam quae tu suspicaris; non ad superbiam, non ad iniuriam, non ad schisma spectasse, ubi eam appellationem probavimus [2] ac suscepimus. Ceterum, si cui [3] his, quae diximus, non est factum satis, opera Societatis inspiciat, scrutetur, disquirat in his si nihil est superbum, nihil iniurium, nihil schismaticum, opera illa dico inspiciat quae ex professo sunt Societatis ex auctoritate .s. sedis apostolicae, praedicare verbum Dei, sacras litteras interpretari, sacramenta ministrare, doctrinam Xpianam. docere, exercitia spiritualia tradere, in hospitalibus infirmis servire, in carcere vinctos visitare atque iuvare, inimicitias conciliare, et, ut semel dicam, universa opera misericordiae (28) sectari; in his igitur si nihil est quod non sit catholicum, orthodoxum, pium, religiosum, e medio Xpi. evangelio depromptum, iam a suspicione religionis vel etiam appellationis discedat, credat auctoritati Ecclesiae, consensui orbis christiani, operibus: vertat vero stilum in nos potius, si libet, qui socii sumus inutiles, indigni tam eximia gratia, tam singulari vocatione, id plane confitentes, modo nihil laedant Societatis sanctum ac venerabile institutum et nomen. Orent simul nobiscum Deum Patrem et Filium eius Jesum Xpm. ut mittat veros operarios atque efficaces in hanc suam Societatem. Faxit Xps. Jesus ut tam strenui ad hanc militiam mittantur milites, quibus si nos conferamus, videamur esse nihili ac ministerio

---

[1] *minus*, NATAL.—*mitius*, antea.
[2] *probavimus*, NATAL.—*appetivimus*, antea.
[3] *ceterum si cui*, NATAL.—*quod si in*, antea.

Societatis plane indigni. Sed eo regrediar (29) quod volui tibi ex simplicitate cordis mei aperire [1]. Habuit Ignatius singularem quamdam spūs. significationem, unde, concepta excellenti quadam animi devotione [2], totus fuit ut congregatio nostra Societas Jesu appellaretur, qua in re ita erat constanti animo, ut illam appellationem nunquam mutatum iri praedicaret ac semper speraret non solum per apostolicam sedem sed [3] per concilium oecumenicum, si quod foret [4], recipiendam atque confirmandam illam Societatis appellationem.

Haec nunc satis sit significasse et simul satis de censura in appellationem nostrae Societatis dictum sit. Perge vero.

Fo.° 8.° Fa.ª 2.ª

TEXTUS.

Solet tamen totum exercitiorum tempus triginta dierum aut circiter spatio concludi (30). Querria veer y saber cómo de las letras sagradas y de las vidas y spturas. de los sanctos se coje y saca que tpō. de treinta dias baste comunmente para los exercicios spūales. y estoi maravillado como Jesuchrō., mrō. de perfectiō, y los Evangelistas y S.to Pablo con los demas Apóstoles no toparon con exercicios que en tan breve tiempo y con tanta facilidad y con tanta efficaçia bastan para la perfection. .I. Vellem videre et scire quomodo ex sacris litteris et ex vitis et scriptis Sanctorum colligatur et eliciatur triginta dierum tempus satis esse communiter ad exercitia spiritualia, et admiror quod Jesus Chrs., mr. perfectionis, et Evangelistae et S. Paulus cum reliquis Aplīs. non invenerint haec exercitia, quae tam brevi tempore, tanta facilitate, tanta efficacia sunt satis ad perfectionem.

(31). R.

Quid hic tibi displicet? Querría ver y saber, etc. .I. Vellem videre et scire, etc. [5]. Antequam tibi respondeo ad cor, ut spero,

---

1 Post verbum *aperire* scriptum fuerat *Societatem*, quod deletum est, ut videtur, ab ipso P. NATALI.

2 *excellenti quadam animi devotione*, NATAL.—antea vero, *excellenti devotione*.

3 *sed*, a NATALI additum.

4 *si quod foret*, NATAL.—*si quid esset*, antea.

5 Haec verba: *.i. vellem videre et scire*, addita sunt a NATALI.

ego te vicissim rogo: quid si non colligatur vel sacris litteris vel ex Sanctorum [1] etc., continuo fastidies ac repudiabis omnia? Tu igitur nullam traditionem recipies divinam, nullam humanam, quae vel scriptae non sunt vel ex scripto auctoritatem non habent [2]? At traditiones Ecclesia probat ac recipit; lutherani reiiciunt. Omitto quod ab auctoritate agis negative [3]. Verum credo quae sciscitaris non eo te animo facere quod de traditionibus dubites, vel illam argumentis magis probes [4]; sed tua interrogatio tamen eo spectare videtur; itaque non adeo negligenter censeo te argumenta colligere debere, quorum consequens si quis inficietur, nihil amplius habes quod mutire possis.

Sed, age, pm. ego ubi erres id demonstrabo, nec tamen culpa erras, arbitror, tua; nam ignorantiam esse tuam hanc (32) invincibilem facile est credere vel in quam [5] identidem impingis. Dic, obsecro atque obtestor te per Xpm. Jesum, vir doctissime, ubi legisti sufficere exercitia nostra ad perfectionem consequendam? A quo audisti? Indica locum; profer testem. Quid liber Exercitiorum praedicat, quid nos docemus aliud quam per exercitia, disiectis pravis atque inordinatis affectibus, ut se comparet qui se exercet ad inquirendam Dei voluntatem pro statu vitae suae constituendo atque pro animae suae salute procuranda? Nonne in limine ipso exercitiorum hoc legisti? Quorsum itaque prima pars exercitiorum spectat nisi ut a peccatis purgemur? Quorsum examina nisi ut omni custodia cor nostrum observemus? Quid, frequentationem sacramenti confessionis ac sacrosanctae Synaxeos curnam consulimus? Nonne ut veterem hominem subinde repullulantem (33) reprimamus atque ut spiritu mentis nostrae identidem reformemur? Quorsum spectant meditationes vitae Xpi. cum electionibus coniunctae ad statum vitae xpīanae., ex spū. Xpī., ad evangelii normam conformandum? Quid igitur quaerimus per has meditationes nisi ut ne statum vitae temere suscipiamus? Investigamus, vir religiose, qua via nobis ingrediendum sit ut ad perfectionem contendamus, ac semper quoad vita haec sit superstes, conten-

---

[1] Verba item *vel sacris litteris, vel ex Sanctorum,* addidit NATAL.

[2] Haec verba: *quae vel scriptae non sunt vel ex scripto auctoritatem non habent,* addidit NATAL.

[3] *omitto quod ab auctoritate agis negative.* Addita a NATAL.

[4] *vel illam argumentis magis probes.* Additio NATALIS.

[5] *vel in quam,* NATALIS addidit.

damus; donec ubi venerit quod perfectum est, evacuetur quod ex parte est [1], in coelesti gloria. Tantum abest ut per exercitia confirmemus perfectionem acquiri. Quis igitur affirmare potest, qui haec sciat, sufficere exercitia haec ad perfectionem? Quis vero hoc nesciat, qui modo exercitia legerit, nisi qui prudens ac videns nescire velit? Quod si ita (34) arbitratur noster hic censor, cur hoc loco tam fortiter zelum continet? Cur adeo remisse pugnat?

Desidero (inquit) unde haec collegerint scire. Miror quod in haec exercitia Paulus, Evangelistae, reliqui Apostoli, Xps. ipse non incurrat, quae exercitia tam brevi, tanta facilitate, tanta efficacia satis sint ad perfectionem vitae xpīanae. adipiscendam. Hem, in re tam gravi tam agere negligenter! Si ita tibi persuaseras, vir religiose, cur non tu potius colligebas ex sacris litteris, e Sanctorum et litteris et exemplis, unde illud dogma tam alienum, tam erroneum, extirpares? Cur hic non occurrebant tibi atrocia illa iudicia, quibus hac illac soles perfluere, temerarium hoc esse, scandalosum, schismaticum, haereticum? Censes satis esse si ita pugnes adversus haereticam (35) propositionem, ut quasi ignores quemadmodum oppugnes, nihil aliud petas quam unde colligant? Quid si nolint respondere? Esne in illorum sntīam. iturus pedibus? Non equidem arbitror. Quid igitur est cur in illam propositionem non agas severius, quam tamen nostram esse arbitraris? Cur hoc loco te destituit voluntas pugnandi? Id est haud dubie, opinor: non credis erroneum esse illud dogma. Hic vero te ego vicissim possem durius compellere quod erroneam propositionem non internoscas. Nam quid aliud, obsecro, est oscitanter te agere, cui certissimum fuit omnia tam acriter oppugnare quod vero εἰρωνεύεσθαι δοκεῖς τῇ σῇ πατρῴῃ φράσει, et admiraris quod docemus Xpo. non occurrisse. Eodem attinet: non constabat tibi quidnam pronuntiares, propterea ad phrasim hispaniensem appellas; quamquam ille hispanismus plus habere videri (36) potest impietatis quam salis, siquidem ad S.os Apostolos, ad Evangelistas, ad Xpm. ipsum relatus sit; meas quidem aures offendit; nisi propterea fallor quod in hispanico idiomate natus non sum, minusque ad idiotismi nativum genus fortassis penetro.

---

[1] *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Ep. I, ad CORINTH., XIII, 10.

Hos sales, has ironias ad homines usurpa, Pater, ubi si quid plus natus [sic] dicas vel labaris, tuo judicio errabis quidem, sed levis tamen esse poterit ille lapsus. Si quid tamen in Sanctis erres, si quid labaris in Xpo., scelere atque impietate te obstringas necesse est. Sed hoc hactenus.

Ad te redeo ne putes tibi me nihil velle gratificari. Jam respondeo pro tui animi sntia., ut opinor, imo vero respondi iam dudum (nisi me stilus fefellit) sufficienter satis. Demonstravi .n. tibi nihil posse responderi; possisne tu quidem (37) respondere, si quid quis interroget; si nihil, quid potes? At tu nihil nos interrogas; confingis tibi quod ne somniavimus quidem: perfectos nos homines facere 30 diebus. Quaere igitur, investiga, disquire, quis id dicat et perduellionis reum illum hominem nequam trahe [1] in concilium.

Sed vis tibi ut aliud gratificer quod non rogas, quod tamen te imprudentem bona quidem fide adduxit ut de eo interroges quod nusquam est nisi in tua et nonnullorum fortassis phantasia. Videtis multos, postquam se exercuerint nostris meditationibus, adeo ad meliorem vitae frugem converti, ut qui vulgatam xpīanorum. vitam [2] contempletur, hoc est, non quid debeant sed quid faciant xpīani., illos continuo pronuntiet perfectionem assequutos; sic enim vulgus imperitum iudicat, si quis (38) non furetur, non sit ventri ac gulae deditus, non mechus, non maledicus, non blasphemus, si quis non iuret omnino, si frequenter aliquis eluat peccata, purget [3] et nutriat hominem cordis confessione et sacra Eucharistia, dederit sese orationi ac bonis operibus; adde, si libet, si ad nostram vel aliam religionem quis adeat, hunc hominem perfectum statim ac sanctum dicat atque admiretur. Hinc tu quoque fortassis ad vulgi opinionem discessisti; nec immerito quidem id facis, quandoquidem, ut multi loquendum esse, legisti apud Aristotelem, sentiendum ut pauci. Itaque quod vulgus existimat perfectos esse qui e nostris exercitiis emergunt, hoc tu oppugnas; sed tamen cum sapientibus sapis, non propterea quemquam esse perfectum si, abiectis vitiis, ad meliora conetur; non (39) propterea sanctum si quis adeat perfectionis statum, in quo utinam

---

[1] *trahe,* NATAL.—*age,* antea legebatur.
[2] *vitam.* Additum a NATAL.
[3] *purget.* Additum a NATAL.

non fere omnes essemus imperfecti; sed eum esse perfectum dices qui charitatis summae ac divinae virtutis perfectionem consequatur. Haec cum ita sint, operae pretium opinor fore, si constituamus quid tibi fuit interrogandum. Age igitur interroga, verum ut pauci, hoc est, ut sapientes. Unde haec exercitia colligitis? doce [1]. E sacris litteris. Evangelium praedicamus per exercitia. Nam quod dixit Xps. Jesus, ubi mittebat Apostolos, *poenitentiam agite, appropinquabit .n. regnum coelorum* [2], id exercitia praedicant, poenitentiam primum, deinde regnum coelorum ut apprehendant mortales. Pars .n. prima Exercitiorum ad poenitentiam agendam exercet animum; et quidem tam catholice id facit, ut nihil sit (40) quod magis e diametro cum haereticis pugnet, nihil quod vehementius vel efficacius juvare videatur ad contritionem pro dignitate comparandam. Additur confessio generalis ut ἀπαξαπλῶς hoc est semel omnino [3] exuatur homo vetus, novus induatur in Chro.: accedit sacro.ta Eucharistia, quae regnum coelorum conciliat. Quid hactenus non est ex evangelio? num contritio? confessio? num eucharistia? num consilium frequentationis horum sacramentorum? Jam vero 2.ª, 3.ª et 4.ª pars quid aliud quam regnum coelorum vitamque spūs. et merum continent evangelium sacris meditationibus vitae, passionis ac resurrectionis Jesu Xpi.? Hac ratione fit ut 3.es illas vitae spiritualis vias, quas ex evangelio divus Dionysius, ex hoc doctores sacri mutuati sunt, nostris exercitiis repraesentemus purgativam, illuminativam atque (41) unitivam. Initium quidem certe aliquod illarum conamur nostris exercitiis constituere. Interserimus ad haec documenta quaedam, quibus documentis electiones rite ac pie susci piantur. In his spiritus discernuntur varii suis indiciis (ut divus Joannes jubet) [4]; alioqui electiones colliguntur rectae rationis ductu ex vita Xpi. Jesu, ex ecclesiastica disciplina, sanctorumque et doctrina et exemplis, subductis .s. hinc inde rationibus ac collatis ut judicari possit quid prae ceteris eligendum sit, adhibito tamen censore, sicubi vel deceptione spūs.,

---

[1] *doce*, additum a NATAL.

[2] *Euntes autem praedicate: Quia appropinquavit regnum coelorum.* MATTH., X, 7. – *Et exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent.* MARC., VI, 12.—*Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum coelorum.* MATTH., IV, 17.

[3] *omnino*, NATAL.—prius, *animo* legebatur.

[4] *jubet*, additum a NATAL.

vel errore judicii, a via recta esset declinatum erratumve. In his non dubito te nihil [1] habere ubi haereas, atque adeo importunitatis me forsitan argues atque astutiae, qui, quod sciam esse apertum, in eo verser (42) accuratius; quod vero dubium est, cuius explicatio desideratur, illud praetermittam. Obsecro te, vir optime, hoc tibi ne persuadeas; dolo ego id non feci. Volui pedetentim respondere et ea primum dicere, in quibus, etsi nihil est difficile, tamen primum dicta oportuit. Alioqui experire, interroga, verum ut pauci.

Hoc peto: unde colligitis 30 dierum tempus sat esse communiter ad exercitia spiritualia?

Non interrogas, frater mi, ut pauci, sed ut multi. Non enim definimus tempus ad exercitia spiritualia in universum, sed principia tantum ex sacris litteris statuimus, quibus principiis acceptis ad pietatem se possint homines exercere deinceps, vel in religionem, si eam a Deo gratiam accipiant, vel denique in observatione mandatorum, aliquid (43) interim consiliorum evangelicorum adiiciendo. Nam quid agimus nos in nostra societate? [2]. Num, absolutis exercitiis [3] spiritualibus, nihil amplius exercemur? Nae tu [4] aliter diceres, si constitutiones nostras legeres; tam districtam obedientiam, tot probationes, tot poenitentias atque mortificationes si experireris, si tibi tot essent labores insumendi in juvando proximo et instituto Societatis observando. Finem .s. facimus exercitiis spiritualibus universis [5]; si meditationes illas transmittamus, iam rude [6] donandi sumus, iam secure, sine militia xpiana., sine exercitiis spiritualibus vivendum est; iam omnia absolvimus, consummavimus; nihil est praeterea in quo exerceamur. Vide quid tu cogitas tua persuasione. Vide ergo quid nos agamus, quid doceamus (44) et noli ita interrogare, vir optime.

Verum enimvero, ut ne quid amplius sit tibi in interrogationibus laborandum, audi, percurre attente totam annotationem quartam, lege: licet exercitiis sequentibus assignentur quatuor hebdomadae, totidem exercitiorum partibus singulae

---

1 *nihil,* additum a NATAL.
2 *societate,* NATAL.—*religione,* prius.
3 *absolutis exercitis.*—Antea legebatur: *absolutis omnibus exercitiis.*
4 *ne tu.*—Antea, *at ne tu.*
5 *universis,* manu NATALIS exaratum.
6 *rude.* Ita emendatum a NATAL..

singulis respondentes, videlicet: ut in prima hebdomada fiat consideratio de peccatis, in secunda de Dni. nri. Jesu Xpi. vita usque ad ingressum eius in hierusalem die dominica palmarum; in tertia de passione eiusdem; in quarta de resurrectione et ascensione, adiectis tribus orandi modis; non tamen ita accipiendae sunt dictae hebdomadae ut necesse sit unamquamque continere septem vel octo dies. Cum enim contingat alios aliis tardiores vel promptiores esse ad consequendum id (45) quod quaerunt, puta in prima hebdomada contritionem, dolorem et lacrimas de peccatis suis; aliquos etiam plus aut minus agitari probarique variis spiritibus; expedit nonnunquam succidi hebdomadam quamcumque vel extendi iuxta materiae subiectae rationem. Solet tamen totum exercitiorum tempus triginta dierum aut circiter spatio concludi. Vides nos nihil aliud quam certo ordine digerere exercitia et eo quidem ordine, qui necessario ex evangelio servandus est. Partes vero facimus quatuor, quod et ordo postulat et ratio exercitiorum varia exigit; alia enim ratio est meditationum quae ad poenitentiae et virtutem et sacramentum pertinent, alia meditationum vitae, alia passionis (46), alia resurrectionis Xpi. Jesu. Partes appellamus hebdomadas, certo tamen numero dierum illas non donamus. Collige igitur ex praxi arithmeticis per Silicaeum si libet, quatuor hebdomadum exercitiorum nostrorum numerum. Dispone [1] per lineas numerales, traduc lineam, vide ut unitas respondeat unitatibus, deni denis; duc, scribe, age. Dicas [2] me nugas agere, qui iubeam numerum incertum per numerum certum multiplicare. Non ago quidem, frater, verum conare; emerget fortassis numerus aliquis, quem possis articulatim discerpere pro tuo arbitratu; potenter, euge: nihil potes. At ego facile colligo nullum numerum definite dare nos exercitiis. Nihil est igitur quod propter in suspicionem veniat (47) tibi tricenarius numerus, qui a nobis quidem non praescribitur, sed experientia comperitur in eum numerum dierum plus minus nostra haec exercitia concludi, quae .s. necessum est aliquando concludi. Quod igitur nostrum est, tu non oppugnas, divisiones exercitiorum, quatuor partes, numerum incertum; certitudinem nu-

---

[1] *dispone,* NATAL.—Prius legere erat: *dicas dispone.*
[2] *Dicas,* additit NATAL.

meri, quae solet accidere, quae nostra certe non est, id tu ferre non potes. Quare vide unde illa proficiscatur. Inscribas illis hominibus dicam grandem.

Iam si quem moveat quod dicamus paucis diebus consequi posse per exercitia quae expetimus, contritionem primum, deinde in vita, passione ac resurrectione, vitae Xpi. Jesu devotionem, electionem praeterea status vitae posse paucis diebus constitui (48), animadvertat (quaeso) quam facile ad hoc respondeam. Paucioribus diebus confirmo adquiri posse contritionem, item devotionem, quam solemus nos requirere; nam quis est qui certum tempus dicat necessarium ad contritionem et devotionem, et non potius adhibita diligenti cura dicit: *nihil mihi conscius sum sed in hoc justificatus non sum*[1]? Nisi velis homines in scrupulos infinitos coniicere. Nos igitur haec observamus, per paedagogum exercitiorum censemus, ubi satis sit futurum ut contritio acquisita saltem constet. Idem judicium adhibemus ad devotionem meditationum aliarum, vel ne leviter sibi qui exercetur satisfaciat, neve [2] in inquietudinem alioquin rapiatur scrupulorum, vel omnino in luxum quemdam ne abeat contemplationis et ad (49) solam delectationem spectet, non etiam referat fructum; breviter, ut innumeri errores, qui inter orandum et meditandum accidere solent, emendentur, id curamus [3]. Ceterum, si quis longius vult progredi, facile illi non dies solum paucos praeterea demus, sed universam aetatem ut orationi dedat, modo cum sale id faciat et meminerit semper summam esse judicatam virtutem discretionem a sanctis patribus. De electionibus vero sic accipe: nullum omnino nos illis tempus definire, sed tantum praescribimus meditationes ac documenta, quibus possit qui exercetur se comparare ad electionem rite atque providenter tractandam ac Dei inspirationem investigandam, sive ea selecta accidat et cui contradicere homo non possit, quod (50), tametsi rarum est, fuit tamen in Apostolis et in aliis item potest, non est .n. manus Domini abbreviata, sive ex discretione variorum spirituum, sive ex recta ratione. Accipimus vero ad haec omnia tempus, pro rerum ipsarum

---

1 *Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.* 1 CORINTH., XV, 4.

2 *neve,* NATAL.—*ne,* antea scriptum fuerat.

3 *id curamus,* addidit NATAL.

atque hominum conditione ac natura, non certum sed ut ratio ex spiritu dictat indefinitum.

Ad finem specto; sed antequam hoc facio, tibi rem faciam (ut confido) gratissimam liberaliter; vel certe pulicem tibi in aurem concludam. Tu arbitraris ad certum numerum dierum nostra exercitia exigi, ad tempus .s. 4.or hebdomadum. Monstravi ego nihil nos minus cogitasse; sed finge tamen id nos dicere quod negamus, ut si nihil aliud, certe falsa persuasione gaudeas et habeas quod oppugnas, et nos (51) videamus quam valenter illud facias. En triginta dies damus exercitiis; nihil aliud. Cur id non possumus ex pio affectu in annos triginta vitae Xpi., ex privilegiis numeri tricenarii Divi Gregorii celeberrimi et perfecti, post trigesimum diem ad Assuerum adeamus, indigni quidem, sed e sceptro divinae bonitatis misericordiam sperantes? Ad haec quot numerorum praeconia sacer Hieronymus praedicat! 3 numeros nos in exercitiis usurpamus: 7, 4, 30. Contemplare, obsecro, eorum privilegia. 7 designat tres personas et quatuor relationes divinas, paternitatem, filiationem, spirationem activam, tum passivam; in Xpo. essentiam, filiationem, spirationem activam; corpus, animan, unionem, totum Xpm. Omitto celebritatem septimi in veteri (52) testamento et novo, unde intelligamus omnia fluere ex superiori significatione numeri septimi, ad illam omnia tendere, per virtutes tamen septem, tum per 7 sacramenta. Contemplare, quaeso, paululum ex superioribus numeri septimi fecunditatem divinam ac maiestatem. Ego quidem 7.m numerum audiens totus animo recreor. Iam 4. nonne indicat nomen Dei τετραγράμματον [1], tetragrammatum יהוה Jehova in quo nomine sub quatuor illis elementis admiranda est significatio ac summi mysterii indicatio? iod י .n. principium significat; *he* ה hoc; *vau* ו et; rursum *he* ה hoc; quasi Deum significet, qui hoc et hoc sit principium, vel huius et huius principium, ut duplicem emanationem intelligamus simul, trinitatem personarum, in nomine (53), quod essentiale est et concretum et nulli in sacris unquam donatum praeterquam uni ac vero Deo. Hinc magno mysterio factum est ut postquam innuit Deus in principio geneseos pluritatem qui-

---

[1] Hoc vocabulum graece et latine, ipsius NATALIS manu exaratum legitur. Idem etiam scripsit caetera, quae passim graecis hebraicisve characteribus signata per totam hanc lucubrationem reperiuntur.

dem personarum, ubi nomine Dei *elohim* אלהים numeri pluralis singulari verbo conjungit ברשית ברא אלהים; statim 2. ca. significet trinitatem et conjungat fere יהוה cum אלהים toto ca. Adde quod quatuor evangeliis, quatuor evangelistis christiana fides atque lex tradita est. Postremo tricenarius numerus τὴν ὑπεράγαθην καὶ ὑπερούσιον trinitatem [1] significat καὶ ὑπέρθεον [2]: simul legem Dei, ducto 3: in 30 [3]. Magna crede mihi est contemplatio horum numerorum, magna devotio, magnus fructus. Quid si hoc pio ac sancto affectu persuasi (54) illis numeris alligaremus exercitia? Parumne putas utilitatis ex illorum numerorum significatione nobis esse referendum? Neque .n. censeo numerum πυθαγορικῶς pythagorice vim continere abstractam .s. sed cum significatione conjunctam magnam arbitror obtinere. Quod si haec tibi sunt difficilia, lege sacras litteras quoties certus dierum numerus praescribitur poenitentiae, jejunio, praeparationi ad verbum Dei audiendum. *Quae tamen scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* [4]. Ad haec Ecclesia suis solemnitatibus atque invocationibus Sanctorum ac venerationibus nunquam non dat certum numerum dierum: semper certum numerum ieiuniorum praecipit, vigiliarum, 4.or temporum, 40.mae Quid Ecclesiam dico? Nonne Xps. 40. dies dedit ieiunio? Quid (55) si quis in eo numero collocet devotionem, 40 dies ut ieiunet et oret, etiamne ibi suspicaberis? Quid? Certum numerum dierum in sepulchro cur delegit chrus? Quorsum 40 ante ascensionem? Quare 10 ante s. s.ti missionem? Si ad certum numerum definire sacras functiones per te non licet?

Quae hactenus dixi, satis esse arbitror ut tibi de certo numero satisfiat, et iam tibi ingrata esse quae dico coniicio; sed audi, obsecro, paucula patienter et ad coronidem venio. Video, frater mi, Ecclesiam, ubi donum aliquod a Deo promereri postulat, misericordiam expetit, calamitatem avertere deprecatur, certum numerum dierum praestituere ad ieiunia, ad orationes, ad eleemosynas, ad visitationes ecclesiarum, quibus expectat

---

1 Ita NATAL.—Prius vero haec legebantur: *postremo triginta vide: hic* [numerus] *complectitur summam rerum omnium.*

2 Haec tria epitheta, quae SS. Trinitati applicat P. Natalis, ex D. Dionysio Areopagita desumpta videntur, qui iam ab initio Mysticae Theologiae his verbis SS. Trinitatem invocat: Τριὰς ὑπερούσιε, καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε, κ. τ. λ.

3 Id est, si numerus 10, qui est numerus decalogi, ter ducatur, tricesimus habebitur.

4 *Quaecumque enim scripta sunt...* Ep. ad ROM., XV, 4.

Deum sibi fore propitium. Hoc quidem solemne est (56) in iubilaeo atque aliis indulgentiis, quae summa romanae Ecclesiae benignitate conceduntur fidelibus. Eodem et illud spectat quod Sancti annuam probationem spiritus in monasteriis praefinierint distinctissime, quo elapso, censetur legitime satis esse probatus novitius atque idoneus qui professus sit; itaque nisi reclamet, solo temporis elapsu professus omnino est. Animadvertis, vir doctissime, quantus usus in Ecclesia numerorum, etiam definite; quibus numeris sacrae actiones, functiones, praeparationes, orationes transiguntur? Et tamen nullus ex his quidquam suspicari potest; aude tu [1]. Quocirca, si ita nos diceremus: 30 diebus transigimus nostra exercitia spiritualia, his meditationibus nobis Deum fore propitium speramus; quid posses, vir bone, oppugnare? (57) Quoties tu certo numero missarum, certis diebus vel orationis, vel ieiuniorum, vel flagellationis, quoties tuo consilio multi iussi sunt bono esse animo, bonae spei pleni esse, ad gratiam aliquam consequendam a Deo optimo max. Quam est hoc inter religiosos vulgatum, imo fere coïter. receptum ut triginta missae celebrentur pro defunctis, 3 de trinitate, 7 de septem gaudiis, quibus certum proventum pollicemur ex devotione numeri, non quidem pythagorice, sed ut res complectitur sacras! quare nihil est, crede mihi, quod te offendere debeat certus numerus, quem tamen nos nunquam praescribimus; iam ego nihil addo; aes alienum tibi persolvi, respondi ad cor, ut confido, rem tibi gratam feci ut de certitudine (58) numeri dicerem et fortassis scrupulum tibi aliquem inieci. Nihil de his amplius. Ad alia progrediamur.

(59) Fo.° 10.° Fa.e 2.ª
Considerat.e 11.ª

TEXT.

Exercenti se in prima hebdomada expedit nescire quid in secunda sit acturus. Falsum est et prudentiae contrarium quod scientia eorum, quae ad perfectionem requiruntur, perfectionis acquisitionem impediat. Est praeterea superstitiosum et vanum

---

[1] Post verba *aude tu*, legebatur *cave*, quod deletum est.

perfectionis acquisitionem in ignorantia et nescientia eorum, quae ad perfectionem conferunt, statuere atque collocare.

R.

Tametsi hactenus ego tibi nihil credidi, ut vides, neque id iniuria, opinor, pace tua dixerim, hac tamen censura in animum induxi meum tibi ut fidem adhibeam atque experiar quorsum evadam tua prudentia fretus. Quapropter (60) animadverte, obsecro te, quo me ducas. Evoca ad consilium omnes prudentiae partes, memoriam, intellectum, docilitatem, solertiam, rationem, providentiam, circumspectionem, cautionem; nam nisi me recta ad orationem ejusque fructus dirigas, nihil erit amplius quod speres ut tibi quidquam in his censuris credam, vel omnino ut te consulam. Si .n. in re trita ac provulgata tuae me fidei committēs errem, quid putas erit mihi animi ut tuo consilio nitar de cetero in re gravi atque difficili? Quid igitur censes? Vellem me meditationibus spiritualibus dies aliquot exercere. Quibus? His, quae tradi solent a presbyteris Societatis Jesu. Apage hinc. Nihil respondeo. Quam tu mihi narras Societatem, quaenam exercitia? Nihil audio; reiice (61) hinc istas novitates. Ah, ne succenseas quaeso, pater mi, ex condicto enim loquor, non quaero tuum suffragium pro nomine Societatis neque pro exercitiis ipsis, sed consilium peto; si me exercitiis dedam, non dico Societatis sed tuis, si tibi ita collibitum est; demus .n. tibi haec nostra tua ut sint, quid mihi agendum sit, hoc postulo [1]. Age, dicam, ausculta. Primum meditandum arbitror circa finem ipsum ultimum, Deum optimum maximum, unde totius consilii ratio proficiscitur, unde omnes pendeant meditationes, quo omnia dirigantur, simul quorsum creaturas creaverit Deus, hinc quemadmodum illis utendum sit. Porro ad contritionem serio contendendum est, et primum oratio adhibenda praeparatoria, deinde duo praeludia, 3. praeterea puncta, primum ut exerceas potentias tuas, memoriam, intellectum ac voluntatem circa (62) peccatum Luciferi, unde colligas contritionem tuorum peccatorum, facta collatione tui, tuorum paccatorum, poenae quam es commeritus, ad Luciferum, ad illius peccatum, ad poenam; per colloquium postremo convertere quam poteris devotissime ad Xpm. pro te in cruce pendentem, contemplare

---

[1] *hoc postulo,* additum a NATAL.

quid pro te ille sit passus, animadverte vicissim quid tu pro illius honore ac gloria egeris, imo vero quid ad illius ignominiam ac opprobrium feceris: tu illum spinis coronasti; tu illum crudelissimis flagellis concidisti; tu in crucem truculentissime egisti; tu clavis confixisti, tu morte turpissima, quod in te fuit, condemnasti: connitere hinc fructum referre ad confusionem cordis tui et contritionem peccatorum comparandam. Rursum alia rā [1] meditare (63) ut peccatorum contritionem [2] adipiscaris; orationem praemitte, adde praeludia duo, puncta adhuc tria: primum sic habet: revoca in memoriam curriculum universae vitae tuae, distingue per aetates, per domicilia, per officia quibus functus es, per negotia; ausculta, pater mi.

Jam nimium sunt multa, quae hactenus audivi; non potero memoria complecti omnia; nihil amplius addas, quaeso te.

Audi vero, fili mi, verba prudentum et quasi stimulos in cor tuum infige. Adhuc pro secundo puncto considerabis quanta sit foeditas, quanta nequitia singulorum peccatorum; pro 3.° quisnam tu sis. Non possum, pater, amplius ferre tantam rerum congeriem. Atqui, fili mi, prudentia est ut nihil ignores eorum, quae ad perfectionem (64) ducunt, si velis ad illam aspirare; oportet addiscentem credere; patienter igitur audi. Imo vero impatienter ego audio. Accedes dein ad 4. locum; ibi contemplaberis qualis sit Deus, quem offendisti, collatis illius infinita virtute atque perfectione cum extremis tuis vitiis et defectibus. Hinc necessario ex incredibili quadam admiratione evades in exclamationem vehementem quod angeli te irae atque furoris divini administri in baratrum inferni praecipitem non dederint; quod in te coelum, ignis, aër, aqua, terra, omnia animantia, creatura omnis, vindictam pro zelo domini exercituum non exercuerint. Colloquio concludes meditationem, quo colloquio ad Deum te intimo cordis affectu convertens, ejus misericordiam infinitam extolles (65), simul gratias ages quod te a tantis periculis indignissimum eripuerit. Huc adde repetitiones. Quibus obruis me, pater, plane; itaque ne impatienter quidem audiam; non si h.° biduo sim evasurus quam tu es perfectior vel etiam doctior. Quid? tu censes me ca-

---

[1] *comparandam. Rursum alia ratione meditare,* NATAL.—Prius vero ita scriptum erat: *comparandam, rursum alia meditare.*

[2] Post verbum *contritionem, tibi,* deletum est.

pitis esse adamantini? non possum, obsecro te, pater mi, non possum ad tam multa simul attendere; tantum abest ut devote meditari possim pro dignitate; minor enim fio ad singula, ubi attentius ad rerum multitudinem abstrahor. Et quidem ad hanc sententiam accedit D. Thomas, ubi disputat simul plura intelligi non posse, quod interpretantur vestri, nisi id fiat per modum unius. Sint igitur pauca atque distincta et quae per modum unius facile possint apprehendi ut intelligere illa possim. Alia .n. non solum ignorabo et nesciam, sed ne intelligere quidem potero; nam quid tu magis ignorare diceris (66) quam illa quae assequi atque intellectu complecti nequeas? Quocirca veniam mihi dabis, pater, si tibi nunc non credam; sed tamen nullum esto praeiudicium si in reliquis dixeris commodius. Vides, opinor, pater mi, pro tua prudentia quam sit necessarium sensim pedetentimque exercitia dispensare, et nos ita proloqui. Pleniorem tamen causam tibi aperiam: hactenus .n. quasi ludens tecum agere volui; ne temere nos ita praescribere existimes, et fiet spero ut scrupulo, qui te male habet, leveris [1]. Ut .n. in ordinem digessimus exercitia universa et partes quatuor fecimus ut commeministi, atque his apposite interseruimus electiones, ita curavimus in Xpo. Jesu ut quam fieri posset et attentissime et devotissime transigeretur, quo maior fructus et certior emanaret divino munere et serio orationi opera insumeretur; nam quid miramur si fructum orationis vel meditationis non referimus, qui quae ad corporis vel valetudinem vel ornatum, vel (67) omnino ad [2] commoditates attinent, tam procuramus anxie, tam sollicite, tam efficaciter; quae vero animae vires, decorem, salutem conciliant atque tuentur, adeo negligenter agimus, adeo somnolenter, adeo repugnanter, ut contemptus ille esse videatur orationis, non oratio. Itaque cum permultae sunt, quae orbem xpianum. misere exagitant, calamitates, tum illa est inter primas quod tanta sit verae orationis ignorantia, tam desidiosa orationis exercitia. Quapropter dicam ingenue et confitebor gratiam Xpi. Jesu in

---

[1] A verbis *Vides opinor,* usque ad verbum *leveris,* NATALIS calamo cuncta scripta sunt. En verba ab ipso deleta quae ibi antea legebantur: *Verum ne quis arbitretur me temere haec vel arroganter proloqui, paucis tibi et quid nos dicamus aperiam, et qui te male habet scrupulum σὺν χριςῳ ego eximam.*

[2] Addita est a NATALI haec particula *ad.*

hanc nostram minimam congregationem τῆς φιλευγήας [sic] non novum quidem sed antiquum, neque [1] in exercitiis ego neque in Societate universa quidquam video, quod novae sit gratiae, sed renovatio haec est antiquae et perpetuae gratiae in Christi Ecclesia. Excitat [2] .n. nos Deus (68) pro sua infinita bonitate atque mia. et iuvat [3] ut serio ea adhibeamus, ac diligenter ac vere, quibus adhibitis gratiam illam [4] suam pollicitus est orationis [5], non nobis solum sed plane ōibus [6]; non .n. personarum est acceptio apud Deum. Cur non omnes igitur eam accipiunt? Quod fidelis non sit Deus? Quod promissa non servet? sdum. hēm. dico: absit a saeculo, absit. Quid igitur est causae quod omnes veram orationem non assequantur, in veram frugem poenitentiae non evadant, non vere ad spūs. normam reformentur? Quod media .s. non apponant, quibus mediis poenitentiam, salutem, orationis donum, breviter, vitam aeternam daturum se esse pollicitus est aeternus Pater; alii sola fide nituntur infideliter, alii suae derelictioni phantasticae; verum (69) hi haeretici sunt; nihil verius. Quid qui catholici sunt? Omnes serio spiritui dant operam, omnes spiritus vim sentiunt, omnes poenitentiae dant operam, omnes orationis experimenta spiritualia et spiritualem illam frugem [7] noverunt? Magna harum rerum penuria est, magna ignorantia, ut saepe videar audire, quod Paulo responsum est: *neque si spiritus est audivimus* [8]; ita oblita sunt spūalia. exercitia, sensus experimenta, probationes, quibus tam sunt foecundae sacrae litterae singulari [9] Dei benefficio ac gratia, ut fides fundamentum esse videatur rerum omnium, quae ex revelatione tenemus. Spiritualis vero sensus et experientia, quae per dona Dei conciliantur, ornamenta fidei esse, cibus animi, et potus atque nutritio quaedam dulcissima, quam nutritionem (70) et docuit Dominus quotidie postulare a Patre coelesti et in ejus quoque desiderio beatitudinem constare demonstravit. Haec est igitur gratia, quam in So-

---

1 Graecas voces et quae sequuntur usque ad *antiquum*, addidit NATALIS.
2 *excitat*, NATAL.—*iuvat*, antea.
3 *iuvat*, NATAL.—*excitat*, prius legebatur.
4 *illam*, additio NATALIS.
5 *orationis*, adjecit NATAL.
6 *plane oĩbus*, NATAL.
7 *et spiritualem illam frugem*, addita a NATAL.
8 *Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus*. ACT. APOST., XIX, 2.
9 *singulari scilicet Dei benignitate*, legebatur antea.

cietate accepimus ut vere militiam xpianam. capessamus, fidem exerceamus, spem, dona, fructus, beatitudines, virtutes omnes, charitatem imprimis, *quod vinculum est perfectionis* [1], per quam operantur in vitam aeternam virtutes omnes; ad haec opera tum praeceptorum, tum consiliorum, ut exerceamus ex illis virtutibus, ex charitate in primis promanantia in Xpo. Jesu, per quem nobis propitius est Deus omnipotens, trinus et unus noster; haec si instanter agamus, si serio, si vere nihil addubitamus quin nobis quam pollicitus est Deus gratiam suam in hac fluxili (71) vita multiformem, vitam praeterea in coelesti patria sempiternam. Haec igitur sunt quibus accepta referimus in Xpo. Jesu si quae ad melioris vitae xpianae. fructum spectare videntur, vel in nobis vel in his, qui exercitia nostra egerunt, quae tamen in nobis certo simus esse supra quam dici potest de nra. culpa ac miseria imperfectissima. Ad perfectionem certe quidem bono ac vivaci animo aspiramus, simul hanc in omnibus et desideramus impensius et procuramus, Xpo. Jesu auctore et duce, diligentius; neque vero miror ego cur hae renovationes spiritus in his, qui vere ac serio spiritualiter sese exercent, proveniant; miror magis quod aliis item non proveniant omnibus quae copiose clementissimus pater noster coelestis omnibus praeparavit (72) *et dat affluenter et nihil quidquam improperat* [2]. Quod si quis est qui adhuc haereat et non facile adduci possit ut exercitiis credat ac meditationibus spiritualibus, obsecror et obtestor ego hunc hominem per Xpum. Jesum ut se ipse exerceat; sed serio, diligenter, constanter, vere, si non nostris his minimis exercitiis, at quibusvis, modo ab Xpi. evangelio (ut nostra) desumptis. Nisi hic eumdem spiritum ac renovationem vitae referat, nihil recuso quin in me exempla omnia edantur ac poenae, quae in hominem flagitiosissimum et infligi solent ac possunt. Sed eo regredior unde zelus orationis ac rerum spiritualium me abduxit paululum; curavimus igitur ut serio ac vere exercitia spiritus tractarentur; scimus 4. partes exercitiorum esse diversas, tum rerum (73) meditatione, tum sensu spiritus, tum etiam fructu; nam alia ratio est ubi de peccato agis atque contritione, alia cum vitā Xpi. meditaris, alia si passio-

---

[1] *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ep. ad COLOSS., III, 14.
[2] *qui dat omnibus affluenter, et non improperat.* Ep. S. JAC., I, 5.

nem ac mortem, alia denique quando resurrectionē atque ascensionem contemplaris. Totum igitur animum, totam intentionē, totū cor consulto damus operam ut colligat qui exercetur, primum ad contritionem, atque eo tempore procuramus ut nihil sciat eorum, quae secundo loco est meditaturus, ne. s. de intellectus ac cordis distract.e interturbetur meditatio, et sint plures muscae abigendae quam quae alioqui, utinam non tam importune, cordis collectionem et unionem impeterent atque unguēti suavitatē corrumperent. Non satis .s. sunt tam [1] multa quae orationem impediunt, nisi etiam, si chro. placet, qui illa (74) curat omnibus artibus abigere, quasi sui oblitus, nova ingerat discrimina atque impedimenta. Clauso igitur est ostio orandum atque meditandum, et intra cordis cubiculum nihil contrarium, nihil varium, nihil alienum, nihil diversum, retinendum est, quoad ejus fieri cum Jesu gra. poterit. Ita collecta mente, spū., corde, fructus meditationis elucescet et uberrimus et suavissimus, nisi forte id arbitraris, vir optime, fructum orationis atque meditationis esse [2] in scientia rerum collocandum, et illum uberiorem orat.em habere qui ex illa [3] plura intelligat. At nos qui fructum orat.is, meditat.is, contemplat.is, in voluntate ejusque operationibus constituimus, neque qui plura intelligit eum magis profecisse ex meditatione censemus, sed (75) qui sensum maiorem spūs. ac cordis retulit, eum sapienter versatum in oratione intelligimus. Neque tamen [4] si fructus praecipuus orationis in illustratione solius intellectus consisteret, propterea essent variae atque diversae meditat.es simul inculcandae [5]. Quid .n., nonne tu consulis cui multa sunt meditanda, sepositis reliquis et ab intellectus et volūtatis conspectu remotis, in eo toto animo ut versetur, quod primo loco meditandum est? Nonne hoc docet ecclesiastes: *tempus*, inquit [6], etc.? Nonne hoc agit ecclesia ubi tota est in contemplatione, celebrat.e, oratione eorum [7], quae ad poenitentiam et jejuniū vel ad passionem, vel ad resurrect.em (tu

---

1 *tam*, additum a NATAL.
2 *esse*, additum a NATAL.
3 *ex illa*, additum a NATAL.
4 *neque tamen*, NATAL.—*neque vero*, antea.
5 *simul inculcandae*, NATAL.—*simul nihil inculcandae*, antea.
6 ECCLESIASTES, III, 2 et seq.
7 *eorum*, additum a NATAL.

percurre cetera) attinent? Nisi forte jubeas tu ut mores mutet ecclia. sta., et ubi fervet memoria, contempl.° (76), oratio, celebritas passionis Xpi. Jesu, obtrudas tu tuam prudentiam! Ad perfectionem, ad fructum orationis necessum esse ut omnia sciantur, tractentur, agantur! Itaque simul praecipias agi, meditari, celebrari de Xpi. resurrectione et nativitate [1], etc. Jam Divum Thomam si consulas, ex praeclara prudentiae parte circumspectione nrum. consilium confirmabis necessario. Circumspecte enim agere tibi videbimur, si pensatis quae ad fructum medit.is conferre possunt, quaeve obturbare atque impedire, viam expediamus [2], qua via brevius et facilius atque unitius ad finem desideratum pervenire possint qui exercentur. Sunt et aliae partes prudentiae, quas [3] si sequaris, ad idem te consilium ducent facillime, quo fit ut suspicari quispiam (77) non injuria possit te tui esse Thomae oblitum dum illa scriberes, vel pass.e aliqua motum vel adeo suspicione, neque aliunde tuam illam censuram concipere potuisse. Nam quid dicis? Falsum est et prudentiae contrarium quod scientia eorum, quae ad perfectionem requiruntur, perfectionis acquisit.em impediant. Vide, tuam collectionem dialectice, si tibi placeat, explicabo. Perfectio conciliatur per haec exercitia; quae vero ad perfectionē consequendam faciunt, qui nesciat, is perfectionem non consequitur: quare etc. Vide quorsum evadat tuum quare fallor *(sic)* nisi ut nihil concludas. Nam quo illa spectant? Ad universas .s. meditationes et exercitia, quibus adipiscenda esset perfectio; ea si ignores nihil permoveas: conspice iam quid oppugnes. Nos (78) et non dicimus adquiri per exercitia perfectionem, et ad eum fructum quo aspiramus per exercitia, quas delegimus meditationes, eas totis exercitiis tradimus, ut nihil tandem ignoretur eorum, quae accõmodare ad has meditationes instituimus; sed ordine id facimus ac pedetentim, circumspecte ac caute. Quod si velis omnia primo die explicari, et facies quidem importune, et necessario boni erit tibi consulendum [4] ut postquam omnia scierint, reliqua

---

[1] *et nativitate*, additum a NATAL.

[2] *atque impedire, viam expediamus*, additum a NATAL.

[3] *prudentiae, quas*, NATAL.—*prudentiae caute quas*, antea.

[4] Ita NATALIS.—Antea vero haec periodus ita contexta erat: *Quod si velis omnia primo die explicari, necessario boni consules ut postquam*, etc.

seponant vel pro non dictis reputent, vel si possint etiam obliviscantur, et tota cogitat.e , sensu, animo, in singulis versentur meditationibus. Quod si facias vides quantum tumultum excitas in meditationes, quas turbas, quantas difficultates [1]. Caeterum nescio [2] an suspicione ducar de te: videris .n. ab ignorantia [3] abhorrere, ubi de oratione agitur; at si scires, optime pater, quantum boni habeat; quantum spiritus sancta ac docta in oratione ignorantia, quam (79) sit plena lucis, quam plena suavitatis et sapientiae, aliter te dicturum fuisse certo scio. Compendio igitur, quae ad hanc rem occurrunt, indicabo; iam .n. prolixius in hanc censuram [incumbo], quam constitueram vel fuerat opus, et viro loquor alioqui prudenti et docto. Reiice hinc primum sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum [4] amove, quas Deus reprobavit. Quod principium statuis christianae scientiae? nonne fidem? Ad fidem vero, inquit Thomas, non pertinet eorum cognitio, quae creduntur: [Q.] 171, art. 3., 2.a 2.ae Itaque argumentum est fides non apparentium [5]; vide interim ut hoc loco obliviscaris theologiam esse scientiam, vel si id non potes, ut ne obliviscaris ita esse subalternatam cuius subalternantes habere pro hac vita non possis; itaque (80) eodem res redit, atque si scientia non esset; siquidem coniunctionem, in hoc vitae statu, eius cum Dei et beatorum theologia non assequimur: quid autem spes? quid charitas? quae ipsa summa est virtus; quid habent cognitionis, per quas ne intelligere quidem possis? ad voluntatem enim hae virtutes spectant, per quam intelligere nihil possis, sed appetere solum ac velle; et tamen in charitatis perfectione consistit xpiana. perfectio: unde facile intelligas principia xpianae. religionis in cognitione non collocari: quo fit ut si quis scire aliquid vere velit, is nescire primum habeat; et quo plus nesciat, suumque intellectum abneget in fidei, spei ac charitatis operationes atque obed.am, eo maiorem lucem, maiorē cognitionē (81) sit inventurus: et si velis aequo animo accipere, quae tu sapis,

---

1 A verbis *Quod si* usque ad *difficultates,* a P. Natali omnia addita sunt.

2 *nescio,* additum a NATAL.

3 *ab ignorantia abhorrere,* NATAL.—*ab ignorantia multum abhorrere,* antea.

4 *perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Ep. 1, ad CORINTH., I, 19.

5 *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ep. ad HEBR., XI, 1.

intelligis, scis, omnia theologice e fide pendere necessum est, quoc.[a] non est tua cognitione sed aliena, at divina; est haec ignoratio et maior ōi. scientia, et ego quidem hoc ipsum tibi conor persuadere ut credas. Ad hanc igitur rationem dulcissimi sunt fructus in contemplatione ex quadam quasi rerum oiūm. ignorantia et quasi caligine, unde effulgeat lux illustrissima: nam quae maior est cognitio quam ubi [1] nihil sensus, intellectus nihil consequi potest, atque supra se suumque captum dono divinae illustrat.[is] levatur? In his totus est divinus Dionysius [2]: hanc quam saepe Paulus apostolus ignorantiam praedicat sanctam [3] ac luculentam; et quidem (82) ubi summam habuit revelationem ut Deum quoque viderit, quid ad se reversus dixit? *nescio, Deus scit, vidi Arcana quae non licet homini fari* [4]. Faxit Jesus ut doctam hanc ignorantiam xpianae. contemplationis omnes theologi assequeremur, et non humani solum essemus theologi plerique omnes, ac sola virtute nostri intellectus theologicos habitus menti nostrae infarciremus: tametsi sic habet humana conditio, tn. etiam Dei optimi maximi voluntas haec iubet ut nostris utamur potentiis, sed ita tamen ut saliamus semper nostros humanos discursus, etiam qui ex fide proficiscuntur, humilitate et nostri intellectus mortif.[e] et abnegatione; ut ubi maxime intelligimus, ibi maxime sentiamus (83) nos nihil intelligere, et ignorasse multa nimis profiteamur. Unum hoc dicam et nihil quidquam amplius. Utinam tibi hoc persuasisses utilē esse ignorantiam humilem, et in nostris exercitiis noluisses ostendere quam esses peritus! nae, tu melius tibi [5] et iis omnibus, qui ex tuis censuris forsitam iudicia [6] exercuerunt in exercitia, melius consuluisses. Sed haec hactenus: Euge quid amplius.

---

[1] *ubi*, additum a NATAL.

[2] *divinus Dionysius*, additum a NATAL.

[3] *sanctam*, NATAL.—*sanam*, antea.

[4] *sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit.... audivit arcana verba quae non licet homini loqui*. Ep. II. ad CORINTH., XII, 3, 4.

[5] *nae, tu melius tibi*, NATAL.—*ut tu melius et tibi*, antea.

[6] *iudicia*, NATAL.—*vindictam*, antea.

(84) Ibidem Consid. 12.

TEX.

In quotidiano quolibet exercitio ex quinque infra describendis expēdi debet unius horae tempus et nihil minus. Ut patet intuentibus vane atque superstitiose fidere videtur in hac temporis mensura ad perfectionis acquisitionem, hoc .n. tempus pro varia hominum conditione alteri molestum, alteri aptum erit.

R.

Occidit tua me cambre repetita; jam tibi millies dictum, proclamatum, expositum est, nos principia quaerere per exercitia ad perfect.^{em}, non statuere in illis perfectionem velle; quid igitur, bone pater, nos enecas, et quasi aliud nihil habeas quod obtrudas odiose inculcas identidem nos (85) reponere in exercitiis, polliceri, dare perfectionem? Non est ita, o bone, non est; iam si posthac id audes mutire ego tibi nihil respondeo: ut ne aliud addam, ac si mihi ita fuerit collibitum, ego te ad tuum priorem deferam de tua importunitate ut tibi poenitentiam in pleno refectorio impingat. Sed quid praeterea addis, patet intuentibus: quibus? num Papae? qui legitime apostolica auctoritate exercitia approbavit? num Cardinali Compostellano? Urbis inquisitori? Vicario romano? Magrō. sacri Palatii? qui magistratus exercitia suis suffragiis illustrarunt [1]: tot viris tum primariis, tum doctissimis qui per exercitia non mediocriter sese profecisse profitentur? quibus tandem? iam scio: iis patet intuentibus [2] (86), qui tuo speculo in exercitia intuentur, credo facile : σὲ ὸ' ἥται ὥσπερ κατοπτριζόμενον τάς μελέτας ταύτας σκοτικῶς φεναχίζειν οἷς εἶ ὸυνατός. Deme [3] preiudicia quae e sellula tua adducis, animi aversionem, suspicionem perpetuam, quibus indigniss.^{e} abuteris, quae te, crede mihi, traducent apud viros bonos et doctos; fiet statim ut et tu dilucide veritatem conspicias, et qui tuis oculis in exercitia hactenus inspexerunt, veritatem itē agnoscant; quod si hoc quod subjudicavi non est, quid est quod tu cum paucis aliter intueris

---

[1] *qui Magistratus exercitia,* NATAL.—*Magistratus, qui exercitia,* antea.

[2] In fine pagellae 85 haec leguntur verba: *igr. patet intuentibus....* quibus Natalis hujus loci emendationem incoeperat, nec tamen perfecit.

[3] *Deme,* additum a NATALI.

haec exercitia, aliter Sedes Apostolica et clarissimi (87) eccliae. Romanae magistratus? jam illud est porro quod tuam vicem doleo: quid tibi est, pater mi, cum Romano, immo vero cum universae ecclesiae orthodoxae, Pontifice maximo? cū gravissimis illis magistratibus? cur summum Ecclesiae parentem vanitatis atque adeo superstitionis [1] insimulas? Minime, inquis, gentium ego istud conari queam: ne falso me accuses, obsecro. Non accuso te, frater mi, non accuso; judico tantum si quid bona fide forsitan tibi excidit imprudentius, id ut animadvertas, atque si ita visum fuerit, revoces; nam si tam est omnibus obvium, tam apertum, vana esse atque superstitiosa exercitia, quam tu (quasi omnibus hominibus promulgatum axioma) sumis atque statuis, qui illa confirmat, nonne sentis eum (88) te levitatis atque stultitiae cōdemnare, et quasi extra sensum cōem constituere? Verum haec tu videris, illud nos agamus. Expone quo pacto colligis vane atque superstitiose videri nos fidere hac temporis mensura perfectionem conficiendam: patet, inquis, intuentibus. Heus tu, vir doctiss.e apud quos tandem agere [2] arbitraris? quibus de rebus? adversus quos? agis apud eos, qui ubi tam conspicuā animi tui aversionem ab exercitiis nostris viderint te tua voluntate concepisse, nihil tibi quidquam, nisi fortissime confirmes, crediderint: dicis de rebus summis et quae ad fidem catholicam cum pertineant, aliam auctoritatem requirunt quam tuam (ne illud addam) et de quibus male sibi consulere videri poterit, si quis sola sua auctoritate innixus (89) statuit; postremo adversus quos censoriam virgam exerces? nēpe eos, qui etsi tibi in rebus omnibus facile et benevole cedant, tamen et xpīāni. et religiosi sunt, tum etiam permulti ex iis doctores qui et sacras Litteras legunt, in sanctis doctoribus versantur, ac Thomam tuum et unice venerantur inter scholasticos scriptores et diligenter evolvunt, ut facile credere possis, intelligere Societatem quae tu intelligis, et si quid usquam esset, quod tuam trutinam [3] formidaret, nos olim illud fuisse deprehensuros; at patet intuentibus, scis [4] quo pacto, amove hinc quod falsum esse tam saepe tibi commonstratum est, polliceri nos illa mensura temporis per-

---

1 *superstitionis*, NATAL.—*stultitiae*, prius.
2 *agere*, additum a NATAL.
3 *trutinam*, NATALIS manu scriptum.
4 *scis*, id.

fectionem ut omnino totis exercitiis: vide quid sit reliquum; consulere [1] nos ut nihil minus una hora dent (90) singulis exercitiis, qui serio et studiose exerceri volunt; si qui autem vel non ita idonei censentur ad exercitia, vel quibus alioqui non vacat, iis dimidiam horam praescribimus, providemus circumspecte (spero) ut ne causa detur inconstantiae. Ubi enim nihil habeas temporis praescripti, ibi nullibi pedem figas: semper ad finem spectare te instiget humani ,cordis infirmitas ut etiam insidiator κακοδαίμων: et hoc vide, pater, non definimus circumcise tempus, sed ad minimum terminamus pro hominum conditione quod tu ipse vis: alteri inquis horā fore molestam, aliis consentaneā, si quis vero ad horam adiicere quidquam velit, nihil intercedimus, quin etiam boni consulimus; quod si hora tibi non placet ac ne dimidiata quidem, circumscribas tu tuo arbitratu tempus (91) aliquod quo se dedant meditationi, qui exercentur; si aliquod statuas, adversus illud ego de tua censura agam; sin nullum, sed suo quemque arbitratui permittas, praeterquam quod locum dabis oscitantiae atque inconstantiae ac daemonum insidiis, hoc ipsum ad superstitionem spectare videretur diligentius intuentibus, ab illis .s. absque causa rebus abhorrere, quae in communi ecclesiae usu versantur; nam horis suis decantandis definit tempus varium ecclesia, ut quum certum et psalmorum numerum et orationum praestituit certis mensuris decantandum per sacerdotes, certum tempus poenitentiae; et in religionibus solemne est ut certum praescribatur tempus orationibus non solum vocalibus sed mentalibus quoque, tū flagellationibus; neque vero haec adduco quod ea te putem praeterire (92) sed in memoriam revoco, si forte ubi videas, tuam revoces sententiam. Alia est rursum tua argumentatio animadvertenda qua conficis patere intuentibus vane atque superstitiose nos in horam illam spem collocare: alteri, inquis, hoc tempus molestum, alteri aptum erit: concedamus in tuā opinionem, erit nonnunquam alicui illud tempus molestum: fitne continuo ut superstitiosum id sit? erit [2] igitur simul superstitiosa oīs poenitentia et satisfactio, siquidem molesta ut plurimum ea est, ut quae [3] necessario

---

[1] ante verbum *consulere, expedire* antea scriptum erat, quod deletum fuit.
[2] *erit,* a NATALI scriptum loco alterius vocabuli deleti.
[3] *ut quae*, NATAL.—*semper id quod,* antea.

est poenae inflictio [1]; nam etiam si molestam esse continget aliquando illam temporis intercapedinem, vide tamen quot illinc cōmoda proficiscantur: primum state ac perseveranter oratur, dein meritum in patientia comparatur, rursum vincitur tentatio atque illusio (93), per quam saepenumero ingeritur illa molestia, atque denuo elucescit consolatio: breviter, prolixius in actū latriae incumbitur, aspiratur eo [2] quidem certe: postremo, nunquam ego te credam praeter tuas horas canonicas non habere tempus aliquod sepositum ac definitum [3] quod orationi mentali ac contemplationi largiaris, atque illud nisi ob necessariā aliquin proximi subventionē vel obedientiae ltīmae. occupationem nulla ratione sis intermissurus, nec propterea superstitiosū ego te vel vanum esse existimabo; par igitur tu (quaeso te) nobis referto, quod nobis iucundum sit et tibi felix faustumque; sed hic nihil est quod amplius occupemur: ad reliqua.

(94) Fo. 11. fa. 2.—Consid.e 15.

TEX.

Tradens exercitia non debet alterū impellere ad paupertatem et promissionem eius; magisque ad oppositum, nec ad hoc potius quam ad illud institutum vitae, quia licet extra exercitia licitum sit; longe tamen convenientius meliusque inter exercitia ipsa id non attendere, sed Dei potius voluntatem quaerere ac praestolari, donec ipse Creator ac Dnus. noster animae sibi devotae sese communicet; quapropter dictanti exercitia standum est in quodam aequilibrio, sinendumque ut citra medium, Creator ipse cum creatura, et haec vicisim cum illo rem transígat.

Esta letra manifiesta y claramente contiene y afirma y enseña una proposition temeraria, scandalosa, y heretica, y es que entretanto que dura el tpō de los exer.os, no tiene lugar la predication ni el (95) predicador para persuadir que entre muchos bienes se haga la election de uno dellos en particular: cierta.te

---

1 *inflictio; nam,* NATAL.—antea vero, *inflictio et quidem nam,* legebatur.
2 *eo,* additum a NATAL.
3 *definitum,* NATAL.—*destinatum,* antea.

es neg.° de admiration que la predication y persuasion que es licita, y santa fuera del tiempo de los exer.os no sea licita, ni se permitta durando y corriendo el tiempo dellos, que a my veer esta doctrina clara y abiertam.te es de dexados, y alūbrados, pues que postpuesto y dexado todo lo spto. y pospuesta y dexada toda la enseñança y doctrina que por vivas voces dan los buenos y sabios, se remittē, rinden, entregan y dexan a lo que el spū. y dios dixere alla en lo secreto del alma, y si esta doctrina no es de dexados y alūbrados querria ver una que fuese dellos para cotejarla con esta, y ver q.ta destançia ay de la una a la otra.

Litera haec manifeste et clare (96) continet et affirmat et docet propositionem quandam temerariam, scandalosam, et haereticam; videlicet, durante exercitior. tempore non habet locum praedicatio nec concionator ad persuadendum, ut inter multa bona electio alicuius fiat in particulari. Certe est res mirabilis quod praedicatio et persuasio quae extra tempus exercitior. licita et sancta est, non sit licita nec permittatur durante et currente illor. tempore. Nam meo iudicio doctrina haec clare et aperte relictor. et illuminator. est, siquidē posthabitis et omissis omnibus, quae scripta sūt, ac postposita et relicta omni instruct.e et doctrina, quam viva voce boni et sapientes homines docent, isti sese iis, quae spūs et Deus dixerit illis in intimo cordis cōmittunt, dedunt, tradūt, derelinquunt: quod si doctrina haec relictor. et illuminator. non est (97), vellem videre aliquam, quae illor. esset, ut cum hac illam conferrem, et quantum inter utramque distet cernerem.

R.

Levia fuerunt tibi superiora, opinor, huc totus zelus concurrit, hic accenditur, hoc est crimen atrocissimū, hic derelictio toletana negari non potest; itaque facunde hoc loco agis in sententia proferenda: quid est quod statim friges? quod tam est sterilis et ieiuna confirmatio; nisi id est fortassis quod deprehēdat quispiam abundas affectu adversus misera exercitia, argumentis non item; nam quid tibi vis, bone frater, cū proposueris contextum illum manifestare esse temerariū, scandalosum, haereticum quod tantum admiratione id confirmes quae prodit esse supra captum tuum, causam esse (98) occultam et aliquid praeterea in re latere quod videatur esse repugnans, quid tu hinc

colligere vel debes vel potes, etiam natura duce (quam tu tam saepe adducis, atque utinam apposite id faceres), nisi, quod philosophi, ut dubitares, praeceptorem investigares, philosophareris? quid hic dicas duplicem esse admirat.em, hanc devotionis, illam infidelitatis, utra igitur harum te permovet? ego quidem certe devotionis credo atque amore veritatis te duci, sed simul infidelitas quaedam te sollicitat opinor; nam illi Ignatio nō credis, nō his exercitiis, utraque igitur admiratione agis, sed diversa ratione tamen.

Verum vide quemadmodum agas, rursum confingis quod oppugnes. Nos dicimus "non debet, etc. Longe est convenientius ac melius.„ Tu nobis (99) adscribis quod locum non habeat, quod licitum non sit, non permittatur; cur, quaeso te, verba nostra aliorsum interpretaris et in invidiam vocas? At ego ita cogitabam (inquies) vos dicere, non dicitans tn., frater mi. Age igitur hoc dicimus, "non debet„ etc. quod explicamus, "longe convenientius est.„ etc. Quis est tam rigide theologus qui hoc dicat esse temerarium, scandalosū, haereticum? Sed audi (obsecro) quorsum spectent, quae tu hoc loco tam oppugnas truculenter. Attinent exercitia fere ad statum vitae eligendum, illa tn. non una ratione cuivis tradimus; nam si qui sint, qui vel non possint aspirare, vel idonei alioqui non sint ad statum perfectionis, vel iam statum illum elegerunt ubivis religionum, his electiones non damus, sed alias solum meditationes; qui (100) vero dubii sunt animo, vel qui apti alioqui, desidiosi tamen sunt et iuvari volunt [1], his tradimus. Quocirca si quis vel praedicatione sapientis hominis, vel consilio ad religionem vergit, hic nihil est quod ad electiones recurrat; scit .n. voluntatem Dei, in ea nihil esse quod dubitare possit : confirmet quae recte atque ordine constituit; det operam cum divina gratia ut illa impleat, quae animo concepit, vel voto; plenus bonae spei militiam spiritus capessat. Alii iuvandi [2] sunt electionum documentis, purgandus primum est animus, ut veritatem sinceram videre possint. Nam etiamsi sincera veritas intelligi quoque a malis possit, speculative illud est scire, non etiam practice, non corde et affectu; non enim quaerimus ut sciamus viam

---

1 *desidiosi tn. sunt et iuvari volunt,* NATAL.—*negligunt,* antea.
2 *Alii iuvandi,* NATAL.—*Alii vero iuvandi,* antea.

qua nobis (101) ad coelum contendendum sit, sed simul ut et sciamus et velimus ingredi et fortiter ingrediamur; purgato animo igitur disquirenda veritas; sed ubi tandem nisi in vita Xpi. Jesu! adhibitis meditationibus ad elect.es accommodatis! Hic petitur a Xpo. gratia, quaeritur, pulsatur [1], expectatur, quod undique clamat Scriptura. At tu vis in mediam orationē (si Xpo. placet) ut irrumpat praedicator (de ordine fortassis tuo) atque interpellet ne adeo accipiat immediate gratiam, sed per praedicatoris tui ministerium. Vide quorsū tua censura evadat. Nonne nosti, vir religiose, quid sit oratio? iam ubi oras, consulis ne homines, an Deū deprecaris? quid igitur iubes? ut confundantur spirituales actiones et nihil fiat pro dignitate? oras Deum? expecta a Deo gratiam, sic tamen ut illum non tentes; sed vide (102) quantum abest ut Deum nos tentemus in electionibus; media adhibemus omnia; divina, sacri evangelii medit.e; ecclesiastica, ut qui probatas adimus ab Ecclesia meditationes; humana, qui nulli demus electiones, ac ne exercitia quidem ulla sine instructore, ad quem necessum est qui exercetur ut referat quaecumque in meditatione sibi contigerint; omnes motiones spiritus utriusque, omnes rationes, argumenta omnia, breviter quicquid ex meditatione colligit ad illū refert ut censeat sicubi erret vel labatur, atque ad viam revocet vel sustineat. Quid igitur hic desideras? quid petis? ut audiat praedicatorem! ubinam? in media oratione? tollis orationem, tollis influxum Dei, interpellas gratiam! Vis tibi amice dicam ac libere? Si ita tu oras, nescis orare, frater. At ubi? ante orationem? Hoc (103) explicatum superius est et explosum. Post orationem? ut habeat praedicatorem? habet non praedicatorem tantum et consultorem, sed censorem et judicem: quid tu, si te consulat atque oret quispiam de re spirituali: tu ea de re cum illo serio agas, intercurrat alius item praesentatus, vel adeo magister et suum intrudere velit consilium: quid de illo dicas? importunum esse fratrem, qui interturbet spiritualia consilia atque actiones; ita ne censes? recte tu quidem facis; et id loquitur Paulus epla. I ad Cor., 14 cap. Quod igitur tibi nolis fieri ne feceris proximo. Heu me miserum! quid dico proximo? Deo oīpotenti [2] ne

---

[1] *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis.* MATTH., VII, 7.

[2] *oīpotenti*, NATAL.—*Optimo Max.°*, antea.

feceris, bone frater. Sine ut animam iuvet Deus, illustret, consoletur, animet: permitte ut loquatur sponsus ad sponsam, ut (104) *audiat quid loquatur Dominus Deus* [1]; ne releges, obsecro te, ad Synagogam, in desertum, ubi nolebant homines durae cervicis Deum sed Moysen videre; at christiani *accessimus ad montem Syon, ad civitatem Dei viventis* [2] etc., nisi forte non ad omnes loquitur Paulus, et impossibilia sunt quae loquitur Deus. Absit a saeculo, absit. At error contingit in his, propterea adhibemus instructorem, de quo tam multa in primis annotationibus praescribimus, et hoc in primis ut ad Deum referantur, quae aguntur, transiguntur in exercitiis, omnia. Et vide qua fide tecum ago: per vestrum Thomam (imo vero et nostrum et oīum) nemo est consulendus ubi quis definierit de statu religionis assumendo, et recte quidem vir san.mus quid igitur? si quis sua sponte et fortassis temere elegerit (105) religionis statum, is nihil consulere debet? qui ex sacris meditationibus vitae Christi, ex longa oratione, post purgatam conscientiam, eligat religionem, damnabitur is temeritatis, scandali, haereseos si praedicatorem non consulat? at nos tamen damus praedicatorem et consultorem, non qui impediat, si quid recte atque ordine ex orōne collectum sit atque definitum, sed qui censeat si temere, si illusione spūs., si malo aliquo affectu impellente definiatur. At .n. ita decepti sunt derelicti toletani. Ne me eneces, obsecro te: sunt illi decepti illusione spiritus qui sese in angelum lucis solet transformare, sunt et alii haeretici ita decepti; at nos non decipimur per Jesu xpi. grām. Oportuit te hoc conficere, decipi nos. Verum ego luculenter monstravi omnia a nobis media interponi ne Deum (106) tentare videamur; illi nihil mediorum apponebant, quasi vellent Deū ipsum pro suo arbitratu ad suam orationis rationem et derelictionem compellere. Qui igitur colligis similiter facere nos atque illos? Quod si nihil aliud tu requiris ut aliquem damnes haereseos, nisi quod aliqua de re tractet, qua in re errarunt haeretici, iam te ipsum facis haereticum, et quem non? Nam fidem iustificare hominem inculcant haeretici: addunt solam: quam saepe tu praedicas fidem iustificare? Iam continuo haereticus es. At dicas, addunt hae-

---

[1] *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus:* Ps. LXXXIV, 9.

[2] *accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis*, Ep. ad HEBR., XII, 22.

retici, solam, ego non addo. Nihil audio: satis est te dicere quod haeretici dicunt. Quoties in oratione expectas aliquid a Deo, solum Deum consulis: hic quoque haereticus es toletanus, nam ita dicunt derelicti. Atqui aliquid illi addunt, qua in re deprehenditur haeresis: ego illud non dico. Nihil refert (107): sat est si aliquid dicas quod derelicti: haereticus es. Dicunt haeretici fidendum esse passioni Christi, Christi meritum extollendum: quid tu? nonne tu idem facis semper? quare haereticus es. Atqui illud haeretici dicunt Lutherani; excludunt siquidem meritum nostrum. Ego id non dico. Nihil interest, modo aliquid dicas quod haeretici. At vero id quod ego dico catholicum est. Nihil promoves; sat est si dicas quocū haeretici aliquid addunt haereseos. Vides quoties conficis te esse haereticum? Obmutesce igitur in his omnibus, in quae offendunt haeretici, nam quid tibi agendum censes ubi in sermonem incidas, quo sermone necessum sit vel utile futurum ut de iis ipsis rebus loquaris, in quibus errant haeretici; dicas ita illis de rebus loquendum, ita agendum temperate, ita condite, ut refutare videamur haereses non ad illas (108) sensim delabi vel connivere. Recte tu quidem. Sed vide obsecro id nos et totis exercitiis praestamus, ut superius expositum est, et postremis regulis exercitiorum sancimus illustrissime, ubi agimus quemadmodum cum Ecclesia hierarchica sentiendum sit. Caeterum totum Societatis institutum in hoc versatur, atque pro virili cum Jesu Xpi. gratia in hoc incumbit ut prodat atque extirpet, quoad ejus fieri ab ipsa possit, haereticos homines atque infideles, et in primis qui nostra aetate oblatrant Ecclīae lutheranos, tum etiam derelictos hispanos, illos vera spiritus luce atque efficacia sincera ac firma unione ad Ecclīam romanam cum veris disciplinis coniuncta, hos vero etiam si obscure sunt haeretici, si qui tamen residui sint, veritate orationis ac sincero usu rerum spiritualium, tum rerum oīum, quae (109) spiritum iuvare possint, quod in ultima constitutionum parte praeclare sancit Societas; est et aliud hominū genus, qui vel doctrina Societatis vel certe exemplo proficiet, qui totos sese sic speculationi immergunt, ut nihil devotioni, nihil spiritui, nihil spūalibus sensibus quidquam relinquant, quo possint ad illa penetrare ubi debeant pedem ponere; quod si in aliis disciplinis tractandis spiritus desideratur, quis agnoscat theologum, qui speculative

tantum theologus sit, et non corde ac sensu spiritus intelligat quae intelligit omnia? At hoc rarum est; fuit tamen in Ecclesia frequentissimum, et debet quidem esse usitatissimum quod ubique loquitur scriptura, quod [1] sancti praedicant, hanc rationem theologandi etiam si nos qui in Societate vivimus non assequamur, nostrum tamen illud est institutum, eo aspiramus (110), illuc contendimus; nonnihil nobis per Jesu Xpi. gratiam lucis ad hanc rationem studiorum incipit interlucere, in aliis vero religionibus non dubium quin permulti sint qui devotionem ac spiritus sensum cum speculatione coniungāt. Nostrum hoc est desiderium, haec studiorum ratio. Nullum arbitror scrupulum esse residuum, qui te urgeat, si ad superiora advertisti, nihil esse amplius quod admireris. Adde igitur colophonem: quid inquit? quid est e placitis derelictorum, si hoc non est? Addam et ego vicissim coronidem: sed quid illud est: "que pospuesto y dexado todo lo scripto y doctrina que por vivas vozes de los buenos y sabios se remittē y rindē, entreguē y dexen á lo que l' spū y Dios dixere allá en lo secreto del alma.„ Obtundis, o homo quis relinquit scripta? quis doctrinam? (111) quis consilium? meditamur in vita Xpi.; doctrinam sequimur ab Ecclīā probatam; consultorem habemus praesto; quid tibi vis? possumusne magis hic facere quam facimus? ego quidem non assequor: quid petas, quo spectes, nisi consultor tu noster esse velis et doctor a quo doceamur in electionibus, quem consulamus. At nos nolumus te consulere, neque doceri abs te desideramus; non .n. intelligis exercitia, pace tua dixerim; obsecro igitur dede te exercitiis spiritualibus non oppugnandis sed experiundis; exerce te paululum meditationibus ac [2] contemplationibus, si non nostris, at similibus; ad orationem te applica; ad spiritum te collige; nae tu aliter de nostris exercitiis loquaris, si ita te compares. Vis tu paululum audire, et ne verbum ultra. Rogas, si doctrina illa non ē derelictor. quaenam sit? ausculta, et (112) ista, quam nobis indigne ascribis, derelictorum est, et nostra non est, et tua est. Nonne qui, relictis aliis, quae vel ex fide, vel ex ecclesiastica doctrina, vel ex recta ratione colligere potest, et usurpare debet, Deum sibi esse propitium et

---

[1] *quod,* additum a NATAL.
[2] *ac,* adjecit NATAL.

suum falso pollicetur, is derelictus est? Atqui tua haec eadē ratio est, et quidem totis his censuris perpetua; Deum tibi credis esse propitium, tua argumenta fulcire, mentem illustrare, ut veritatem et videas et facias palam adversus istius Ignatii exercitia; negligis tamen media, quae necessaria sunt ut veritatem istam assequaris, intelligere exercitia, nihil nobis imponere, reverentiam ad sedem apostolicam adducere, nihil suspicionis adhibere; non tam agere violenter, non tam atrociter ut nihil sit tibi non haereticum, affectum animi (113) temperare; omitto alia id genus plurima, quae tibi quidem omittenda non fuerant; haec igitur, quae necess.° adducenda erant non adducis, tn. certo tibi adesse Deum et [1] tuis censuris arbitraris; quare tuo iudicio derelictus es. Ego tamen meliora de te et credo et polliceor: verū obsecro, frater mi, vide quemadmodum loquaris de cetero, nam tua te huc verba compellunt ac trudunt.

(114) Fo. 16 fa. i.

TEX.

Debemus absque differentia nos habere erga res creatas oēs, prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt et non prohibitae.

Haec assertio est in primis contra sacras litteras; nam inter res creatas sunt hae tres: divitiae, paupertas, victui necessaria; at sacrae lrāe non docent nec dicunt quod indifferenter nos habeamus ad has tres res, sed potius oppositum, videlicet, quod differenter ad haec tria nos habeamus, puta illud Proverb. 31, *paupertatem et divitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria* [2]; et illud Pauli, *habentes victum, et quibus tegamur, his contenti simus* [3]. Praeterea 2.°, haec assertio est contra legem naturalem homini insitam, quae non indifferēter ad res omnes creatas inclinat et manuducit, sed cum differentia; nam (115) lege naturali differenter inclina-

---

[1] *et*, NATAL.—*in*, antea.

[2] *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* PROVERB. CXXX, 8.

[3] *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Ep. I. ad TIMOTH., VI, 8.

mur, et secluso tempore praecepti, ad diligendum amicum et benefaciendum illi, et ad diligendum illum, qui non est amicus, et benefaciendum illi. Item lege et inclinatione naturali non indifferenter sed differenter (utpote), magis ferimur ad diligendum nos ipsos nostrosque consanguineos atque cognatos, quam extraneos: item et lege naturali non indifferenter ducimur ad proprium esse et vivere, ad famam, honorem et divitias. Constat autem quod ista omnia sunt res creatae; est igitur praedicta assertio contra legem naturalem homini insitam. Praeterea 3.° haec assertio est contra conditionem et habilitatem nālem rerum creatarum, nam non omnes aeque differenter, sed potius multum differenter (116) sese habent ad hominis utilitatem, ut constat, si ex una parte, exempli gratia, sumas coelos, elementa, terrae fructus, ex alia autem parte accipias muscas, pulices, ciniphes, noctuas, vespertiliones, etc.: ergo non indifferenter sese habere debet homo ad res creatas omnes, sed potius cum quadā differentia. Praeterea haec assertio non deducitur nec deduci potest ex principio ibidem posito, nisi in virtute unius propositionis tacitae et subintellectae, quae et falsa est et contra legem nālem, quae quidem propositio talis est, omnes res creatae indifferenter se habent ad utilitatem hominis, nec una differentius, nec magis quam alia confert ad hominis cōmodum. Ut iste sit integer syllogismus ibidem factus, omnia supra terram sita creata sunt hominis ipsius causa (117), ut eum ad finem suae creationis iuvent prosequendum: sed omnia huius mundi creata indifferenter et aeque indifferenter sunt creata, gratia hominis, et indifferenter et aeque indifferenter iuvant hominem: ergo debemus nos absque differentia habere ad res creatas omnes.

Praeterea praedicta assertio est contra naturalem conditionem et proprietatem charitatis, quae non indifferenter, sed potius differenter et ordine quodam, inclinat ad diligibilia sedulo tempore praecepti.

Ibidem.

TEX.

Quod in nobis est, non quaeramus sanitatē magis quam aegritudinem.

Hoc est contra legem naturalem et contra communem hominum inclinationem, qua feruntur ad amandam salutem (118) et procurandam, et fugiendam infirmitatem, nec naturae conditor in hac re venit reprehendendus, quod scilicet homini talem legem et inclinat.em natural.r indiderit.

Item, quia sanitas magis confert ad iuvandum hominem ad finem suum quam infirmitas; ergo falsa est assertio, scilicet, "quod in nobis est non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem„, imo e contrario, quod in nobis est, magis quaeramus sanitatem quam aegritudinem, postquam magis confert; consequentia et illatio haec notissima est; antecedens autem patet duplici medio: p.° ex eo quod Deus potius sanū fecerit hominem quam infirmū; 2.°, quia sanitas de per se, aut quantum in se est, confert ad hominis utilitatem; infirmitas vero dūtaxat per accidens. Item, .s., posita assertio reprobatur; quia si, quod in nobis est, non quaeramus (119) sanitatem magis quam aegritudinem; ergo quod in nobis est non magis sumamus sana, id est, sanitatem causantia vel conservantia quam infirma, id est, infirmitatem causantia seu conservantia; et per consequens, quod in nobis est, non magis sumamus vitam dantia quam mortem conferentia: haec autem, quis audeat asserere? Item, si, quod in nobis est, non quaeramus magis sanitatem quam aegritudinem; ergo, quod in nobis est, non quaeramus magis corporis et membror. eius atque organor. integritatem, quam eorundem mutilationem. Consequens et est turpissimum et contra communem animi susceptionem.

Ibidem.

TEX.

Quod in nobis est, honorem contemptui non praeferamus.

Crediderim hoc in loco honoris nomine (120) et famam nomenque bonum comprehendi, ac proinde haec assertio est contra legem nālem et communem hominum inclinationem; praeterea est contra illud ecclesiast. 42. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi et magni* [1]; et Prover. 22 dicitur *melius est nomen bonum quam divitiae multae* [2] *et quam unguenta praetiosa* [3]. Praeterea prima assertio est contra illud: *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te* [4], que fué menester que Dios primero honrrasse y esclariciese y afamase á su hijo y lo levantasse y sacase del desprecio y ignominia de la pasion y muerte, para que la doctrina, que dexaba sembrada y para sembrar, tuviese eficacia y fuese en gloria y honrra de su padre; hoc est. Nam opus fuit Deum patrem (121) honorare et clarificare ac fama clarum reddere filium suum et exaltare, necnon e contemptu ac ignominia passionis ac mortis eripere, ut doctrina, quam seminaverat, et seminandam reliquerat, efficaciam haberet essetque in gloriam et honorem patris.

R.

Libet hoc loco tn. duobus proximis qui huius sunt appendices corollarie experiri (bona gratia quod fiat tua) stylus scholasticus quid gratiae habet, quidve efficaciae, qui mihi quoque in deliciis fuit aliquando; ἡμεῖς μὲν γὰρ καὶ ἐν διατριβαῖς, καὶ διαλέξεσι ταῖς ἐν τῇ τῶν θεολόγων ἀκαδημίᾳ κεκράγαμεν τε καὶ συλλελογίσμεθα ποτὲ, καὶ ἐβαρβαρίσαμεν ἀφθόνως. Scholastice igitur (122) nunc dicam; quod si non satis assequor scholasticam dictionem, tu me admone, pater mi; sequar igitur modum scholae parisiensis, matris meae; videlicet primum declarabo et probabo nostram conclusionem; et

---

[1] ECCLI., XLI, 15.

[2] *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae: super argentum et aurum gratia bona.* PROV. XXII, 1.

[3] *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.* ECCLE., VII, 2.

[4] *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te:* JOAN., XVII, 1.

postea respondebo ad tua argumenta. Conclusio nostra est haec: "quapropter debemus absque differentia„, etc., quam ita declaramus: notanter dicimus *quapropter*, quia haec conclusio sequitur ex superioribus, ut probabimus: dicimus *debemus*, moraliter accipiendo, et ut dicat ly *debemus* debitum ex consilio, non debitum ex praecepto, quia omnia exercitia nostra quodammodo ad consilium pertinent, ut est manifestum; et ita consequens est quod nos non intelligimus peccare illum, qui non utitur hac indifferentia, sed melius facere illum, qui illa utitur ad exercitiorum finem (123), qui est deliberare de statu vitae assumendo. Dicimus praeterea *absque differentia nos habere circa res creatas omnes;* quod sic intelligimus, ut uniamus voluntatem nostram ad Deum benedictum et ad fundamentum, quod inmediate ante posuimus, et ita egrediamur ad creaturas omnes, non amando illas vel eligendo, nec e contrario, nisi ex voluntate et beneplacito et amore Dei; dicimus "absque differentia...„

Hisce verbis codex, quem prae manibus habemus, finem huic refutationi imponit, eam mancam, ut apparet, relinquendo.

INDEX ONOMASTICUS PERSONARUM

A

Abbas Clarae Vallis, mox totius Ordinis Cisterciensis, Vide Souchière.
Abbas Italae, Vide Vega, Antonius de.
Abbas Liciensis seu Laetiensis, Vide Blosius.
Abbas Methymnae Campi, Vide Rivera et Morejon.
Abbas S. Eliae Troynensis et simul S. Mariae Roccadiae, 203.
Abbas Vallisoleti, Vide Villarroël.
Abbatis Vallisoleti Vicarius, 314.
Abraham, 504.
Abulensis Episcopus, Vide Alaba et Esquivel.
Acciae Episcopus, Vide Affatato.
Acebedo, P. Gaspar de, 345.
Acebedo, P. Ignatius de, 409, 478.
Acebedo et Zúñiga, Alphonsus de, Comes de Monterrey (Montis Regii), 72; 400, 438.
Achillis, P. Paulus de, Panormitani Collegii S. J. Rector, 190, 207, 209, 212-214, 219-221, 224, 231, 233, 237, 238.
Acosta, Antonius de, 305.
Acosta, Bernardinus de, 305.
Acosta, Christophorus de, 305.
Acosta, Hieronymus de, 305.
Acosta, Jacobus de, 305.
Acosta, Josephus de, 305, 314.
Acquaviva, P. Claudius, 170.
Adjacii Episcopus, Vide Bernardi.
Adler (Adlerus), Jonas, 239, 240.
Adriaenssens (Adriani), P. Adrianus, 13, 263, 272, 273, 275-285.
Adriani, Joannes Baptista, 26, 57.
Adriensis (Rovigo) Episcopus, Vide Rangone.
Aërius Cacil, Ternatensis Rex, 490.
Aethiopiae Patriarcha, Vide Nuñez, P. Joannes.
Aethiopiae Rex, Vide Lebna Denguil.
Affatato, Petrus, Episcopus Acciae, 88.
Aguilera, P. Emmanuel, 28, 198-200, 203, 205, 206, 213, 216, 217, 221, 225, 229, 230.
Alaba et Esquivel, Didacus de, Abulensis Episcopus, 311.
Albertus, scholast. florent., 59.
Albertus III, Bavariae Dux, 261.
Albornoz (in textu Alburnoz), Aegidius, Cardinalis, 225.
Alborum confraternitas, Neapoli, 181, 187.
Alburquerque, Joannes, O. S. Fr., Goënsis (seu Indiae) Episcopus, 497.
Alcazar, P. Bartholomaeus, 325, 336.
Alcazeba (alias Alchazeva), Petrus de, 491, 492, 496.
Aldenardus, Mag. Jacobus, 20.
Alegambe, P. Philippus, 34, 150, 153, 175.
Alencastre, Joannes de, Dux de Aveiro, 14, 354, 393.
Aleriae Episcopus, Vide Pallavicini, Petrus Franciscus.
Alexander, Franciscus, 199.
Alexandriae Patriarcha, 484.
Algarbiorum Episcopus, Vide Alva.
Alighieri, Dante, 156.
Allerding (Alerdingius, Allerdingius, Alardingius), 270.
Almazan, I Marchio de, Vide Hurtado de Mendoza.
Aloysius, sacerdos quidam Bononiae, 132.
Alphonsus, Mag , hispanus, 215.
Alva, Julianus de, Algarbiorum et Portalegrensis Episcopus, 389, 406, 415, 432.
Alvaradus, frater e Societate ejectus, 63, 178.
Alvarez, Antonius, 415
Alvarez, P. Emmanuel, 394, 395.
Alvarez, Ferdinandus, 320, 366.
Alvarez, Gabriel, 131, 372.
Alvarez, P. Gundisalvus, 4 8.
Alvarez, P. Joannes, 305.

Alvarez, Nonius, 425.
Alvarez de Toledo, Joannes, O. P., Archiepiscopus Compostellanus, Cardinalis, 71-73, 438, 439, 559.
Amazones, in America, 457, 458.
Ambrosius, Vide Castilla.
Ambrosius, novitius, 40.
Anchieta vel Ancheta, P. Josephus, 397, 475, 479.
Andreas Apost., Sanctus, 94.
Anes (Anius), P. Dominicus, 405, 409.
Angelica, Mathaeus, notarius, 203.
Angelus, italus, 240.
Angliae Regina, Vide Maria.
Antoninus, Sanctus, 228.
Antonius, eremita, Bassani, 115, 116.
Antonius, neapolitanus, 188.
Antonius Franciscus, nobilis vir Bastiae, 94.
Antonius, Joannes, bononiensis, 177.
Antonius, Nicolaus, 291.
Antonius Patavinus, Sanctus, 436.
Antunes, lusitanus frater, 417.
Apostolicus Nuncius in Austria, seu apud Regem Romanorum, Vide Martinengho.
Apostolicus Nuncius in Gallia, Vide Verallo.
Apostolicus Nuncius in Hispania, Vide Poggio.
Apostolicus Nuncius in Polonia, 263.
Apostolicus Nuncius in Portugallia, 354, 390.
Aquinas, S. Thomas, 8, 72, 519, 529, 530, 552, 556, 557, 560, 566.
Aragon, Franciscus de, Cefalensis Episcopus, 214.
Aragon, Joanna de, Ascanii Colonnae uxor, 171.
Aragon et Gurrea, Anna de, Ducissa de Medina Sidonia, P. Francisci de Borja amita, 366.
Aragon et Gurrea, Martinus, Comes de Ribagorza, 366.
Aragon et Tagliavia, Petrus de, 203.
Aragoniae Conservator, Vide Gonzalez de Villasimplex.
Aragoniae Prorex, Vide Hurtado de Mendoza.
Aragoniae Regentis filius, 374.
Araldi, (Araldus, Heraldus, Haraldus), P. Joannes Franciscus, 12, 169, 170, 173, 175, 183.
Araoz, P. Antonius de, primum Hispaniae, mox Castellae Provincialis, 13, 19, 302, 305, 308, 317, 319, 322, 323, 327-335, 337, 338, 343-348, 352, 366, 368-371, 382, 427, 431, 433, 439-441.
Arboleda, P. N., 325.
Arcos, I Ducissa de, Vide Tellez Giron.
Arcos, I Dux de, Vide Ponce de Leon.
Areopagita, S. Dionysius, 531, 534, 543, 558.
Argentré, Carolus du Plessis D', 290.
Ariminenses Electi, 21.
Ariminensis Vicarius, 21.
Aristoteles, 515, 542.
Arverniae Episcopus, Vide Prat.
Asche, rabinus, 121.
Assisii, S. Franciscus.
Assuerus, 547.
Ataide, seu de Gama, Alvarus, 489.
Atalaa, italus, 203.
Atestini Principes, Vide Este.
Auger (Angerius), Mag. Edmundus, 47.
Augustanus Episcopus et Cardinalis, Vide Trutchsess.
Aurelius, Vide Morelius.
Austria, Leopoldus de, Cordubensis Episcopus, 364.
Austriae Gubernatores, seu Regium Consilium, 241.
Avantianus, Vide Dawant.
Aveiro, Dux de, Vide Alencastre.
Aversanus (sic dictus a patria), P. Caesar, Mutinensis Collegii S. J. Rector, 20, 39, 41, 146-148, 153, 154, 158, 159, 166, 271.
Avila, Mag. Joannes de, 331, 332, 340.
Avila, Mag. Joannis de, discipuli, 371.
Azpilcueta, P. Joannes de, navarrus, 468, 469, 473, 474.
Azpilcueta, Martinus de, Doctor Navarrus vulgo dictus, 403, 424.

B

Backer, P. Augustinus de, 34, 133, 150, 153, 174, 175.
Baësten, P. Vincentius, 447-449, 452, 455.
Bahiae Visitator, ab Episcopo nominatus, 462.
Bahiae (Bahia, vel San Salvador) Episcopus, Vide Fernandez Sardinha.
Bamberg, Daniel, 121.
Barbara, 82.
Barbieri, Joannes Maria, 156.
Barcacus (seu pater verus), nomen datum in Brasilia Patri Leonardo Nuñez, 460.
Barceus vel Barzaeus, P. Gaspar, Vide Berse.
Barcinonensis Collegii S. J. Rector, Vide Queralt.
Barcinonensis Episcopus, Vide Cazador.
Barcinonensis Gubernato-, 428.

Barga, Balduinus de, Marianensis Episcopus, 88, 98, 102.
Barma, P. Joannes Baptista de, Gandiensis et Valentini Collegiorum S. J. Rector, 324, 372, 376-383. 429.
Barreto, frater Alphonsus, Eborensis Collegii S. J. Rector, 422, 426.
Bartoli, P. Daniel, 80, 86, 87, 92, 95, 98, 99, 112, 162, 486, 487, 489, 490, 495, 497.
Barzaeus, P. Gaspar, Vide Berse
Bas (Bassus), Hieronymus le, 288, 295-299, 301.
Basilius, Sanctus, 202.
Bassus, Hieronymus, Vide Bas.
Bavariae Dux, Vide Albertus III.
Bazaini Collegii S. J. Rector, Vide Rodriguez, P. Gundisalvus.
Begulio (Biguglia), Matthaeus de, 95.
Begulio (Biguglia), Octavianus de, militum praefectus, Bastiae, 95.
Beira, Joannes, Vide Vieyra.
Belgii Gubernatrix, Vide Maria.
Bellay (Bellaius), Eustachius du, Parisiensis Episcopus, 109, 143, 290, 294.
Bendinelli Sauli, 76.
Bene, Joannes Hieronymus de, 87.
Benedictinorum Capitulum generale, in Abbatia prope Eugubium, 34.
Benedictus, P., catalaunus, 316, 317, 364.
Bentivoglio, Marcus Antonius, 134.
Beretta, Joannes, 157.
Berg, Brucardus van den, 18.
Bernal, Mag. Joannes, 385.
Bernal Diaz de Lugo, Joannes, Calagurritanus Episcopus, 335, 341, 344, 345.
Bernardi, Joannes Baptista, Episcopus Adjacii, 88.
Bernardini, Paulinus, 50.
Bernardinus, sacerdos novit., 333.
Bernardus, japonensis, 398, 405, 409.
Berse (Barzaeus), P. Gaspar, Indiae Provincialis, 398, 480, 481, 485-487, 489, 498.
Bertani, Petrus, O. P., Fanensis Episcopus et Cardinalis, 156.
Bibona, Ducissa de, Vide Vega, Isabella de.
Bibona, Dux de, Vide Luna.
Blado (Bladus) Antonius, 150.
Blaev, Guillelmus, 86, 112, 202.
Blaev, Joannes, 86, 112, 202.
Blas (Blasius), Alfonsus de, 469.
Blasques, Antonius, 397, 475, 476.
Blosius, Ludovicus, Abbas Liciensis seu Laetiensis, 277, 278, 283-285.
Bobadilla, P. Nicolaus, 22, 23, 171, 172, 178, 194.
Boccatius, Vide Bokes.
Boccatorta, familia de, 179.
Boëro, P. Josephus, 6, 18, 194, 289.
Bohemiae Regina, Vide Maria.
Bokes Bruynsma (Boccatius vel Frisius), Andreas, 231.
Bolet, Joannes, 384.
Bollandiani Patres S. J., 278.
Boninsegna (alias Bonainsegna), Andreas, 140, 153, 157, 159, 165, 167.
Bononia, Hieronymus de, Siracusanus Episcopus, 227.
Bononiae Prolegatus, Vide Sauli.
Bononiense Consilium, il Reggimento della Città dictum, 135.
Bononiensis Collegii S. J. Rector, Vide Palmio.
Bononiensis Vicarius, 134, 136.
Borja, Carolus de, P. Francisci filius, Dux de Gandia, 9, 346, 376, 379, 381.
Borja, P. Franciscus de, 9, 11-13, 305, 312, 313, 320-322, 332, 335, 338-367, 380, 387, 388, 390, 392, 400, 401, 405, 407, 409, 429, 431-433, 439.
Borja, Dr. Franciscus de, ex Sancti Ducis stirpe pronepos, 346.
Borja, Joannes de, P. Francisci filius, 9.
Borja, Ludovica de, P. Francisci soror, Comitissa de Ribagorza, 348, 366, 388.
Bossche (Sylvius), Petrus van den, 7, 20, 284.
Botelho (Botellus), P. Michaël, 206, 207, 213, 233.
Bouclet (alias Bouclier, latine Bucletus), Antonius, 283
Boucquiau, Joannes, 278.
Boulay, Edmundus du, dictus Clermont, 210
Bracarensis Archiepiscopus, Vide Limpo.
Bragança, Ducis de, duo fratres, 354.
Bragança, Ducisa de, Jacobi IV Ducis uxor, Vide Mendoza.
Bragança, Ducissa de, Theodosii I Ducis uxor, 362.
Bragança, Dux de, Vide Jacobus. — Id. Theodosius.
Brandão, Aires vel Arias, 486, 487.
Brasiliae Gubernator, Vide Sousa, Thomas de.—Id. Costa, Eduardus.
Brassica, Vide Cools.
Brixius, frater, 240.
Broët, P. Paschasius, Parisiensis Collegii S. J. Rector, 286-296, 298, 301.
Broghelmans, P. Cornelius, 284.
Bucholtz, F. V. von, 254.
Bucletus, Vide Bouclet.
Bungi Rex, 491-496.
Burchardus (in textu Brocardus), Dr., 254.
Burgensis Archiepiscopi et Cardinalis, Episcopus suffraganeus, 320, 321.

Burgensis Collegii S. J. Superior, Vide Estrada.
Burgensis Episcopus et Cardinalis, Vide Mendoza.
Burgos, A., 350.
Bustamante, P. Bartholomaeus de, 313, 342, 343, 345, 346, 348, 349, 353, 359, 364, 407.
Bustor, 94.
Butinoni, Hieronymus, Episcopus Sagonae, 88.

C

Caballero, P. Diosdado, 185.
Caballero, Firminus, 319.
Caborlensis Episcopus, Vide Chaborlensis.
Caesar, Octavius seu Octavianus, Vide Cesari.
Caesaraugustanus Conservator, Vide Gonzalez de Villasimplex.
Calagurritanus Episcopus, Vide Bernal Diaz de Lugo.
Calaritanus Episcopus, Vide Perragues et Castillejo.
Calvin (Calvinus), Joannes, 172.
Cámara, P. N., 325.
Cambiagi, Joachim, 80, 81, 89, 103, 107, 108.
Camers, P. Paulus, 489.
Campeggi, Laurentius, 254.
Camurana, Franciscus, 157.
Canal (Canalis), P. Petrus, 183, 332.
Canariae Episcopus, Vide Torres, Bartholomaeus de.—Id. Cano Melchior.
Cancellarius liberorum Angliae Reginae, 300.
Canciano, Julius, 186.
Candidus, Adrianus, Vide Witte.
Canisius, P. Petrus, Vide Kanys.
Cano, Melchior, O. P., mox Canariensis Episcopus, 319, 336, 337.
Cantù, Caesar, 51, 112, 123, 149, 152, 157, 171.
Capella, Maximilianus, Vide Chapelle.
Cappa Sancta, familia de, 179.
Capponi, Marchio Gino, 58.
Caprera, Joannes de, 225.
Caraffa, Joannes Thomas, 188.
Carayon, Augustus, 133, 398.
Cárdenas et Pacheco, Bernardinus, II Dux de Maqueda (Machedae Dux in textu), I Marchio de Elche, Pro-rex Valentiae (antea fuerat Navarrae), 341, 342, 373.
Cárdenas et Velasco, Bernardinus, II Marchio de Elche (in textu Elcie), II Ducis de Maqueda filius, 375.
Cardoli (Cardolus), Fulvius, 8.
Carigii (alias Charigii) populi, 456, 457, 459.
Carleval (in textu Charlavar), Dr. Bernardinus de, 331.
Carli, P. Laurentius, 40.
Carminata, P. Joannes Baptista, 213.
Carneiro (Carnero), P. Melchior, Ulyssiponensis Collegii S. J. Rector, mox Nicien-sis Episcopus, et successor Patriarchae Aethiopiae electus, 14, 16, 64, 65, 394, 397, 398, 422
Carolus, Hispaniae Princeps, Philippi II filius, 334.
Carolus IX, Galliae Rex, 291.
Carolus V, Imperator, 44, 57, 65, 123, 171, 187, 188, 192, 203, 205, 206, 222, 223, 225, 229, 230, 261, 262, 281-283, 373, 376, 378.
Carolus I, Neapolitanus Rex, 179.
Carpensis Cardinalis, Vide Pio di Carpi.
Carrillo, Alphonsus, 330.
Carthusiae Coloniensis Prior, Vide Hamont.
Carvalho, Andreas, 398.
Carvalho, Petrus de, 354.
Casabianca, Petrus Paulus della, 89.
Casarrubias, Blasius de, tabellio, 439.
Casellas, P. Bernardus, 335.
Casino, P. Joannes Philippus, 193, 229.
Castagna, Bernardus, 109.
Castaldo, italorum in Hungaria dux, 246.
Castaldo, Caesar, insignis jurisconsultus, 156.
Castaldo, Joannes Baptista, 254.
Castañeda, Mag. Joannes de, 325.
Castelvetro, Ludovicus, 156, 157.
Castigliar, Petrus Antonius, Baro de Vervicaro, 188.
Castilla, Sanctius de, postea Ambrosius dictus, 340.
Castelli-maris aut Stabiae (Castellamare) Episcopus, Vide Fonseca, Joannes.
Castro, Alphonsus de, O. S. F., 125.
Castro, P. Alphonsus de, 491.
Castro, P. Christophorus de, 324, 336, 503, 504.
Castro Lemos, Petrus de, Salmanticensis Episcopus, 304.
Cataneus (alias Cattaneus) Bava, Franciscus, 73, 96, 108.
Catharina, Joannis III, Portugalliae Regis, uxor, 15, 329, 340, 352, 354-356, 358, 360, 394, 407, 408, 435, 438, 451.
Catharinus (alias Catherinus), Ambrosius, Minorensis Episcopus, 125, 336, 337, 524.
Cattaneus, Vide Cataneus.
Cazador, Jacobus, Barcinonensis Episcopus, 428.
Cefalensis Episcopus, Vide Aragon.

Centorio, Ascanius, 254.
Centurio, Adamus, 77.
Certa, Hieronymus, 186.
Cervini, Marcellus, Cardinalis Sanctae Crucis, postea Marcellus II, 11, 21, 23, 29, 30, 32-39, 54, 99.
Cesari (Caesar), Nicolaus Petrus, Ducis de Monteleone Secretarius, 190.
Cesari (Caesar), Octavianus (alias Octavius), Secretarii Ducis de Monteleone filius, 169, 190, 191, 233.
Chaborlensis Episcopus, Archiepiscopi Vicarius, *vide* longam adnotationem in opere, *Cartas de San Ignacio*, vol. IV, pag. 171; 74, 77.
Chacon (Ciacconius), Alphonsus, O. P., 35, 291.
Chapelle (Capella), Maximilianus, 314.
Charig i, Vide Carigii.
Charlart, Quintinus, Vide Sarlart.
Charlavar, Vide Carleval.
Cheralt, P. Joannes, Vide Queralt.
Ciacconius, Vide Chacon.
Ciarlart, Quintinus, Vide Sarlart.
Cienfuegos, Alvarus, Cardinalis, 354, 355, 358, 361.
Cisteron (alias Cisteró), P. Ludovicus, 385.
Civitatensis (Ciudad Rodrigo) Episcopus, Vide Ponce de Leon.
Clara, Sancta, 107.
Clara, Francisci Coster mater, 267.
Claramontanus, vel Claramontensis, Cancellarius, 298 300.
Claramontanus, vel Claramontensis, Episcopus, Vide Prat.
Clariana, Antonius de, eques ordinis S. Joannis, 443.
Claysson (Claysonius), Robertus, 286, 288, 295-297, 300.
Clemens VIII Pontif., 198.
Clemente (alias di S. Clemente), Joannes, 201.
Cluverius, Philippus, 87, 202.
Coccapani, Camillus, 156.
Cochinensis Collegii S. J. Rector, Vide Perez, P. Franciscus.
Codretus, Vide Coudrey.
Coduri (Codurius), P. Joannes, 12.
Coelho (Coellus), lusitanus frater, 418.
Cognet (Cognetus), Angelus, 296.
Cogordan (Cogordanus), P. Pontius, 166, 357.
Coloniensis Archiepiscopus, Vide Schauenburg.
Coloniensis Collegii S. J. Rector, Vide Kessel.
Comaclensis Episcopus, Vide Rossetti.
Comes-stabilis (condestable) Castellae, Vide Fernandez de Velasco.
Commiati, familia de, 188.
Commissarius in Hispania, Vide Nadal.—In Italia, citra Romam et Neapolim, Vide Viola.
Commissarius Sancti Officii Inquisitionis Romanae, 22.
Complutensis Collegii S. J. Rector, Vide Villanueva.
Compostellanus Archiepiscopus et Cardin., Vide Alvarez de Toledo.
Compostellanus Proëpiscopus seu Vicarius, 438.
Conchus, P. Arnoldus, 122, 164, 284.
Conimbricensis Collegii S. J. Rector, Vide Godinho, P. Emmanuel.—Id. Enriquez, Leo.
Conimbricensis Episcopus, Vide Soares.
Conspeanus, Joannes, 270, 284.
Cools (Brassica), Mag. Gerardus, 7, 266, 267, 284.
Cordara, P. Julius, 199.
Cordeses, P. Antonius, Gandiensis Collegii S. J. Rector, 336, 381, 382.
Córdoba, Antonius de, Laurentii de Figueroa et Catharinae Fernandez de Córdoba, Comitum de Feria et Marchionum de Priego, filius, 305, 312, 321, 322, 324, 330, 340, 341, 349, 350, 352, 362, 363.
Córdoba, Joannes de, Decanus Cathedralis ecclesiae Cordubensis et Ducis de Sesa patruus, 324, 362, 365.
Cordubensis Episcopus, Vide Austria.
Corna (Corneus), Fulvius de la, Cardinalis et Episcopus Perusinus, 12, 45-47, 50-56.
Cornelius, P. Gomius, antea legatus Regis Congi ad Regem Portugalliae, 397, 448, 449, 451-455.
Correa, P. Antonius, 417, 419.
Correa, Franciscus, 403, 434.
Correa, Petrus, 456, 463, 465, 469-472.
Corsicae Episcopi, 101.
Corsicae Gubernator, Vide Doria.
Cortesia (cavaliera Cortesa), Constantia, 6, 136, 155.
Costa, Alvarus da, Lusitaniae Regis Emmanuelis Legatus ad Imperat. Carolum V, 476.
Costa, Eduardus (Duarte), Brasiliae Gubernator, 476.
Coster (alias Costerus et Custos), Franciscus, 7, 266, 267, 284.—Ejus pater Franciscus, 267.
Coudrey (Codretus, Coudretus), Annibal du, 56, 198, 199, 202, 203, 221.
Coudrey (Codretus, Coudretus), Ludovi-

cus du, Florentini Collegii S. J. Rector, 66, 67, 70, 71, 166, 271.
Coviglion (Couviglionius), P. Joannes, 183, 332,
Crema, Joannes Baptista da, 48.
Cromer (Cromerus), Martinus, Legatus Regis Poloniae ad Regem Romanorum, 263,
Cruz, Anna de la, 350.
Cruz, Magdalena de la, 528.
Cubelles, Dominicus, Melitensis Episcopus, 228, 229.
Cuesta, Dr. Andreas, mox Legionensis Episcopus, 337.
Cueva, Bartholomaeus de la, Cardinalis, 429, 430.
Cueva, Henricus de la, 429, 430.
Curio ad Sanctae Columbae, Coloniae, 270.
Curtius, Dr., Sancti Petri Pastor, Lovanii, 272.
Custos, Franciscus, Vide Coster.
Cyprianus, P. Alphonsus, 483.

D

Daghverlies (Hemerollus, vel Emerulus). Franciscus, 266, 267.
David, Aethiopiae Rex, Vide Lebna Denguil.
David, Propheta, 51.
David, mutinensis judaeus, 156.
Davidicus, Laurentius, 48, 49, 51, 53, 166.
Dawant (Avantianus), Mag. Erardus, 240, 244, 255.
Delanoy (Lanoyus), P. Nicolaus, Viennensis Collegii S. J. Rector, 12, 13, 214, 239-241, 244, 247, 248, 251, 253, 255, 259, 260, 262-264, 267, 285.
Delplace, P. Ludovicus, 6, 7, 80, 146, 153, 267, 275, 277, 283, 284, 293.
Delz (Delzius), Dr., Vide Velz.
Deodatus, Guericus, 113, 147, 153.
Despauterius, Vide Pauteren.
Diaz, Alexius, 415, 480, 486.
Diaz, P. Balthasar, 373, 391, 415, 487, 489.
Diaz, Jacobus, 447, 448.
Diaz, P. Petrus, 414.
Didacus, Congi vel Manicongi Rex, 448-455.
Didacus, lusitanus, 394.
Dirsius (alias Dyrsius vel Dirschius), Joannes, 239, 240.
Doctis, Dr. Gaspar de, Laureti Gubernator, 23, 120.
Domenech, P. Joannes Hieronymus, Siciliae Provincialis, 10, 166, 191, 197, 198, 200-205, 210, 213, 215-229, 231, 232, 235-239, 372, 478.
Domenech, P. Petrus, Villae Beltranae Abbas, 317, 375, 386, 429, 450.
Doria, Andreas, 26, 109.
Doria, Antonius, 108.
Doria, Joannetinus, 88.
Doria (alias d'Oria), Lamba, Corsicae Gubernator, 92, 94, 99-101, 103, 104, 106, 107, 109.
Dorici (alias d'Orici), Ludovicus, 51.
Dorici (alias d'Orici), Valerius, 51.
Dragut, pirata, 88, 105, 106.
Draskovich, Georgius, Episcopus Zagrabiensis, 254.
Druffel, Augustus von, 140.
Dueñas, Rodericus de, 312, 349.
Durante, Vincentius, Termolensis Episcopus, Ravennae Vicarius et suffraganeus, 17.

E

Eborensis Archiepiscopus et Cardinalis, Vide Henricus.
Eborensis Collegii S. J. Rector, Vide Quadros.—Id. Barreto.
Echard, Jacobus, O. P., 24, 48, 50, 337, 532.
Eduardus VI, Angliae Rex, 43.
Eggs, Georgius Joseph, 143.
Eguzquiza (in textu Eguzchiza), 335.
Elche, I Marchio de, Vide Cárdenas et Pacheco.
Elche, II Marchio de, Vide Cárdenas et Velasco, Bernardinus.
Elche, Marchionissa de, Vide Joanna.
Elisabeth vel Isabella, Imperatrix, Hispaniae Regina, Caroli V uxor, 364.
Elisabeth, Lusitaniae Infans, 355, 356, 359, 408.
Elymi (Helymi, Hemititae, Hemilitae), Siciliae accolae, 210.
Emerulus, Franciscus, Vide Daghverlies.
Enriquez, Enricus, 488.
Enriquez, P. Franciscus, 484.
Enriquez, P. Leo, Conimbricensis Collegii S. J. Rector, et Provincialis Portugalliae Collateralis, 354, 355, 410, 412, 415, 417, 419.
Erasmus, Desiderius, 165.
Eredea, P. Antonius, Vide Heredia.
Erri, Peregrinus degli, 157.
Escalço (Excalceatus), Bernardinus, Vide Reis.
Escolano, Gabriel, 380.

Este, Hercules de, Ferrariae Dux, 141-144, 148, 157, 167.
Este, Hippolytus de, Ferrariensis Cardinalis, Ferrariensis Ducis frater (alius a Cardinali Ferrar. ejusdem nominis, qui anno 1550 est mortuus), 78.
Este, Ludovicus de, Herculis Ferrariensis Ducis filius, Ferrariensis Episcopus nominatus, 143, 144.
Este (Atestini), Principes d', 112.
Estevez, Emmanuel, 405.
Estevez (alias Stevez), Michaël, 409.
Estrada (Strada), Franciscus de, Burgensis Collegii S. J Superior, 13, 282, 317-321, 368, 369, 429, 487.
Estrada (Strada), P. Ludovicus de, 327.
Eugubini Collegii S. J. Rector, Vide Ferrariensis, P. Albertus.
Eugubini Consules, 30, 31.
Eugubinus Gonfalonierus, 30.
Eugubinus supremus magistratus, *Podestà*, seu Vice Dux, 31.
Eugubinus Vicarius, 29, 30, 32, 33, 36.

F

Faber, P. Petrus, 6, 12, 282, 310, 336, 341, 344, 370.
Factora, Vide Jeso.
Falcetta, Aegidius, a S. Ignatio Genuensis Vicarius dictus, Caborlensis vel Chavorlensis (pro Caorlensi vel Caprulensi), Episcopus, 77.
Falconensis Collegii Lovanii Rector, 279.
Faletus (Foletus vel Toletus), Hieronymus, 141, 142.
Faloppio, Gabriel, 157.
Fanensis Episcoqus, Vide Bertani.
Faraonius, Vide Pharaonius.
Farnesio, Cardinalis Alexander, 7, 217, 229-232, 235, 288.
Fazio, Julius, 160.
Felinus, Dr., 253.
Ferdinandus I, Romanorum Rex, 18, 122, 240-245, 247, 248, 250-262, 265.
Feria, Comes de, Vide Suarez de Figueroa, Laurentius. — Id. Suarez de Figueroa, Gomus.
Feria, Comitissa de, Vide Fernandez de Córdoba.
Feria, I Dux de, Vide Suarez de Figueroa, Gomus.
Fernandez, Alphonsus, 325.
Fernandez, Andreas, 398, 405, 409.
Fernandez, Antonius, 490.
Fernandez, P. Emmanuel, 410, 426.
Fernandez, P. Gaspar, 345.
Fernandez, Joannes, 491, 492, 497.
Fernandez, P. Urbanus, Ulyssiponensis Collegii S. J. Rector, 390-392, 415, 422, 487.
Fernandez de Córdoba, Catharina, Comitissa de Feria et Marchionissa de Priego, 324, 343, 349-352, 362 364.
Fernandez de Córdoba, Petrus, 350.
Fernandez de Velasco, Petrus, Castellae Comes-stabilis (condestable), 318, 322, 335, 346, 348.
Fernandez Montaña, Joseph, 334.
Fernandez Sardinha, Petrus, Bahiae (Bahia vel San Salvador) Episcopus, 462, 465-468.
Ferrari, Antonius, 254, 300.
Ferrariae Dux, Vide Este, Hercules de.
Ferrariensis, P. Albertus, Collegii Eugubini S. J. Rector, 29-32, 35, 36, 39, 40.
Ferrariensis, Cardinalis, Vide Este.
Ferrariensis Collegii S. J. Rector, Vide Pelletier.
Ferrariensis Ecclesiae Administrator, Vide Rossetti.
Ferrariensis Episcopus nominatus, Vide Este, Ludovicus de.
Ferrarius Lupiensis, Antonius, 185.
Ferrer, Ludovicus, Valentiae Gubernator, 375.
Fesulanus Conventus, 50.
Fezzae seu Fessae (Fez) Rex, 445.
Fiaschi (alias Fieschi), Alexander, 143, 144.
Fienot, Joannes, Vide Ginot.
Fieschi, Vide Fiaschi.
Fiesco, Marsilius del, 96.
Figueirelo (in textu Figaredus), Melchior, 490.
Figuerola, Petrus de, 380.
Fiordibello, Antonius, Cardinalis Polo Secretarius, 156.
Florentiae Ducissa, Vide Toledo, Eleonora de.
Florentiae Dux, Vide Medicis.
Florentini Collegii S. J. Rector, Vide Coudrey.
Floris (Goudanus, Gaudanus), P. Nicolaus de, 13, 239-241, 247, 253, 255-257, 261.
Foletus, Hieronymus, Vide Faletus.
Fonseca, Hieronymus de, alias Dominicus, 184, 185.
Fonseca, Joannes, Castelli-maris, seu potius Castri maris aut Stabiae (Castellamare) Episcopus, Praefectus Neapolitanae Academiae, 180.
Fonseca, Mag. Petrus de, 416.
Fontana, Alexius, Secretarius Imperatoris, 223, 282, 283.
Fontana, Augustinus, 50.

Fontana, Marcius, 186.
Forcadamus (alias Forcada), Joannes Baptista, 113, 213.
Foscarari, Aegidius, O. P., Mutinensis Episcopus, 148, 150-154, 156-158, 160.
Francavila, Dux de, Vide Hurtado de Mendoza.
Franciscanorum monasterii Bastiae. Guardiani et Ministri, 100.
Franciscanorum monasterium, prope Berytum, 483.
Franciscanorum Provincialis, in Corsica, 100.
ranciscus II, Galliae Rex, 291.
ranciscus Alexander, judaeus conversus, 23.
Franco, P. Antonius, 405, 415, 424, 447, 448, 452, 455.
Freux (Frusius, de Frusis, de Fruzi), Andreas de, 8, 13, 121, 150.
Frias, Ducissa de, Vide Velasco et Aragon.
Frisius, Andreas, Vide Bokes Bruynsma.
Frusius, de Frusis, de Fruzi, Vide Freux.
Fuselier (Fugelierus), P. Renatus, 25.

G

Gachard, Leopoldus, 334.
Gago (Gagus), P. Balthasar, 491-495, 497.
Galceran de Borja, Petrus Ludovicus, Montesiae Magister, P. Francisci de Borja frater, 379, 380.
Galliae Rex, Vide Henricus II.—Id. Franciscus II.—Id. Carolus IX.
Galluzzi, Ranuccius, 58.
Galvanelli, P. Andreas, 23, 122 130.
Galvanelli, Hieronymus, 133.
Gambarus, Joannes, 122.
Gamero, P. Joannes, 372.
Gams, Pius Bonifacius, O. S. B., 143.
Gandiae Dux, Vide Borja, Carolus.
Gandiensis Collegii S. J. Rector, Vide Barma.—Id. Cordeses.
Garamantes, populi Lybiae interioris, 300.
Gaspar, praeceptor quidam Mutinae, 152.
Gaudanus, Vide Floris.
Geeraërts (Gerardi), Mag. Theodoricus, 7, 8, 276, 277, 284.
Genuensis Archiepiscopus, Vide Sauli.
Genuensis Vicarius, 73.
Georgii, Sancti, officiales, nomen datum Magistratibus Genuensibus, 88.
Georgius, Marcus, Vide Jorge.
Georgius, Sanctus, 483.
Gerardi, Theodoricus, Vide Geeraërts.
Gesso, Lanfrancus del, 139.
Gesti, P. Joannes, 384, 386.
Gewaërts (Stevordianus), Martinus, 240, 244, 257.
Giafre, Mag., 215.
Giannerini, P. Petrus Paulus, O. P., 24.
Giglio (Lilius), Thomas del, Soranus postea Episcopus, 11.
Ginot (in textu Fienot), Joannes, 161.
Gioverius, Vide Jover.
Godinho (Godinus), P. Emmanuel, Conimbricensis Collegii S. J. Rector, 410, 435, 436.
Godinho (Godinus), Franciscus, 490.
Goënsis Episcopus, Vide Alburquerque.
Goëz, Ludovicus de, 468.
Goisson, Ursmarus, 283.
Gomez, Andreas, 405, 409.
Gomez, P. Cornelius (alias Didacus vel Jacobus dictus), 448-450, 455.
Gomez, Didacus, scholast., 416.
Gomez, P. Michaël, 392.
Gomez, Petrus, 325.
Gomez, Thomas, 192.
Gomez de Montemayor, P. Emmanuel, 169.
Gomez de Silva, Rodericus (Rui), 327, 328, 330, 333, 335, 337, 366, 394.
Gonçalvez, Joannes, 397.
Gonzaga, Augustinus, Archiepiscopus, Rhegii Julii in Calabria, 194.
Gonzalez, Aldunzia, 387.
Gonzalez, Anna, 387.
Gonzalez, P. Franciscus, 325.
Gonzalez, Gundisalvus, 302.
Gonzalez, P. Joannes, Vallisoletani Collegii S. J. Superior, 314-317, 475.
Gonzalez de la Camara, P. Ludovicus, 12, 14, 52, 294, 343, 389, 390, 392, 437.
Gonzalez de Villasimplex, Joannes, regius Aragoniae (vel Caesaraugustanus) Conservator, 387.
Gottanus (alias Guttanus), P. Joannes, 183, 184, 229, 332.
Gou, Antonius, 335.
Goudanus, Vide Floris.
Govea, Dr., lusitanus, 291.
Govierno, P. Michaël, 372.
Gram (Grana), P. Ludovicus de, Brasiliensis Provincialis Collateralis, 191, 396, 397, 475, 476, 478, 479.
Grassi, Achilles, Montis Flasconis seu Falisci Episcopus, 22.
Gregorius Magnus, Pontif., Sanctus, 547.
Grillenzoni, Bartholomaeus, 157.
Guillenzoni, Franciscus, 157.
Guillenzoni, Joannes, 156, 157.
Grimaldo, Andreas, Episcopus Nebii, 88.

Grin (alias Grim vel Grimius), Carolus, 251.
Grisones, 123.
Gropillo (Gropillus), P. Gaspar, 114-116.
Gropper (Gropperus), Dr. Joannes, 269, 270.
Grumo, Marchiones de, 188.
Guardia, Baro de la, Praefectus classis Galliae, 109.
Guerra, Ignatius, 185.
Guevara, Josephus de, 351.
Guicciardini, 51.
Guilielmus, frater, 240.
Guisa, Carolus de, Cardinalis Lotharingius, 288.
Gundisalvus, schol. florent., 59.
Guttanus, P. Joannes, Vide Gottanus.
Guzman, Didacus de, 331, 332, 335, 340-342, 345.
Guzman, P. Ludovicus de, 325, 497.
Guzonius, Vide Uguccioni.

H

Hamont, Gerardus, coloniensis Carthusiae Prior, 268, 270, 276.
Haraldus, Vide Araldi.
Hees (Hecius, Heceus, Hezeus), Arnoldus van, 272, 275, 280, 281.
Helmi, P. Caesar, Veneti Collegii S. J. Rector, 21, 33, 118, 120-122, 130, 166, 167, 271.
Helymi, Vide Elymi.
Hemerollus, Franciscus, Vide Daghverlies.
Hemilitae, Hemititae, Vide Elymi.
Hemilitae civitatis (seu Xacha vel Sciacca) Antistes, 210.
Henricus II, Galliae Rex, 14, 57, 65, 219, 288-291, 373.
Henricus, Portugalliae Infans, et Cardinalis, Eborensis Episcopus, 14, 337, 360, 361, 389, 392, 393, 398, 422-426, 431-433, 435.
Heraldus, Vide Araldi.
Heredia (Eredea), P. Antonius, 480-483.
Hermes, carinthius, 253.
Hernandez, Andreas, 332.
Hernandez, P. Bartholomaeus, Salmanticensis Collegii S. J. Pro-rector, loco Patris Torres, 302.
Hernani, licentiatus, 340.
Herrera, Florentini Ducis Secretarius, 70.
Hezeus, Arnoldus, Vide Hees.
Hieronymus, Joannes, 199.
Hieronymus, Sanctus, 184, 547.
Hieronymus, siculus, 192.
Hispalensis Archiepiscopus, Vide Valdes.
Hispaniae Princeps, Vide Philippus II.—Id. Carolus.
Hispaniae Regina, et Imperatrix, Vide Elisabeth.
Hispaniae Rex, Vide Carolus V Imperator. —Id. Philippus II.
Hoeff (alias Hoefft), Petrus, 236, 267, 270.
Hugozonius, Vide Uguccioni.
Hund, Viguleus, Ingolstadiensis Academiae patronus, 261
Hungariae Regina, Vide Maria.
Hurtado de Mendoza, Didacus, Dux de Francavila, II Comes de Melito, Aragoniae Pro-rex, 327, 328, 330, 337, 338.
Hurtado de Mendoza, Franciscus, Montis Acuti Comes, et I Marchio de Almazan, 71.

I

Ignatiani, 24.
Illaei, populi in Brasilia, 468.
Indiae Episcopus, Vide Alburquerque.
Indiae Pro-rex, Vide Noronha.—Id. Mascarenhas.
Inquisitionis, praefectus S. Officii, Matriti, 294.
Inquisitores Romani, 22, 23.
Isabella, Lusitaniae Infans, Vide Elisabeth.
Isaias Propheta, 518.

J

Jacobitae, seu Nestoriani christiani, in Asia, 15.
Jacobus, 278.
Jacobus, IV Dux de Bragança (Bergantiae), 375.
Jacobus, Sanctus, 554.
Janssen, Joannes, 262.
Jarchi, Salomon, rabinus, 121.
Jarric, P. Petrus, 497.
Javier (Xavier), P. Franciscus, 12, 38, 183, 398, 405, 412, 485-489, 491, 497, 498.
Jay (Jajus), P. Claudius le, 12, 241, 255.
Jeremias Propheta, 523, 529.
Jeso, Maria del, vulgo dicta Factora, 139-141.
Jesu, Joannes Baptista de, Vide Velati.
Jesu Nominis Confraternitas, in portu S. Vincentii, in Brasilia, 464.
Joanna, Caroli V. filia, Joannis Portugalliae Principis uxor, 15, 340, 351-360, 407, 440.
Joanna, Marchionissa de Elche, Jacobi IVi Bergantiae Ducis filia, uxor Bernardin

Cárdenas et Velasco, II Marchionis de Elche, 375.
Joanne, Angelus de, 199.
Joannes Apost., Sanctus, 505, 506, 515, 528, 529, 530, 543, 565, 572.
Joannes, Portugalliae Princeps, 15, 240, 357, 440.
Joannes III, Portugalliae Rex, 7, 13-16, 201, 329, 340, 343, 344, 346-349, 351, 352, 354, 355, 357, 358, 360, 389, 393, 394, 396, 398-400, 402-405, 407-409, 414, 423, 424, 431, 432, 434-437, 440, 449, 450, 452-454, 460, 464, 465, 474, 476, 490-492, 498.
Joannes, catalaunus, 45.
Joannes, florentinus, 215.
Joannes, Mag., gallus, 215.
Joannes, lusitanus, 120, 121.
Joannes, frater, mutinensis, 44.
Joannes, patavinus biblioph., 51.
Joannes, Antonius, neapolitanus, 121, 215.
Joannes Ignatius, 121.
Joannes Paulus, comes itineris P. Natalis, 352, 439.
Joannes Thomas, nomen impositum saraceno Panormi converso, 210.
Job, 202, 523.
Jonas Propheta, 253.
Jordanus, Magister Generalis II., O. P., 228,
Jorge (Georgius), Marcus, 397, 415, 424.
Jover (Joverius, Gioverius), Franciscus, 291, 292.
Julius III Pontif., 6, 14, 16, 23, 26, 34, 38, 45, 51, 55, 80, 86, 90, 96, 98, 100, 130, 143, 203, 205, 206, 254, 255, 258, 259, 261, 264, 268, 327, 341, 351, 374, 390, 399, 432, 437.
Junta, Philippus, 336.
Justinopolitanus (Capodistria) Episcopus, Vide Stella.—Id. Vergerius.

K

Kanys (Canisius), P. Petrus, 13, 18, 239, 240, 243-245, 247-249, 251-257, 259, 261-264.
Kanys (Canisius), Theodoricus, P. Petri frater, 277, 284.
Kessel, P. Leonardus, Coloniensis Collegii S. J. Rector, 12, 13, 265-271, 275.

L

La Fuente, Vincentius, 316, 323.
Labacensis Episcopus, Vide Weber.
Lachi, Fr. Mathaeus, Inquisitor, O. P., 50.
Lancaster, Alphonsus de, Legatus Lusitaniae, Romae, 14, 389, 437.
Lancillotus, Nicolaus, 487, 488, 497, 498.
Landini, P. Sylvester; 80, 84-89, 92-109, 112, 163, 165, 168, 169.
Lanoyus, Vide Delanoy.
Lansac, Legatus Galliae, Romae, 109.
Lapidanus, Gierardus, 215.
Lariz (seu Larez), Antonius, 325.
Lartaun, Dr. Sebastianus, mox Cuzci (Cuzco) Episcopus, 324.
Lasius, Wolfangius, 241.
Lasso de Castilla, Didacus, Legatus Romanorum Regis in Urbe, 18, 254.
Laugier de Tasi, Commisarius regiae classis Galliae, 443.
Laurentius, P. Blasius, 396, 397, 475, 476.
Laurentius, Joannes, 133, 134, 158, 159.
Laureti Gubernator, Vide Doctis.
Laynez, Christophorus, 71, 215.
Laynez, P. Jacobus, Italiae, citra Romam et Neapolim, Provincialis, 6, 10, 16, 20, 37, 57-65, 67-69, 71-76, 78-80, 108, 113, 115, 116, 142, 152, 154, 164, 166, 177, 178, 181, 188, 194, 232, 234, 235, 256, 257, 283, 366.
Lebna Denguil, mox David vocatus, Aethiopiae Rex, Prestejanes (Preste Juan) dictus, 480, 484, 485.
Legatus Apostolicus, Vide Apostolicus Nuncius.
Legatus Galliae Regis in Urbe, Vide Lansac.
Legatus Imperatoris, Genuae, Vide Suarez Dominicus.—Romae, Vide Sarria.
Legatus Magni Congi in Lusitania, Vide Petrus.—Id. Cornelius, P. Gomius.
Legatus Poloniae Regis ad Regem Romanorum, Vide Cromer.
Legatus Portugalliae, ad Congi Regem, mortuus in itinere, 449.
Legatus Portugalliae (Regis Emmanuelis) ad Imper. Carolum V, Vide Costa, Alvarus da.
Legatus Portugalliae, Romae, Vide Lancaster.
Legatus Romanorum Regis in Urbe, Vide Lasso de Castilla.
Legatus Venetorum in Austria, Vide Soriano.
Legionensis Episcopus, Vide Cuesta.
Leite, P. Emmanuel, 414, 419.
Leo XIII Pontif., 331.
Leo, Gubernatoris Corsicae Auditor, 96, 100.
Lerma, Comes de, Vide Sandoval et Zúñiga.
Liberius, haereticus, 98.
Liliensis Collegii Rector, Lovanii, 282.

Lilius, Vide Giglio.
Limpo, Balthasar, Carmel, Bracarensis Archiepiscopus, 435.
Linden (de Tilia), Joannes, van der, 284.
Lipomani, Aloysius (alias Ludovicus), Veronensis Episcopus, 121.
Lipomani, Andreas, Prior Trinitatis, Venetiis, 13, 21, 118, 122, 162, 164-166.
Lipomani, Joannes, 122.
Loarte, Dr. Gaspar de, 331, 332, 335, 340, 345.
Lombardus, Petrus, Sententiarum Magister dictus, 247, 256.
Lomellino (Lomellinus), Augustinus, 77.
Lomellino (Lomellinus), Paulus Vincentius, 109.
Lopez, Alphonsus (Alonso), 324, 364.
Lopez, Emmanuel, 323, 327, 332.
Lopez, Ignatius, medicus, 192.
Lopez Osorno, Joannes, 308.
Lotharingius, P. Desiderius, Tiburtini Collegii S. J. Rector, 26, 27.
Lovaniensis Academiae Cancellarius, Vide Tapper.
Lovaniensis Academiae Rector, 280.
Lucas, Mag., 215.
Lucas Evang, Sanctus, 516.
Luce, Bartholomaeus, Paternionis Comes, 225.
Ludovicus, Portugalliae Infans, Joannis III frater, 335, 357, 394, 398, 400, 404, 407, 431, 437.
Ludovicus, Melchior, 393.
Luna, Comes de, Vide Luna, Petrus de.
Luna, Comitissa de, Vide Vega, Isabella de.
Luna, frater Comitis de, 329.
Luna, Petrus de, Comes de Luna et Dux de Bibona, 219, 235-238.
Lusitani Principes, 409.
Lusitaniae Rex, Princeps, Infans, etc. Vide Portugalliae Rex, etc.
Luther (Lutherus), Martinus, 172, 249.
Lyner, Andreas, 266, 267, 269.

M

Macedo, P. Franciscus de, O. P., 486.
Machedae Dux vel Ducissa, Vide Maqueda.
Machella, Nicolaus, 157.
Maffei (Maffeus, Mapheus), Bernardinus, Cardinalis, 51, 290.
Maffei, P. Joannes Petrus, 497.
Magdalena, S. Maria, 519, 520.
Magni Congi Rex, Vide Didacus.
Mahometani, 15.
Mahometus, 131, 209, 444.
Maimonides (alias Maiemonides), Mosis, rabinus, 121.
Malatesta, familia de, 6.
Maluquer (in textu Malucher), bachalaur., 385.
Manare (Manareus), P. Oliverius, Romani Collegii S. J. Rector, 16, 23, 24, 28, 29, 32, 33, 37, 39, 40, 56, 272, 282, 295, 333.
Mancio (Mancius), Magister Fr. Paschalis, O. P., 335, 336.
Manta Marogana, familia de, 179.
Maqueda, Ducissa de, Vide Velasco, Elisabeth de.
Maqueda, II Dux de, Vide Cárdenas et Pacheco.
Marca, Jacobus della, 181.
Marcellus II, Vide Cervini.
Marcus Evang., Sanctus, 519, 537, 543.
Maria, Angliae Regina, Philippi II uxor, 43, 156.
Maria, Hungariae Regina, Belgii Gubernatrix, 244, 273.
Maria, Portugalliae Infans, Joannis III soror, 355, 356, 358, 359, 407.
Mariae «dell' Oratione e Morte», B. V., confraternitas, Romae, 198.
Marianensis Episcopus, Vide Barga.
Marianensis (et Acciae) Episcopi Vicarius, 98, 102.
Marignano, Marchio de, Vide Medicis.
Marinis, Hieronymus de, 87.
Marino, 382.
Marinus, Mag. Antonius, 20, 162, 168.
Martinengo, Hieronymus, Apostolicus Nuncius in Austria, Comes et Abbas, 12, 13, 17, 239, 255, 259, 264.
Martinez Guijarro (vulgo Siliceo), Joannes VIII, Toletanus Archiepiscopus et Cardinalis, 219, 313, 335-337, 348, 501, 503.
Martinus V Pontif., 36.
Martinus, Mag., 284.
Martinus junior, Siciliae Rex (1405), 226.
Martinuzzi, Fr. Georgius, Cardinalis, 254.
Mascarenhas (Mascharegnas), Petrus, domus Principis Lusitaniae magister, mox Indiae Pro-rex, 13, 14, 354, 394, 404, 408, 409, 434, 435
Masserus, Leonardus, 54, 55.
Matamoros, 532.
Matthaeus Apost., Sanctus, 248, 519, 535-537, 543, 565.
Maximilianus, vel Maximinus, Pater N., S. Felicis Collegii S. J. Rector, 419, 421.
Medicis, domus vel familia de, 58.
Medicis, Cosmus I de, Florentiae Dux, 57, 58, 63, 64, 68-70, 73.

Medicis, Jacobus de, Marchio de Marignano, 63, 64.
Medina Sidonia, Ducissa de, P. Francisci de Borja amita, Vide Aragon et Gurrea.
Melchior, civis oppidi Brandi, 103.
Melitensis Episcopus, Vide Cubelles.
Melito, Comes de, Vide Hurtado de Mendoza.—Ejus uxor, Vide Silva.
Melo, Georgius de, 361.
Melo (Mellus), P. Joannes de, 425.
Menchaca, Rocchus, 184, 185.
Mendez, sacerdos novit., 333.
Mendoza, Ferdinandus de, Cardinalis Burgensis frater, 318-321, 347.
Mendoza, Franciscus de, Burgensis Episcopus et Cardinalis, 318, 345, 347, 366.
Mendoza, Joanna de, Ducissa de Bragança (Bergantiae), Jacobi IV Ducis uxor, 362.
Mendoza, P. Ludovicus de, 366.
Menendez et Pelayo, Marcellinus, 171, 505.
Menginus, Dominicus, 240.
Mercado, Joannes del, 25.
Mercurien (Mercurianus), P. Everardus, 12, 39, 41-56, 165, 294, 295.
Mercurio, Joannes Andreas de, Cardinalis, Messanensis Archiepiscopus, 228.
Messanensis Archiepiscopi Vicarius, 198, 226.
Messanensis Archiepiscopus, Vide Mercurio.
Messanensis Collegii S. J Rector, Vide Vink.
Methymnensis Collegii S. J. Rector, Vide Sevillano.
Miccio, Scipio, 26, 57, 171, 184.
Michaël, Mag., Eugubii, 29.
Michaël, Mag., Perusii, 47.
Michaël Angelus, romanus, 215
Michaële, P. Joannes de Sancto, 397.
Migajon (in textu Migaon, alias Miganon), licentiatus Compluti, 334.
Milano, Julius de, 123.
Minturno, Antonius, 190.
Miona, P. Emmanuel, 13.
Miron, P. Jacobus, seu Didacus, Portugalliae Provincialis, 13, 344, 351, 390, 393, 397-399, 405, 407, 409, 412, 416, 417, 419, 423, 424, 427, 431, 435-441, 448, 454, 464, 478.
Mislin, Jacobus, 483.
Modesto, Joannes Baptista, Ariminensis Canonicus, 21.
Molina, P. Ludovicus de, 325.
Molza, Camillus, 156, 157.
Mongitore, Antoninus, 28.
Monopolitanus Episcopus, Vide Praeconio.
Monte, Ludovicus del, 157.
Monteleone, Ducissa de, 190, 191.
Monteleone, Dux de, Vide Pignatelli.
Monteleone, Secretarius Ducis de, Vide Cesari.
Montemayor, P. Emmanuel de, 80 85, 88 92, 96, 99-103, 105, 106, 108, 109.
Montero, Andreas, 483.
Monterrey, Comes de, Vide Acebedo et Zúñiga.
Monterrey, Comitissa de, Vide Pimentel et Velasco.
Montesiae Magister, Vide Galceran de Borja.
Montibus, Joannes de, 266.
Montis Acuti Comes, Vide Hurtado de Mendoza.
Montis Flasconis seu Montis Falisci Episcopus, Vide Grassi.
Montis Regalis Archiepiscopi Suffraganeus, Vide Zambeccarius.
Montis Regalis Gubernator, Vide Nobili.
Montis Regii Comes, Vide Acebedo et Zúñiga.
Montis Regii Comitissa, Vide Pimentel et Velasco.
Montoya, Joannes, 382.
Montoya, Ludovicus, O. S. A., 395.
Monzon, P. Bernardus, 303.
Morales, hispanus, 240.
Morales, P. Emmanuel de, 487-489.
Morales, Joannes, 108.
Morbegni Gubernator, 126.
Morelius (Aurelius?), Jacobus, 288, 296.
Morone (Moronus), Joannes, Cardinalis, Mutinensis, postea Novarensis, Episcopus, 11, 17, 51, 136, 156.
Moscoso, Alvarus, Pampilonensis Episcopus, 341.
Motulae Episcopus, Vide Rebiba.
Moyses, 566.
Mozzollo, Joannes Andreas, 159.
Munino, Joannes, 254.
Muñoz, Ludovicus, 331.
Muratori, Antonius, 86.
Mustatius, P. Dominicus, 205.
Mutinensis Collegii S. J. Rector, Vide Aversanus.
Mutinensis Episcopi Vicarius, 148.
Mutinensis Episcopus, Vide Morone.—Id. Rangoni.—Id. Foscarari.

N

Nadal (Natalis), P. Hieronymus, Commissarius in Hispania, 6, 13-15, 19, 67, 73, 111, 199, 202-205, 207, 216, 217, 220, 226, 319, 332-335, 337, 338, 348, 349, 351, 352, 354, 365, 368,

370, 372-375, 385, 386, 390, 398, 400, 401, 404, 405, 407, 409, 410, 416-418, 421, 425, 427, 441, 448, 449, 527 530, 532, 534-540, 542-548, 550-553, 555 562, 564, 565, 568, 569.
Nadal (Natalis), Joannes, 94, 95, 102, 103.
Nagio (Nagius), P. Joannes Baptista, 112, 113, 163.
Nájera, Ducis de, filius, 328.
Natalis, Vide Nadal.
Nausea von Weissenfeld, Fridericus, Viennensis Archiepiscopus, 18, 245.
Navarrae Pro-rex, Vide Cárdenas et Pacheco.
Navarrus, Doctor, Vide Azpilcueta.
Navarrus, P. N., 381.
Neapolitani Collegii S. J. Rector, Vide Oviedo.
Neapolitanus Pro-rex, Vide Toledo.—Id. Pacheco.
Neapolitanus Rex, Vide Carolus I.
Neapolitanus Vicarius, 176.
Nebii Episcopus, Vide Grimaldo.
Nepos, Joannes, 160.
Neri, S. Philippus de, 198.
Nestorianorum Patriarcha, Vide Saud.
Niceron, Joannes Petrus, 28.
Niciensis Episcopus, Vide Carneiro.
Nicolaus, gallus, 240.
Nicolaus de Notariis, Joannes, 169, 189.
Nieremberg, P. Eusebius, 199, 346, 358.
Niger, P. Joannes, 42, 44, 45.
Nobili, Vincentius de, Montis Regalis Gubernator, Cardinalis Farnesii Procurator, 188, 230 235.
Nobrega, P. Emmanuel de, Brasiliae Provincialis, 5, 397, 456, 458, 460-462, 464-473, 478, 479, 498.
Nobrega, P. Michaël, 483, 484.
Noghera, P. Fructuosus, 397, 449-453.
Noronha (vel de Meneses), Alphonsus, Indiae Pro-rex, 491.
Novaes, Josephus de, 35.
Novarensis Episcopus, Vide Morone.
Nugnez, Vide Nuñez.
Nuncius, Vide Apostolicus Nuncius.
Nunnius, Vide Nuñez.
Nuñez, Gabriel, 458.
Nuñez, P. Leonardus, 458-460, 465, 467, 470, 471.
Nuñez (Nugnez, Nunnius) Barreto, P. Joannes, mox Aethiopiae Patriarcha, 16, 428, 442-446.
Nuñez (Nugnez, Nunnius), Barreto, P. Melchior, Indiae Provincialis, 486, 487.

O

Ochoa, Michaël, navarrus, Ognatensis Collegii S. J. Rector, 215, 341, 342, 345.
Ochoa, Sanctius, 215, 231-235.
Octavianus, frater, 169.
Odorici, Fridericus, 123.
Ognatensis Collegii S. J. Rector, Vide Ochoa.
Olave, P. Dr. Martinus de, 6, 8, 12, 21, 22, 26, 30, 32-40, 46, 54, 55, 113, 257, 284, 439.
Oldoini, Augustinus, 35.
Oliva, Joannes, 385.
Oliverius, Messanensis Protonot., 226.
Olivier (Oliverius), Bernardus, Romani Collegii S. J. Rector, 21, 32, 113, 199, 213, 215, 218, 230-234, 236, 271, 367.
Oradino, Dr. Marcus Antonius, 46, 53-55.
Oria, Lamba d', Vide Doria.
Orici, Valerius (et etiam Ludovidus) d', Vide Dorici.
Orlandini, P. Nicolaus, 11, 24, 40, 56, 77, 80, 184, 199, 229, 231, 232, 276, 447, 448, 455, 497.
Oruño, Ignatius, 325.
Osorio, Hieronymus, Silvensis Episcopus, 455.
Osorio, Joannes, 201, 202, 219.
Osorio de Sylva, Joannes, Ordinis S. Jacobi de Spata, ac simul Abbas S. Philippi Grandis et Archipresbyter S. Beltrani, Malac. Dioecesis, 208.
Osorno, Comitissa de, Vide Velasco.
Otello, P. Hieronymus, 10, 13, 173, 193-195, 197, 202, 216, 222, 227.
Otte, Henricus, 189.
Ovetensis Episcopus, Vide Rojas et Sandoval.
Ovidius Naso, Publius, 166.
Oviedo, P. Andreas de, Neapolitani Collegii S. J. Rector, 13, 16, 170, 173-175, 188, 415.

P

Pacheco (Paciechus), Petrus, Cardinalis, Neapolitanus Pro-rex, 12, 43, 173, 177, 179, 181, 182, 185-188, 191.
Paeybroëk, P. Daniel, a Denderomunda (Termonde), 234.
Pages, Leo, 490.
Paladina, familia de, 179.
Paleotti, Gabriel, Cardinalis, 132.

Pallavicini, Christophorus, 81.
Pallavicini, Constantia, 6.
Pallavicini, Jacoba, 6.
Pallavicini, Nicholeta, 82, 83.
Pallavicini, Petrus Franciscus, Aleriae Episcopus, 88.
Palmio (Palmius), Mag. Benedictus de, 6, 24, 25, 134, 193, 194, 205, 212, 216.
Palmio (Palmius), P. Franciscus de, Bononiensis Collegii S. J. Rector, 21, 130-136, 153, 157, 158, 160, 161, 165.
Pampezzetto (alias Pampazzettus) Franciscus, 174.
Pampilonensis Episcopus, Vide Moscoso.
Panormitani Collegii S. J. Rector, Vide Achillis.
Panormitanus Archiepiscopus, Vide Tagliavia.
Papiensis Episcopus, Vide Rossi.
Pappansogna, Rogerius, 179.
Parada, P. Petrus de, 419.
Paredensis (alias Paradensis), Nicolaus, 170, 177.
Parisiensis Academiae, Decanus Facultatis theologiae, 291-293.
Parisiensis Collegii S. J. Rector, Vide Broët.
Parisiensis Episcopus, Vide Bellay.
Parisiensis Senatus, 288, 290, 291, 293, 294.
Parra, P. Petrus, 378, 381.
Parra, Dr. Petrus de, 325.
Passaviensis Episcopus (in textu Patavien-sis), Vide Salm.
Patavini Collegii S. J. Rector, Vide Tavono.
Paternionis Comes, Vide Luce.
Patrignani, Josephus Antonius, 189, 213, 216.
Pauletus, Florentius, 174, 175.
Paulinus, praefectus classis Regis Gallorum, 106.
Paulus Apost., Sanctus (antea Saulus), 32, 42, 104, 126, 194, 197, 266, 311, 504, 507, 511, 522, 529, 531, 535, 539, 541, 558, 565, 566, 569.
Paulus III Pontif., 143, 173, 232, 290, 337, 503.
Paulus IV Pontif., 16, 24, 50.
Paulus, ormuziensis, 398, 409, 481.
Pauteren (Despauterius), Joannes van, grammaticus, 150, 157, 251.
Payva, P. Emmanuel de, 467, 471.
Payva-Manso, Vice-comes de, 448, 455.
Pedroche (alias Pedraça), Fr. Thomas de, O. P., 336, 501, 503, 525, 527.
Pelipparis, Joannes Franciscus, 51.
Pelletier (Pelletarius), Dr., 291.
Pelletier (Pelletarius), P. Joannes, Ferrariensis Collegii S. J. Rector, 136-145, 159, 162, 165, 167, 294.
Pelt (Peltanus), Theodorus van, 180.
Perales, Joannes B., 380.
Pereira, Mag. Benedictus, 8, 199, 215.
Perera, Marcus, 415.
Perez, P. Ambrosius, Vide Pires.
Perez, P. Franciscus, Cochinensis Collegii S. J. Rector, 468, 487-489.
Perez, Hurtado, 325, 382.
Pergola, Bartholomaeus della, 152,
Perpiña (Perpignanus), Mag. Petrus, 394, 424, 425.
Perragues et Castillejo, Antonius, Tergestinus vel Trigestinus Episcopus, mox ad Calaritanum Episcopatum translatus, 251, 253, 294.
Perusinus Cardinalis et Episcopus, Vide Corna.
Perusinus Pro-episcopus seu Vicarius, 43, 45, 46, 48-50, 52-55.
Perusinus Pro-legatus, Vide Rovere.
Petragoricensis (rectius Petrocoriensis et Petrocoricensis, de Perigueux) Gymnasii Praeses, 300.
Petrarca, Franciscus, 156.
Petrella, Joannes Nicolaus, 169, 170.
Petrus Apost., Sanctus, 94.
Petrus, gandiensis, 131.
Petrus, Legatus Magni Congi ad Regem Portugalliae, 451.
Pezzana, Hieronyma, 155.
Pharaonius, Bernardus, 203.
Pharaonius, Carolus, 199, 200, 203.
Philippi, Hispaniarum Principis, secretarius, 428.
Philippus Apost., Sanctus, 205.
Philippus, Hispaniarum Princeps, mox Philippus II, Hispaniarum Rex, 156, 283, 313, 317, 328-330, 333-335, 337, 349, 351, 365, 369, 428.
Philippus, flander, 137, 139, 140, 158, 159, 161.
Philippus, parisiensis, 152.
Philippus Argyriensis, Sanctus, 205.
Picart (Picardus), Dr. Franciscus, 291.
Pictavia, Guilielmus de, Leodiensis Ecclesiae archidiaconus et Episcopi Cancellarius, 262, 263, 283-285.
Pigafetta, Philippus, 455.
Pignas, Vide Piñas.
Pignatelli, Hector, Dux de Monteleone, 169, 172, 177, 181, 182, 186, 188, 190-192.
Pimentel et Velasco, Maria, Comitissa de Monterrey (Montis Regii), 352.
Pine (Pinius), P. Ignatius, 527.
Pine (Pinius), P. Joannes, 25.
Piñas (Pinna, Pignas), P. Balthasar, 378.
Pio di Carpi, Rodulphus, Cardinalis Carpensis dictus, 22, 99, 109, 191, 224.
Pires (Perez), P. Ambrosius, 391, 396, 397, 474-476.
Pirrus, Rocchus, 203, 225, 226, 230, 232.

Pisa (Pisanus), Alphonsus de, 325, 382.
Pisanus Archiepiscopus, Vide Rebiba.
Pius V Pontif., Sanctus, 50, 291.
Pizzone Rocchi, familia de, 179.
Placentiae (Plasencia in Hispania) Episcopus, Vide Vargas de Carvajal.
Platon, 532.
Plaza. P. Dr. Joannes de la, 324, 325, 364.
Plinius Secundus, Cajus, 156.
Poggio, Joannes, Apostolicus Nuncius in Hispania, 323, 328, 329, 333, 343, 366.
Polanci librarius, 354.
Polanco, P. Joannes Alphonsus de, 13, 40, 41, 44-48, 50, 51, 53-56, 58, 59, 61, 64, 67-80, 86-88, 99, 100, 102, 103, 108, 109, 112, 115, 116, 118, 121, 122, 126, 127, 130, 133-136, 140, 143-145, 148, 150-155, 157-161, 164, 165, 170, 174-178, 180, 182-184, 186-188, 190-193, 199-205, 213, 215, 218, 220-226, 228-230, 232, 236, 239, 240, 244, 247, 249, 251-255, 257, 259-264, 266, 267, 270, 271, 273, 278, 279, 281, 283-285, 289, 292-295, 301, 302, 305, 308, 319, 328, 329, 332, 333, 338, 343-345, 348, 352, 358, 361, 366-371, 373, 380, 383, 386, 387, 404, 405, 427, 429, 430, 434, 436, 437, 439-442, 447, 452, 455, 456, 458, 479, 486, 487, 495, 497.
Policinus (alias Polizinus, Politinus et Pullicinus), Gilbertinus vel Gilbertus, 56, 199.
Polidori, Philippus Ludovicus, 35, 58.
Politinus, Polizinus, Vide Policinus.
Poloniae Rex, Vide Segismundus, Augustus.
Polycarpus, P. N., 489.
Pomponazzi, Petrus, 156.
Ponce de Leon, Petrus, Civitatensis (Ciudad Rodrigo) Episcopus, 353.
Ponce de Leon, Rodericus, I Dux de Arcos, 350.
Pont (Pontanus), Eleutherius, 111, 295.
Portalegrensis et Algarbiorum Episcopus, Vide Alva.
Porto, Franciscus da, 156.
Portugalliae Infans, Vide Ludovicus.—Id. Maria.—Id. Elisabeth.
Portugalliae Infans et Cardinalis, Vide Henricus.
Portugalliae Princeps, Vide Joannes.—Id. Joanna.
Portugalliae Regina, Vide Catharina.
Portugalliae Rex, Vide Joannes III.
Pozo, P. Petrus del, 320.
Prado, Conimbriae sacerdos, 416.
Praeconio, Octavianus, O. S. F., Monopolitanus Episcopus, 203.
Prat, Guilielmus III du, Arverniae, seu Claramontanus vel Claramontensis, Episcopus, 287-290, 294, 296-301.
Prat, P. Joannes Maria, 288-291, 293.
Prestejanes (Preste Juan), Vide Lebna Denguil.
Priego, Marchio de, Vide Figueroa, Laurentius de.
Priego, Marchionissa de, Vide Fernandez de Córdoba.
Procurator Generalis Regis Galliae, 289.
Pro-episcopus seu Vicarius Magni Congi et Regis confessarius, 452-454.
Prosdocimus, Angelus, 215.
Provincialis S. J. in Aragonia, Vide Rodriguez.=In Brasilia, Nobrega.=In Castella, Araoz.=In Hispania, Araoz.=In India, Barzeo.—Id. Nuñez, Melchior.=In Italia, citra Romam et Neapolim, Laynez.=In Portugallia, Rodriguez.—Id. Miron.=In Sicilia, Domenech.
Pullicinus, Gilbertus, Vide Policinus.

Q

Quadros, P. Antonius (prius Tiburtius) de, Eborensis Collegii S. J. Rector, 16, 360, 404, 422.
Queralt (alias Cheralt), P. Joannes, Barcinonensis Collegii S. J. Rector, 384-387.
Quetif, Jacobus, O. P., 48, 50, 337, 532.

R

Ragio (Ragius), Stephanus, 77.
Rajadella seu Rejadella (in textu Regiadela, Rajadela), Theresia, 387.
Romamlus, Joannes, 472.
Ramirez de Vergara, Dr. Alphonsus, vulgo Dr. Vergara dictus (in textu Hieronymus de Vergara), 348, 369.
Rangone, Fulvius, 156.
Rangone, Hercules, Adriensis (Rovigo) primo, mox Mutinensis Episcopus et Cardinalis, 156.
Ravennae Magistratus (Magnifici Sri. Savii), 17.
Ravennae Vicarius et suffraganeus, Vide Durante.
Raynaldi, Odoricus, 15, 43.
Raynaldus, Mag., 29.
Razzi (Razzius), Seraphinus, O. P., 50.
Rebiba, Scipio, Motulae Episcopus, et Cardinalis Archiepiscopi Vicarius, mox Car-

dinalis et Archiepiscopus Pisanus, 174, 175.
Redemptionis Congregatio, Neapoli, 184.
Regiadela, Vide Rajadella.
Regius, Petrus, 199, 215.
Reidt (Retius, Rhetius, Riedt), Mag. Joannes, 7, 266, 267, 269, 270, 284.
Reiffenberg, P. Fridericus, 7, 261, 265-268, 270, 271.
Reis (a Regibus), Bernardinus dos, antea Bernardinus Escalço (Discalceatus, Escalceatus) dictus, 405, 408.
Rejadella, Vide Rajadella.
Romondini, Joannes Stephanus, 189.
Rengifo, Dr. Blasius, 325.
Reppelmont, Joannes de, Nazaraei coenobii praeses, Lovanii, 12, 13, 269.
Resende (Resendius), Andreas da, 425.
Retius, Rhetius, Vide Reidt.
Reynaldis, Tarquinius de, 63, 64.
Ribagorza, Comes de, Vide Aragon et Gurrea.
Ribagorza, Comitissa de, Vide Borja, Ludovica de.
Ribero, Christophorus (in regno Congi), 447-449, 455.
Ribero, P. Christophorus (alius a P. ejusdem nominis, qui fuit in regno Congi), 491.
Riedt, Joannes, Vide Reidt.
Riera, P. Raphaël, 25, 199, 200.
Riva, P. Dr. Augustinus de, 37, 39.
Riva, P. Dominicus, 182.
Rivadeneira, P. Petrus de, 24, 25, 34, 40, 132, 316, 317, 336, 345, 349.
Rivarola, Joannes Felix Franciscus, 78.
Rivera et Morejon, Joannes, postremus Methymnae Campi Abbas, 308-310.
Roa, P. Martinus de, 316, 364.
Rocca, Blasius Vincentius de, 203.
Rocha, Christophorus de la, 200.
Rodina, P. Pantaleo, 199.
Rodriguez, Antonius, 456, 457.
Rodriguez, Christophorus, 324, 325.
Rodriguez, Emmanuel, 405.
Rodriguez, Franciscus, O Manquinho dictus, 394, 404.
Rodriguez, P. Gundisalvus vel Gonsalvus, Bazaini Collegii S. J. Rector, 480, 481, 484.
Rodriguez, P. Salvator, 479.
Rodriguez, Dr. Sebastianus, 291.
Rodriguez, P. Simon, primum Portugalliae, mox Aragoniae Provincialis, 13, 14, 16, 64, 65, 74, 291, 322, 332, 349, 350, 379, 380, 382, 386, 389, 392-394, 398, 402, 419, 436, 437, 439, 441, 466, 467.
Rodriguez, Simon, testamentarius fundatoris Compostellani Collegii, 438.
Rodriguez, Vascus, 455.
Rodriguez, P. Vincentius, 476, 479.
Rodriguez Campomanes, Petrus, 250.
Rogerio, Mag. Joannes, 9, 25, 199, 200, 215.
Roilet (Royletius), P. Guido, 9.
Rojas, P. Franciscus de, 347, 348, 367, 587.
Rojas et Sandoval, Christophorus, Ovetensis Episcopus, 351.
Romaeus, Sebastianus, Vide Romei.
Roman, P. Alphonsus, 372.
Romani Collegii S. J. Rector, Vide Manare. —Id. Olivier.
Romanorum Rex, Vide Ferdinandus.
Romei (Romaeus), Sebastianus, 25, 99-101, 169.
Romena, Vincentius de, 216.
Rosis, Mag. Joannes, medicus, 65.
Rossetti, Alfonsus, Comaclensis (Comacchio) Episcopus, Administrator Ecclesiae Ferrariensis, 142.
Rossi, eques de, 69.
Rossi, Joannes Hieronymus, Papiensis Episcopus, 200.
Rossi del Leone, familia de, 179.
Rovere, Guido Ubaldus de la, Urbini Dux, 31.
Rovere, Marcus Vigerius de la, Senogalliae Episcopus, Perusii Prolegatus, 36.
Rubiola, Hieronymus, 381, 382.
Rudolphus, Mag., 215.

S

Sacchini, P. Franciscus, 15, 56, 484.
Sacri Palatii Magister et Vicarius, 337.
Sagonae Episcopus, Vide Butinoni.
Sainz de Baranda, Petrus, 251.
Salazar, Joannes de, 457.
Salazar, Julianus de, 254.
Salazar, P. Marcellus, 372, 376.
Salinas, Dr. Marcus de, 325, 326.
Salm, Wolfgangus von, Passaviensis (in textu Pataviensis) Episcopus, 249, 250.
Salmanticensis Collegii S. J. Rector, Vide Torres, P. Michaël.—Pro-rector, Vide Hernandez, P. Bartholomaeus.
Salmanticensis Episcopus, Vide Castro Lemas.
Salmeron, P. Alphonsus, 9, 12, 25, 59, 72, 79, 142, 169-171, 173-179, 181-187, 189, 190, 192, 193, 215.
Salomon, 486.
Salvatierra, 439.
San Carlos, Ludovicus Jacobus de, 291.

San Millan, Joannes de, Tudensis (in textu Tuicensis) Episcopus, 421.
Sanchez, P. Joannes Baptista, 307, 308, 310, 311, 313, 315.
Sanchez, Ludovicus, caesaraugustanus, Ludovici panormitani pater, 203.
Sanchez, Ludovicus, panormitanus, Regni Protonotarius, canonicus Regiae Capellae S. Petri de Palatio, inde Metropolitanae Panormi, Abbas simul S. Eliae Troynensis atque S. Mariae Roccadiae, 203.
Sanchez, Rochus, 425.
Sancta Crux, Vide Santacruz.
Sanctae Crucis Cardinalis, Vide Cervini.
Sancti Felicis Collegii S. J. Rector, Vide Maximilianus.
Sancti Petri, Joannes Baptista, 213.
Sanctini, Petrus, 75, 188.
Sanctissimae Trinitatis de Pellegrini Confraternitas, Romae, 198.
Sandoval et Zúñiga, Franciscus de, Comes de Lerma, P. Francisci de Borja gener, 551.
Sano, Nicolaus, 123.
Santacruz (Sancta Crux), P. Joannes de, 320.
Santacruz (Sancta Crux), P. Petrus de, 406.
Santi de Mara (alias da Mare, da Mari, et Santo de Mara), Jacobus, 80 83, 89-91, 94, 89, 100, 102.
Santi de Mara (alias da Mare, da Mari, et Santo de Mara), Simon, 80.
Santo, frater, 59.
Sapientia, Romana Academia, 11, 39.
Sarlart (Charlart, Ciarlart), P. Quintinus, 8, 144, 263, 278, 283.
Sarria (in textu Sarias), Marchio de, Imperatoris Legatus apud Rom. Pontif., 350.
Sassi, Panfilus, 156.
Saud, seu Sulalla, Nestorianorum Patriarcha, 15.
Sauli, Hieronymus, Genuensis Archiepiscopus, Prolegatus Bononiae, 75, 76, 134.
Sauli, Nicolaus, 74.
Sauli Casanova, Benedictus, 96, 108.
Saulus, Vide Paulus Apost.
Savonarola, Fr. Hieronymus, O. P., 24, 50.
Scaramuccia, 254.
Schadow, J. G., 189.
Schauenburg, Adolphus III von, Coloniensis Archiepiscopus, 270.
Schinosi, P. Franciscus, 165, 170, 171, 173, 175, 180, 181, 188.
Schorichius vel Scorichius, Georgius, 215.
Schorichius vel Scorichius, Petrus, 252, 253.
Schotti, Andreas, 112, 203.
Sciaccae Antistes, Vide Hemilitae.
Seggio, nomen datum consessui portus etc., Neapoli, 179, 187.
Segismundus-Augustus, Poloniae Rex, 262.
Seguera, Hieronymus, 232.
Séguier, Petrus, Advocatus Generalis Galliae, 290.
Senogalliae (Sinigaglia) Episcopus, Vide Rovere.
Sententiarum Magister, Vide Lombardus.
Sepulchri, Sancti, Ordo militum, 5.
Serrão (Serranus), Gregorius, 397, 475.
Sevillano (Sevillanus, Seviglianus), P. Petrus, Methymnensis Collegii S. J. Rector, 305, 306, 308, 309.
Sforza (Sforzia) domina, 246.
Sforza (Sforzia) Pallavicini, 246, 254.
Siciliae Episcopi, 223.
Siciliae Pro-rex, Vide Vega, Joannes de.
Siciliae Rex, Vide Martinus junior.
Sigonio, Carolus, 156.
Siliceus, Joannes, Vide Martinez Gu'jarro
Silva, Catharina de, Melitensis Comitissa, uxor Didaci Hurtado de Mendoza, II Comitis de Mélito, 330.
Silveira, Vide Sylveira.
Silvensis Episcopus, Vide Osorio.
Silvius, Petrus, Vide Bossche.
Simon, Mag., Eugubii, 29.
Simon et Juda, SS., 8.
Siracusanus Episcopus, Vide Bononia.
Sissa, Lucianus, 123.
Soares, Joannes V.I, O. S. A., Conimbricensis Episcopus, 417.
Socher, Antonius, 239, 240, 243, 245, 249.
Socrates, 532.
Soler, Monserrat, 385.
Sommal (Sommalius), Henricus de, 153.
Sommervogel, P. Carolus, 34, 150, 174, 175, 398.
Soranus Episcopus, Vide Giglio.
Soriano (Surianus, in textu Surrianus), Angelus, 121, 122, 264.
Soriano (Surianus), Michaël, venetorum Legatus in Austria, 245, 264.
Sotwell, P. Nathanaël, 34, 174.
Souchière, Hieronymus de la, Ordinis Cisterciensis, Abbas Clarae Vallis, postea totius Ordinis, tandem Cardin., 291, 292.
Sousa, P. Michaël de, 397, 414.
Sousa, Thomas de, Brasiliae Gubernator, 456, 460, 463, 464, 467-469, 471, 474.
Soveral, Jacobus, 450.
Spes, Michaël, 215.
Spiga, P. Petrus, 277, 283.
Spinola, Thomas, 73, 96, 108.
Steinhuber, P. Andreas S. J., Cardinalis, 12, 199.

Stella, Fr. Thomas, vulgo Todeschinus, O. P., Justinopolitanus (Capodistria) Episcopus, 142.
Stephanus, subalpinus, 48.
Stephanus, Franciscus, 200, 202.
Stephanus, Robertus, 293, 294.
Stevordianus, Vide Gewaêrts.
Stevez, Vide Estevez.
Stockamer, Georgius, Ingolstadiensis Academiae patronus, 261.
Strabonius, 86.
Strada, Vide Estrada.
Strada, P. Ludovicus de, 327.
Straticotus (Stratigus vel Strategus, alias, sed mendose, Stratigos), summus magistratus Messanae, 191, 226.
Strunk, 265.
Suarez, P. Antonius, 405.
Suarez, P. Cyprianus, 394, 403, 404.
Suarez, Dominicus, Legatus Imperatoris, Genuae, 77.
Suarez, P. Franciscus, 5, 19.
Suarez de Figueroa, Christophorus, 179.
Suarez de Figueroa, Gomus, V Comes et I Dux de Feria, frater P. Antonii de Córdoba et Figueroa, 305, 330, 349, 350.
Suarez de Figueroa, Laurentius, Comes de Feria et Marchio de Priego, 349, 350.
Suetonius, italus, 240.
Sulalla, Vide Saud.
Summonte, Joannes Antonius, 179, 186.
Surianus, Surrianus, Vide Soriano.
Sylveira (alias Silveira), P. Gonsalvus vel Gundisalvus, Ulyssiponensis Professorum domus S. J. Rector, 404, 406, 408, 409, 413, 414, 416, 425.
Sylvius, Petrus, Vide Bossche.

T

Tablares, P. Petrus de, 330, 374, 375, 429-431, 437, 440, 441.
Tacitus, Cajus Cornelius, 87.
Tagliacarne, Joannes Franciscus, 95.
Tagliavia, Petrus, Cardinalis et Panormitanus Archiepiscopus, 206, 207, 213.
Tapper (Tassis juxta Butkens), Ruardus, Lovaniensis Universitatis Cancellarius, 13, 272, 277, 280, 281, 284, 285.
Tassis, Joannes Antonius de, 250.
Tassis, Matthaeus (alias Maffeus, in textu Mathias) de, 250.
Tavono (Tavonus), P. Joannes Baptista, Patavini Collegii S. J. Rector, 111-115.
Tellez, Alfonsus, 393.
Tellez, P. Balthasar, 14, 291, 355, 390, 394, 403, 405, 425, 435.
Tellez Giron, Maria, I Ducissa de Arcos, 350.
Termolensis Episcopus, Vide Durante.
Ternatensis Arcis Praefectus, 490.
Ternatensis Rex, Vide Aërius.
Textor, Urbanus, Vide Weber.
Theatini, Neapoli, 181, 182.
Theodosius, Dux de Bragança (Bergantiae), 361, 362, 406, 436.
Theutonius, Theodosii, Ducis de Bragança frater, 322, 393, 394, 436, 437.
Thomas, bononiensis, 231.
Thomas, Bernardi Oliverii socius, 271.
Tiburtini Collegii S. J. Rector, Vide Lotharingius.
Timotheus, S. Pauli discip., 42.
Tirama, Joannis Natalis uxor, 95.
Toda et Güell, Eduardus, 251, 294.
Toledo, Eleonora de, Florentiae Ducissa, 57, 58, 64, 68, 69, 71-73, 79, 171.
Toledo, Franciscus de, 64, 66.
Toledo, Garcia de, 26, 57, 171, 175, 182.
Toledo, Joannes de, 71.
Toledo, Ludovicus de, 66, 68, 170, 171, 173.
Toledo, Petrus de, Neapolitanus Pro-rex, Marchio de Villafranca, 26, 57, 58, 171, 184, 185, 187.
Toletanus Archiepiscopus et Cardinalis, Vide Martinez Guijarro.
Toletus, Hieronymus, Vide Faletus.
Toppi, Nicolaus, 28.
Torano, Joannes, Sancti Joannis de Mercato in regione Campitelli rector, 25.
Torres (Turrianus), P. Dr. Balthasar de, 8, 9, 204, 219, 220.
Torres, Dr. Bartholomaeus de, Siguntini Collegii lector, mox Canariae Episcopus, 326.
Torres, P. Cosmus de, 491, 496.
Torres, Mag. Hieronymus, 381, 382.
Torres, P. Michaël de, Salmanticensis Collegii S. J. Rector, 13, 302, 354, 390, 391, 394, 395, 397, 401, 407-409, 411, 412, 414, 421, 427, 431, 436-438, 440, 441.
Tournon, Franciscus de, Cardinalis, 57.
Tramezzino, Michaël, 133.
Tridentinum Concilium, 34, 59, 173, 180, 189, 223, 251, 290, 341, 365, 366.
Trigault, P. Nicolaus, 480, 486.
Trigestinus Episcopus, Vide Perragues et Castillejo.
Trutchsess von Waldburg, Otto, Augustanus Episcopus et Cardinalis, 11, 69, 141, 142, 261, 262.

Tudensis (in textu Tuicencis) Episcopus, Vide San Millan.
Turrianus, Vide Torres.

U

Ughelli, Ferdinandus, 251.
Ugoletti, P. Elpidius, 6, 10, 111-113, 202, 215, 225, 235, 238.
Uguccioni (in textu Hugozonius vel Guzonius), Benedictus, 317, 368.
Ulyssiponensis Archiepiscopus, Vide Vasconcellos et Meneses.
Ulyssiponensis Collegii S. J. Rector, Vide Fernandez, P. Urbanus. — Id. Carneiro.
Ulyssiponensis Professorum domus S. J. Rector, Vide Sylveira, Gonsalvus.
Urbini Dux, Vide Rovere, Guido.

V

Valderrábano, P. Joannes de, 317.
Valdes, Ferdinandus de, Hispalensis Archiepiscopus, tribunalis Inquisitionis in Hispania Praeses, 16, 17, 429.
Valdes, Joannes, 171, 172.
Valdivia, P. Ludovicus de, 302, 312.
Valentiae Gubernator, Vide Ferrer.
Valentiae Pro-regina, Vide Velasco, Elisabeth de.
Valentiae Pro-rex, Vide Cárdenas et Pacheco.
Valentini, Philippus, 157.
Valentini Collegii S. J. Rector, Vide Barma.
Valentinus Archiepiscopus, Vide Villanueva, S. Thomas de.
Valerio (Valerius), Mag. Joannes, 157, 159, 160.
Vallisoletani Collegii S. J. Superior, Vide Gonzalez, P. Joannes.
Vandebergius, Burchardus, Viennensis canonicus, 249.
Vargas, Franciscus, Imperatoris Secretarius, 223.
Vargas de Carvajal, Gutierre, Placentiae (in textu Plasentiae) Episcopus, 365, 366.
Vasconcellos, P. Simon, 397, 456, 465, 476, 478, 479.
Vasconcellos et Meneses, Ferdinandus, Ulyssiponensis Archiepiscopus, 354.
Vasto, Marchionissa del, 171.
Vaz, Georgius, 447, 449.
Vaz, Gonsalvus, 397, 398, 404, 406, 409.
Vazquez, Mag. Dionysius, 321.
Vega, Antonius de, frater Joannis, Siciliae Pro-regis, Abbatiae Italae Abbas, 202, 203.
Vega, Ferdinandus, Siciliae Pro-regis filius, 203.
Vega, Isabella de, Ducissa de Bibona et Comitissa de Luna, 212, 213, 219-221, 235-238.
Vega, Joannes de, Siciliae Pro-rex, 10, 182, 184, 186, 191, 193, 198, 200, 202-204, 207, 211, 212, 216-224, 226 231, 236-238.
Vega, Suero de, Joannis filius, 203.
Velasco, Elisabeth de, uxor Bernardini Cárdenas de Velasco, Ducis de Maqueda, Pro-regis Valentiae, etc., 373.
Velasco, Maria de, Comitissa de Osorno, 321, 335.
Velasco et Aragon, Juliana Angela, Ducissa de Frias, Comitis-stabilis Castellae uxor, 321, 335, 346.
Velati, Joannes Baptista, alias Joannes Baptista de Jesu, 25, 29-31.
Velpius, Rutgerus, bibliop., 487.
Velz (Veltius), vel Delz (Delzius), Doctor, 268.
Veneti Collegii S. J. Rector, Vide Helmi.
Venusto (Venustus), P. Petrus, 204, 213.
Verallo, Hieronymus, Cardinalis, Apostolicus Nuncius in Gallia, 292.
Verdière, P. Carolus Henricus, 261.
Vergara, Dr. Alphonsus, Vide Ramirez de Vergara.
Vergerius, Petrus, Justinopolitanus (Capodistria) Episcopus, 123, 126, 142.
Veronensis Episcopus, Vide Lipomani.
Vervicaro, Baro de, Vide Castigliar.
Veyra, Vide Vieyra.
Viciana, Martinus de, 291.
Vico, 251.
Victoria, Franciscus de, O. P., 532.
Victoria, Joannes de, 240, 243, 246, 247, 252-254.
Vieira, Vide Vieyra.
Viennensis Collegii S. J. Rector, Vide Delanoy.
Viennensis Episcopi Administrator, Vide Wertwein.
Viennensis Episcopus, Vide Nausea.—Id. Wertwein.
Vieyra (alias Vieira, Veyra et Beira), P. Franciscus, 391, 396, 405, 409, 415.
Vieyra (alias Vieira, Veyra et Beira), P. Joannes, 489, 490.
Vignes, Hieronymus, 175, 177, 181.
Villafranca, Marchio de, Vide Toledo, Petrus de.

Villani, Joannes, 179.
Villanueva (Villanova) P. Franciscus de, Complutensis Collegii S. J. Rector, 322, 324, 328, 343, 352, 362, 364-366, 368, 412.
Villanueva, Franciscus Antonius, 186, 188.
Villanueva, S. Thomas de, Valentinus Archiepiscopus, 376.
Villarroël, Alphonsus, Abbas Vallisoleti, 314.
Vincentius, Valentinus, 202, 231, 234.
Vinck, P. Antonius, Messanensis Collegii S. J. Rector, 193, 221, 236-238, 284.
Viola (Violaeus), P. Joannes Baptista, Commissarius in Italia, citra Romam et Neapolim, 13, 20, 62, 118, 121, 136, 137, 146, 150, 151, 153-156, 160-168.
Viperani (Viperanus), Joannes Antonius, 28, 39, 199, 200.
Vishaven, P. Cornelius, 199, 221.
Vittorelli, Andreas, 35.
Vives, Ludovicus, 165.
Vogadus (alias Bogado, Bogadus), Ignatius, 443.

W

Weber (Textor), Urbanus, Labacensis Episcopus, 239, 241, 242, 248, 252, 253, 258, 259.
Wedigh, Cecilia de, 271.
Wertwein, Christophorus, Viennensis Episcopus, 18, 244, 245.
Witte (Candidus), Adrianus de, 146, 148, 150, 151, 153, 154, 158.

X

Xavier, P. Franciscus, Vide Javier.
Xiachae Antistes, Vide Hemilitae.
Ximeno, Vincentius, 291.

Z

Zagrabiensis Episcopus, Vide Draskovich.
Zambeccarius, Pompejus, Ecclesiae Montis-Regalensis Suffraganeus, Cardinalis Farnesii Vicarius, 230-233, 235.
Zamorensis Episcopi frater, 353.
Zárate, Petrus de, 5.
Zerbiensium Regulus, 229.

INDEX GEOGRAPHICUS

A

Abbatia Laetiensis, 283.
Abbatia Novae Lucis, prope Cataniam, 224, 225.
Abbatia Rochamadoris, Vide Abbatia S. Mariae de Scala.
Abbatia S. Mariae de la Grotta (de Crypta), vulgo S. Philippi, Panormi, 205, 206.
Abbatia S. Mariae de Scala (alias dicta S. Mariae Roccae Amatoris vel Rochamadoris, sub monac. S. Nicolai de Arenis regimine, non longe a Messana, 224, 225.
Abbatia S. Benedicti, prope Eugubium, 33.
Abbatia S. Germani, Parisiis, 286.
Abbatia SS. Petri et Pauli de Itala, 202, 203.
Abbatia Vivo (Vivum) dicta, prope Eugubium, 32, 33, 37, 38.
Abula, Vide Avila.
Abulense Collegium S. J., 366.
Acciae dioecesis, 88.
Achatianum templum, Coloniae, 271.
Adjacii dioecesis, 88.
Adriaticum mare, 119.
Aegidii, Sancti, templum, Burgis, 319.
Aegiptum, 483.
Aethiopia, 15, 27, 86, 399, 432, 446, 485, 498.
Africa, 16, 133, 184, 229, 408, 442-445.
Agata de Goti, Santa, 194.
Agathae, Sanctae, templum, Coloniae, 271.
Alarcon, oppid., 325.
Alcalá de Henares (Complutum), 302, 322, 323, 325, 326, 328, 330, 333, 335, 368, 393, 401, 429, 437, 441.
Alcira, 381, 382.
Alepum, 483.
Aleriae dioecesis, 88.
Aleson, oppid., 325.
Algarbiorum Collegium, 399, 432.
Algeriae regnum (in textu Argeliae), 443.
Almazan, 71.
Amaro, Santo, oppid. in Brasilia, 468.
Almeirim (Almerinum, Almeirinum), 407.
Amangucium, alias Amanguchum, 491, 496.
Amboyni (alias Ambuini), insulae, 490, 491.
America, 397.
Amsterdam (Amsterodamum, Amstelodamum, Amsterdamum), 7.
Ancharanum Collegium, Bononiae, 134, 135.
Ancona, 23.
Anconitana Marchia, 22.
Anglia, 40, 43, 156, 249, 330.
Augra dos Reys (Angra Regiorum), 470.
Annae, Sanctae, monasterium, Conimbriae 414.
Asuncion, urbs in Paraguay, 457, 458.
Annunciatae templum, Neapoli, 171, 177.
Annunciatae templum, vulgo dictum *del Guastato*, Genuae, 78.
Annunciatae templum, vulgo dictum *di Portoria*, Genuae, 73, 78.
Antonii, Sancti, monasterium in oppido Benespera, 414, 422.
Antonii, Sancti, templum, Panormi, 203.
Antonii, Sancti, templum Ulyssiponensis Collegii S. J., 397, 407, 409.
Antonii, Sancti, templum, Vallisoleti, 315, 316.
Anvers (Antuerpia), 146.
Aquileia, 124.
Arabia, 481-483.
Aragonia, 5, 13, 531.
Aragoniae Collegia S. J., 332.

Aragoniae Provincia S. J., 131, 322, 332, 372, 373, 382, 384, 388, 394.
Ariminum, Vide Rimini.
Armuzia (Ormuz), 398, 480, 482, 483.
Arvernia, 287, 293, 296, 297.
Ascensionis monasterium, Messanae, 226, 227.
Asia, 15, 133, 486.
Assyria, 15.
Atala, Vide Itala.
Augubium, Vide Gubio.
Austria, 243, 248, 259.
Austria Inferior, 243, 245.
Austriae Provincia S. J., 239, 240, 284.
Avila (Abula), 311, 366.

B

Baccainum, Vide Bazain.
Baetica, 331, 341, 344, 350, 352, 365, 433, 439.
Baeticae Provincia S. J, 364.
Baëza, 331, 433.
Baëzae Academia, 331.
Baëzae Collegium S. J., 331, 332.
Bahia; etiam dicitur Baya Omnium Sanctorum, San Salvador, Salvador, 397, 462-465, 467, 475, 476, 478, 479.
Banza Congo, alias dicta San Salvador urbs in regno Magni Congi, 447, 449, 450.
Barcelona (Barcino, Barcinona, Barchinona), 183, 332, 382, 385-387, 427, 428, 431, 439,
Barcinonense Collegium S. J., 384-386.
Barcinonensis Academia, 428.
Barettali (Barettalum, in textu Baretatum), 92.
Bartholomaei, Sancti, templum, Bononiae, 124.
Bassano (Bassanum), 109, 114, 115.
Bastia, 80, 84, 85, 88, 92, 94, 95, 98-100, 102-108.
Bastiae Collegium S. J., 102, 103.
Baxora, 483.
Bazain (in textu Baxain et Baccainum), 480, 484, 487.
Bazaini Collegium S. J., 484.
Beaumont (Hainaut), 283.
Beauregard (Beoregardus, Belligardus), 297, 300.
Belgium, 154, 215, 267, 268, 278, 281, 295.
Belligardus, Beoregardus, Vide Beauregard.
Beyrouth (Berytum), in textu Barut, 483.
Bibona, 213, 216, 219, 221, 231, 233, 235-238, 284.
Bibonense Collegium S. J., 216, 235, 236.
Billom (Billiomum, Billomum), 288, 296, 301.
Billomense Collegium, 301.
Billomensis Academia, 298, 301.
Binche, 283.
Bisignano, 23.
Bois-le-Duc, 267.
Bologna (Bononia), 67, 122, 130, 132-134, 136, 153, 154, 160, 167.
Bonifacii portus, 64, 108.
Bonifacio (in textu S. Bonif.), 88, 93, 105.
Bononia, Vide Bologna.
Bononiense Collegium S. J., 130-132.
Bordeaux (Burdigala), 300.
Borgo, 98.
Bozio (Bozi in textu), 108.
Braga (Bracara, in textu Brachara), 413.
Bragança, Ducatus de, 487.
Brando, 103.
Brasilia, 5. 15, 390, 391, 396-398, 411, 415, 416, 456, 457, 462, 465, 471, 475-477, 479, 498.
Brasiliae Provincia S. J., 456.
Brixia, 264.
Bruges, 267, 284.
Bruxelles, 203, 267, 283, 346.
Bungum, 491, 492, 494, 495, 497.
Burdigala, Vide Bordeaux.
Burgense Collegium vel domus S. J., 317, 339, 368.
Burgensis dioecesis, 349.
Burgi, Vide Burgos.
Burgo de Osma (Burgum Osmae), 323.
Burgos (Burgi), 302, 317, 319, 320, 335, 336, 345-349, 360, 366, 368, 369.
Burgundia, 295.

C

Caesaraugusta, Vide Zaragoza.
Caesaraugustanum Collegium S. J., 384, 388.
Cagliari, 294.
Calabria, 17, 50, 194, 223.
Calagurris, Vide Calahorra.
Calagurritana dioecesis, 325, 332.
Calahorra (Calagurris), 344, 345, 347.
Calatabellota, 238.
Calatagirona, 224, 238.
Calvi, 109.
Camarina, antiqua Siciliae urbs, 254.
Cambayae regnum, 484.
Canariae dioecesis, 337.
Capocorso, provincia de, in Corsica, 80, 84, 90, 103.
Capraria, insula, 105.

Carfagnana (Garfagnana, Grafiniana, Carfiniana) provincia, 60, 112, 163, 164.
Carignani Collegium, 76.
Carignano (Carinianum, in textu Charignianum), 74, 75.
Carmelitarum monasterium, Calatagironae, 224.
Carmelitarum monasterium, Viennae, 258.
Carthaginensis dioecesis in Hispania, 325.
Casa la Reina (Domus Reginae), 335, 346.
Castella, 5, 311, 319, 330, 335, 338, 357, 372.
Castellae Provincia S. J., 302, 312, 332, 441.
Castello di S. Colombano, 81.
Castellon de la Plana, 291.
Catania, 225.
Cathedrale templum, Arimini, 21.
Cathedrale templum, Genuae, 76.
Cathedrale templum, Neapoli, 171, 173, 174, 177.
Cathedrale templum S. Petri, Lovanii, 272.
Caulan, 484.
Caulanense Collegium S. J., 487, 488.
Cayrum, 483.
Cefalensis dioecesis, 214.
Ceilan, insula, 488, 489.
Cercina (alias Cercinna), insula Africae, 229.
Cercina (alias Cercinna), primaria urbs Africanae insulae ejusdem nominis, 229.
Charignanum, Vide Carignano.
Chirella, 183.
Chiromandel, 488.
Ciudad Rodrigo (Civitas Roderici), 352, 353.
Clarae, Sanctae, monasteria, in Corsica, 80.
Clarae, Sanctae, monasterium, Conimbricae, 414.
Clarae, Sanctae, monasterium, Gandiae, 381.
Clarae, Sanctae, monasterium, Montillae, 350.
Claramontana urbs, Vide Clermont-Ferrand.
Clementis, Sancti, templum, Tybure, 27.
Clericorum Collegium, Genuae, 87.
Clermont-Ferrand, Montferrand (Mons Feranius, Claramontana urbs), 297, 299.
Cocentaina, Vide Concentaina.
Cochinense Collegium S. J., 487.
Cocinum, 480, 484, 487-489.
Coimbra (Conimbria, Conimbrica), 302, 352-354, 391, 394, 401, 408, 410, 416-418, 430, 431, 435, 436, 487.
Collegiata ecclesia Montis-Regalis, 230.
Colombano, San, oppid., 81, 82.
Colonia, Vide Koëln.
Coloniense Collegium S. J., 10, 265, 271.
Columbani, Sancti, templum, Bononiae, 134.
Columbani, Sancti, templum, Genuae, 76.
Comitis-stabilis Collegium, Burgis, 368.
Commurinum, 487, 488.
Como, 123.
Complutense Collegium S. J., 322, 324, 326, 328, 333, 336, 343, 369.
Complutense Collegium Majus, 334, 352, 365, 401.
Complutensis Academia, 322-324, 327, 328, 334, 337.
Complutum, Vide Alcalá.
Compostella, Vide Santiago.
Compostellana Academia, 438.
Compostellanum Collegium S. J., 72, 391, 400, 438.
Concentaina, alias Cocentaina, 376.
Concha, Vide Cuenca.
Conchensis dioecesis, 325.
Congum, Vide Magnum Congum.
Conimbrica, Vide Coimbra.
Conimbricense Collegium S. J., 353, 354, 392, 410-414, 416-419, 421, 426, 430, 434-436, 447, 450.
Conimbricensis Academia, 337, 353, 424.
Constantinopolis, Vide Stamboul.
Conversarum monasterium, Ferrariae, 138.
Conversarum monasterium, Messanae, 225, 229.
Conversarum monasterium, Mutinae, 154, 155.
Conversarum monasterium, Neapoli, 173.
Conversarum monasterium, Patavii, 113.
Conversarum monasterium, Venetiis, 117.
Conversarum monasterium. S. Marthae, Romae, 204, 229.
Córdoba (Corduba), 324, 331, 350-352, 360-363, 365, 372, 436.
Cordubense Collegium S. J., 324, 339, 350, 352, 363, 376.
Cordubensis Academia, 365.
Corella, 324.
Corsica, 6, 80, 82, 84-88, 94-101, 103-109, 165.
Cosmae, Sancti, aedes, Parisiis, 286.
Côulon, 487.
Cremona, 6, 112.
Crucifontanus (Croixfontaine), Vide Rochefontaine.
Crucis, Sanctae, templum, Eugubii, 33.
Cucanum Gymnasium, Coloniae, Vide Kukanum.
Cuenca (Concha), 429, 431.
Cyprus, insula, 5.

D

Denia, 381.
Dillingen, 277.

Dinant, 153.
Domingo de la Calzada, Santo, 335, 345.
Dominicanorum Collegium, S. Gregorii, Vallisoleti, 316.
Dominici, Sancti, templum, Cordubae, 364.
Domus Reginae, Vide Casa la Reina.
Dordrecht, 7.
Douai, 153.

E

Ebora, Vide Evora.
Eborense Collegium S. J., 14, 407, 422, 423, 427, 432.
Engadina, vallis rhaetica, 123.
Erasti, Sancti, monasterium, Monteregali, 233.
Eremitorium D. Pauli, Ormuzii, 481, 482.
Eremitorium Sanctae Magdalenae, Ognate, 340, 353.
Eremitorium Sancti Rocchi, Ulyssiponae, 435.
Espiritu Santo, oppid. et portus in Brasilia, 464, 469.
Eugubina dioecesis, 34.
Eugubinum Collegium S. J., 27. 33, 34, 37, 40.
Eugubium, Vide Gubio.
Europa, 10, 15, 38, 242, 398, 409, 478, 498.
Evora (Ebora), 352, 354, 360-362, 422-425, 433.
Evorense Collegium S. J., Vide Eborense.

F

Falconense Collegium, Lovanii, 279, 282.
Felicis, Sancti (San Fins), Collegium S. J., prope Conimbriam, 393, 414, 416, 419-422, 435.
Felicis, Sancti (San Fins), templum Collegii, 420.
Fermo, 17.
Ferrara (Ferraria), 67, 111, 132, 137-144, 156, 159-161, 167.
Ferrariense Collegium S. J., 136, 140-142, 144, 145, 162.
Fez (Fezza, Fessa), 442, 446.
Firandum, 492.
Firenze (Florentia), 20, 50, 51, 57, 58, 60, 62-67, 69-75, 77-79, 111, 121, 123, 152, 164, 174, 177, 178, 194.
Flandria, 21, 32, 66, 144, 294.
Florentia, Vide Firenze.
Florentinum Collegium S. J., 57, 59, 63-66, 68, 69, 71, 73, 79, 221.
Forest, prope Bruxellas, 278.
Foresti monasterium, 278.
Francisci, Sancti, monasterium, prope Bastiam, 84, 95, 98, 103.
Francisci, Sancti, monasterium, Methymnae Campi, 310.
Francisci, Sancti, templum, Bastiae, 92.
Francisci, Sancti, templum, Origliani, 83.
Frata, 29.

G

Gaëta, 169.
Gallia, 10, 19, 66, 162, 163, 288-290, 292, 296, 330, 343, 428, 535.
Gallicia, 394, 400, 418, 421, 423.
Gandia, 13, 335, 372, 376, 377, 379-382, 386, 429, 439.
Gandiense Collegium S. J., 131, 324, 372, 376, 379, 380, 383.
Gandiensis Academia, 380, 383.
Garfagnana, prov., Vide Carfagnana.
Gelbae, Vide Lothoplagiti insula.
Genoa (Genua), 64, 72-75, 77 81, 86, 87, 94, 101, 104, 108, 164, 427.
Genuense Collegium S. J., 73, 75-79.
Genuensis dioecesis, 93.
Genuensis respublica, 78, 80, 87, 96, 101, 103, 108.
Gerbae, Vide Lothoplagiti insula.
Germani, Sancti, templum, Parisiis, 294.
Germania, 19, 40, 43, 66, 87, 142, 247, 249, 252, 257, 263, 282.
Germania Inferior, 10, 144, 262, 283.
Gerona (Gerunda, in textu Girona), 428.
Giglio, insula, 107.
Girona, Vide Gerona.
Goa, 484, 485, 487, 488, 496.
Goanum Collegium S. J., 485.
Granada (Granata), 305, 433.
Granatense Regium Collegium, 331.
Gratz (Gratum), 243.
Guarda, 414.
Gubio, Gubbio, Eugubio (Augubium vel Eugubium), 5, 21, 29, 31, 33, 35, 37, 39, 40, 54.
Gueldre, 284.
Guipuzcoae (alias Guipuscoae), provincia, 323, 335, 339, 433.

H

Hesperia, Vide Hispania.
Hierosolyma, Jerusalem, vel Hierusalem, 5, 184, 483, 545.
Hierosolymitanum Collegium, 15.
Hispalensis dioecesis, 325.
Hispalis, Vide Sevilla.
Hispania, 10. 17, 19, 64, 73, 111, 131, 147, 183-185, 216, 217, 226, 250, 304, 309, 323, 327, 330, 332, 336, 337, 341, 345, 350, 365, 367, 368, 370-372, 382, 385, 391, 393, 428, 439, 442, 528, 535.
Hispaniae Academiae seu Universitates, 316, 317, 323.
Hispaniae Collegia S. J., 365, 433.
Hispaniae Provincia S. J., 401.
Hispaniae Provinciae S. J., 427.
Hita, oppid., 325.
Hitala, Vide Itala.
Hollandia, 277.
Hotel de Clermont, 295, 298, 301.
Hungaria vel Ungaria, 246, 254.
Huy, 153.

I

Ildefonsi, Sancti, templum, Compluti, 322.
Ilerda, Vide Lérida.
India Orientalis, 5, 15, 86, 133, 390, 391, 393, 396-398, 405, 408, 409, 412, 415, 416, 450, 456, 477, 479, 480, 483-490, 496-498.
Indiae Provincia S. J., 480, 485.
Ingolstadiense Collegium S. J., 263.
Ingolstadiensis Academia, 261.
Ingolstadt (Ingolstadium), 277.
Ischia, insula, 172.
Itala (alias Atala et Hitala), 202, 203.
Italia, 5, 11, 19, 23, 40, 51, 64, 66, 68, 79, 108, 112, 113, 118, 123, 135, 142, 146, 149, 153, 157, 162, 163, 167, 171, 198, 200, 212, 226, 240, 242, 251, 259, 264, 266, 271, 278, 284, 294, 373, 385, 391, 393, 403, 428, 430, 434, 483, 484, 535.
Italiae Collegia S. J, 166.
Itri, 169.

J

Jabea (Xavea), 381.
Jacobi de Compostella, Sancti, templum, 421.
Japonia, 86, 133, 409, 489, 497.
Jerez (Xerez), 336, 433.
Jerûsalem, Vide Hierosolyma.
Joannini, Sancti, domus, Florentiae, 65, 73.
Joannini, Sancti, templum, Florentiae, 69-71.
Joannis, Sancti, monasterium, in oppid. Longovarez, 422, 435.
Joannis, Sancti, templum, Neapoli, 171, 179.
Joannis, Sancti, templum militum Methymnae Campi, 312.
Justi, Sancti, templum, Compluti. 328.

K

Köeln (Colonia), 7, 12, 13, 265-268, 270, 271, 276, 277, 284, 336.
Kukanum (alias Cucanum) Gymnasium, Coloniae, 266.

L

Laetiae, Vide Liessies.
Laurentii, Sancti, templum, Burgis, 319.
Lauretum, Vide Loreto.
Lenha, Punta da, 450.
Leodiense Collegium S. J., 263.
Leodium, Vide Liège
Lérida (Ilerda), 428.
Liège (Leodium), 263.
Liessies (Laetiae), 283, 284.
Lisboa (Olysippo, Ulysipo, Ulyssipona, Lisbona), 13, 354-356, 359, 360, 362, 391, 393-397, 402, 405, 410, 412, 415, 416, 418, 422-425, 431, 433-438, 440, 450, 451, 474, 476.
Logroño (Lucronium), 13, 345, 346.
Loreto (Lauretum), 120, 284.
Lothoplagiti insula (alias Gerbae, Gelbes, Zerbes), 229.
Louvain (Lovanium), 7, 146, 266, 270, 272, 274, 277-279, 281-284, 291, 292, 487.
Lovaniense Collegium S. J, 10, 262, 263, 268, 272, 281.
Lovaniensis Academia, 277, 279, 282.
Lovanium, Vide Louvain.
Luca, 60, 74, 75.
Lucerne, 277.
Luciae, Sanctae, templum, Bononiae, 132-134.
Lucronium, Vide Logroño.
Lugdunum, Vide Lyon.
Lummen, in Brabantia, 275.

Lusitania, Vide Portugallia.
Lusitaniae Provincia S. J., 397.
Lusitanorum Collegium, Moluci, 491.
Lutetia Parisiorum, Vide Paris.
Lyon (Lugdunum), 532.

M

Madeira, insula, 480.
Madrid (Matritum, Madridium), 250, 329, 330, 333, 437, 443.
Magnum Congum, seu Congum, 397, 447-455, 491, 498.
Mailaporam, Vide Thomas, Sanctus.
Majorica, insula, 226.
Malaca, in India, 488, 489.
Malacense Collegium S. J., in India, 489.
Malacensis dioecesis, in Hispania, 325.
Malines (Mechlinia), 267.
Malucae, insulae, Vide Molucae.
Malucense Collegium S. J., Vide Molucense.
Malucus, insula, Vide Molucus.
Mamertinum Collegium S. J., Vide Messanense.
Mariae, B. V., templum, Bastiae, 92.
Mariae, B. V., templum, Panormi, 206.
Mariae, B. V., templum, in oppido Sancti Amari, in Brasilia, 468.
Mariae, B. V., de Crypta (de la Grotta), templum, vulgo S. Philippi, Panormi, 205, 211.
Mariae, B. V., de Galera dictae, templum, Bononiae, 134.
Mariae, B. V., de Loreto, domus, 22.
Mariae, B. V., de Loreto, templum, 23.
Mariae, B. V., del Pi, templum, Barcinonae, 385, 428.
Mariae, B. V., Pietatis, templum, Bungi, 495.
Marianensis dioecesis, 88, 96, 97.
Matritense Collegium S. J., 40.
Matritum, Vide Madrid.
Mauri insulae, 490, 491.
Mechlinia, Vide Malines.
Medina de Rioseco (Methymna de Rioseco), 310.
Medina del Campo (Methymna Campi, Sarabis), 13, 302, 305, 308, 310-314, 335, 344, 348, 349, 351, 369, 373.
Medinaceli (Mediolum, Medina coeli), 325.
Mediolanum, Vide Milano.
Mediolum, Vide Medinaceli.
Meliapora, Vide Thomas, Sanctus.
Melita, insula, 228.
Messanense vel Mamertinum Collegium S. J., 193, 194, 199-201, 203, 204, 216, 217, 221, 223, 224, 236.
Messina (Messana), 56, 67, 169, 183, 191, 194, 197-203, 205, 207, 212, 215, 221, 223, 225, 226, 236.
Methymna Campi, Vide Medina del Campo.
Methymna de Rioseco, Vide Medina de Rioseco.
Methymnense Collegium S. J., 305, 315, 349.
Michaëlis, Sancti, aedes, Messanae, 226, 227.
Michaëlis, Sancti, templum, Lovanii, 272.
Milano (Mediolanum), 198.
Misericordiae templum, Conimbriae, 413.
Modena (Mutina), 5, 20, 41, 113, 136, 140, 146, 147, 149-160.
Molucae insulae, seu Malucae, 86, 133, 491.
Molucus, seu Ternate, insula, 489-491.
Molucense seu Ternatense Collegium S. J., 489-491.
Monreale (Mons Regalis), in Sicilia, 113, 188, 216, 229-231, 233, 234.
Mons Christi, in Corsica, 106.
Mons Feranius, Vide Clermont-Ferrand.
Mons Regalis, Vide Monreale.
Montagna, 179.
Monte Rotondo, Romae, 26.
Montefiascone (Mons Fiasconis seu Falisci), 22.
Monteleone, 17.
Montepulciano, 40.
Monteroso, 26.
Montferrand, Vide Clermont-Ferrand.
Montilla, 362-364.
Montis Regalis archidioecesis, 230-232.
Montis Regalis Collegium S. J., in Sicilia, 215-217, 230, 232, 235, 236.
Mora, 393.
Morbegno (Morbegnum), 122 130.
Mula, oppid., 325.
Munich, 277.
Murviedro (olim Saguntum), 291.
Mutina, Vide Modena.
Mutinense Collegium S. J., 136, 138, 145, 147, 148, 152-158.

N

Napoli (Neapolis), 12, 16, 54, 67, 169-175, 177-186, 189-192, 213, 217, 218.
Navarra, 324.
Nazaraeum (de Nazareth) coenobium, Lovanii, 12.

Neapolis, Vide Napoli.
Neapolitanum Collegium S. J., 62, 169, 176, 177, 180-182, 184-190, 192, 193, 215.
Neapolitanum regnum, 165, 170-172, 175, 181, 184.
Nebii dioecesis, 88.
Neuss, 7.
Nicolai, Sancti, templum, Burgis, 319.
Nicolai, Sancti, templum, Messanae, 199.
Nimegue, 277.
Novara, 51.

O

O Porto, Vide Porto.
Ognate, Ognatum, Onnate, Vide Oñate.
Ognatense Collegium S. J., 321, 339, 340, 342, 345, 347, 433.
Onteniente, 376, 377, 379, 381.
Oñate (Ognate, Onnate, Ognatum), 302, 339, 341, 429.
Origlianum (Rogliano?), 81, 83, 88, 91.
Ormuz, Vide Armuzia.
Ostia, 218.

P

Padova (Patavium), 109, 111-113, 116, 153.
Palacios de Venaver, 349.
Palermo (Panormum), 113, 183, 191, 193, 200, 202-207, 211, 213, 215, 217-219, 222, 224, 230, 233, 238.
Pamplona (Pampilona, Pompeiopolis, Pompelon), 335, 341, 342.
Panormitana probationis domus S. J., 199.
Panormitanum Collegium S. J., 199, 204-208, 211, 212, 214-217, 220, 222, 223, 225, 230-232, 236, 238.
Panormum, Vide Palermo.
Papia, Vide Pavia.
Paraguay, 456, 459, 471.
Paris (Parisii, Lutetia Parisiorum), 13, 55, 86, 146, 162, 242, 288, 291-294, 296, 298, 300, 466.
Parisiense Collegium S. J., 10, 286, 296, 298, 301.
Parisiensis Academia, 39, 242, 288, 290-292, 295, 299.
Parisii, Vide Paris.
Parma, 6, 161.
Patavinum Collegium S. J., 109-112, 162.
Patavium, Vide Padova.
Patos, lacus dictus dos, in Brasilia, 471.
Pauli, Sancti, templum, Tybure, 27.
Paulus de Loanda, Sanctus, 450.
Pavia (Papia), 220.
Pays-Bas, 7, 275, 282.
Pegu, 487.
Peñíscola, 291.
Persia, 481, 482.
Persicus sinus, 480.
Peruggia (Perusium), 5, 13, 21, 38, 39, 41, 44-49, 51, 52, 54-56, 62, 63, 67.
Perusinum Collegium S. J., 39-41, 44-47, 49, 53-56.
Perusinum Seminarium, extra urbem, 45.
Perusium, Vide Peruggia.
Peruvia, 456, 457.
Pescharia, Peschariae ora, 487.
Petra Sancta, Vide Pietra.
Petri, Sancti, templum, Lovanii, 274.
Petri Martyris, Sancti, Collegium, Toleti, 336.
Philippi, Sancti, templum, Panormi, Vide Mariae, B. V., de Crypta.
Pianosa, insula, 107.
Picenus ager, 17.
Pietra Santa (Petra Sancta), 64.
Pincia, Vide Valladolid.
Pinda, in regno Congi, 450.
Pinto, 319.
Piombino (Plumbinum), 108.
Plasencia (Plasentia), 365.
Plumbinum, Vide Piombino.
Polonia, 262, 263.
Pompeiopolis, Pompelon, Vide Pamplona.
Ponteresina, 123.
Pontificium Collegium, Lovanii, 282.
Porcense Collegium, Lovanii, 282.
Porto, O Porto (Portus, Portugallia), 406, 413.
Porto Seguro (Portus Securus), 468, 469, 473-476.
Portugallia, Vide Porto.
Portugallia seu Lusitania, 5, 6, 13-15, 19, 52, 133, 291, 302, 322, 329, 332, 333, 335, 340, 343-349, 351, 352, 360, 365-367, 370, 373, 386, 389-394, 396-398, 400-402, 405, 407, 408, 411, 415-417, 423, 424, 427, 429-431, 433, 435-439, 441, 442, 447-449, 451, 453, 455, 465-468, 470, 474, 476, 477, 479, 481, 487, 496-498, 534.
Portugalliae Provincia S. J., 386, 389, 401, 412, 478.
Poschiavo, 123.
Prag (Praga), 283.
Prato, 194.
Professorum domus S. Rocchi, S. J., Ulyssiponae, 389, 402, 406-409, 434.

R

Ravenna, 17.
Reggio (Regium vel Rhegium Lepidi), urbs inter Parmam et Mutinam, 35.
Reggio (Regium vel Rhegium Julium), in Calabria, 194.
Regium Collegium, Conimbriae, 413.
Regium, Vide Reggio.
Rhenus Inferior, 7, 267.
Rimini (Ariminum), 6, 21, 22, 38, 54.
Rio Janeiro, 469.
Rocchi, Sancti, templum domus Professorum, Ulyssiponae, 404-408.
Rochefontaine (Rocefontanus), alias Croix-fontaine (Crucifontanus), 296, 298.
Rogoledo, 123.
Roma, 5, 7, 12-14, 16, 20, 21, 23-27, 32-34, 37, 39-41, 47-51, 55, 56, 61, 63-66, 68, 70, 71, 73, 75, 79, 86, 87, 90, 96, 98-102, 109, 113, 121, 122, 129, 133, 135, 144, 150, 153, 157, 161, 162, 165-170, 174, 175, 178, 180, 181, 183, 189, 191, 193, 196, 198-200, 204, 205, 213, 215-218, 220, 221, 225, 227-230, 238, 244, 250, 252, 253, 260, 262-264, 266, 267, 269, 271, 277, 278, 283-285, 288, 290, 294, 295, 322. 325, 332, 333, 343, 349, 350, 365, 366, 380-382, 386-394, 398, 401, 419, 427, 431, 433, 437, 438, 441, 497, 504, 515, 527.
Romana Collegia S. J., 61.
Romana Professorum domus S. J., 7.
Romanum Collegium S. J., 8, 10, 11, 21, 32, 38, 39, 64, 111, 144, 199, 200, 204, 218, 219, 263, 281, 285, 337, 340, 365, 379.
Romanum Collegium S. J., Germanicum seu Hungaricum dictum, 8, 11, 12, 18, 199, 218, 248, 262.
Rosae templum, Ferrariae, 137, 145.
Rosano, 23.

S

Saena, Senae, Vide Siena.
Sagonae dioecesis, 88.
Saguntum, Vide Murviedro.
Salamanca (Salmantica), 302, 303, 305, 311, 319, 322, 344, 351-353, 373, 431, 532.
Salinas, oppid., 325.
Salmantica, Vide Salamanca.
Salmanticense Collegium S. J., 302, 316, 351, 401.
Salvador vel San Salvador, in Brasilia, Vide Bahia.
Salvador, San, in regno Congi, Vide Banza Congo.
Sanlucar de Barrameda, 325.
Santarem, 407.
Santiago de Compostela (Compostella, vel S. Jacobus Compostellae), 409, 417, 431, 438.
Sarabis, Vide Medina del Campo.
Sardinia, 87, 251, 282, 283, 294.
Sassari, 282, 283.
Sassaritanum Collegium S. J, 282.
Saulorum Collegium, Genuae, 75, 78.
Saxonia, 270.
Scaletta, 202.
Scotensium templum, Viennae, 239.
Sebastiani, Sancti, monasterium, Bassani, 115.
Seggio di Nido, 188.
Seggio di Porto, 179.
Segovia, 366.
Segoviensis dioecesis, 325.
Severini, Sancti, templum, Neapoli, 172.
Sevilla (Hispalis), 310, 366, 433, 457.
Sicilia, 6, 7, 11, 15, 19, 28, 87, 112, 168, 169, 173-175, 183, 184, 188-192, 199-202, 204-206, 214, 218, 221-225, 229, 238, 239, 372, 373, 403, 434, 535.
Siciliae Collegia S. J., 166, 197, 200, 221, 242.
Siciliae Provincia S. J., 199, 205, 206.
Siena (Saena, Senae), 26, 44, 171.
Siguntina dioecesis, 325.
Siguntinum Collegium, 325, 326.
Sina, 489.
Sondrio, territorium, 123.
Speyer (Spira), 282.
Stamboul (Constantinopolis), 5.
Stephani, Sancti, templum, Viennae, 18.
Summum templum, Compluti, 322.
Summum templum, Gandiae, 378.
Sutri, 26.
Syri, Sancti, monasterium, Genuae, 78.
Syrtis parva, 300.

T

Tana, Indiae civitas, 5, 484.
Tanaa, insula, 484.
Tarancon, 319.
Taxora, 229.
Tergeste, Tergestum, Vide Trieste.
Tergestina (alias Trigestina) dioecesis, 18.
Ternate, Vide Malucus.
Ternatense Collegium S. J., Vide Malucense.
Terra nova, 95.
Terra vetus, 95.

Tetuan (Tituauum), 16, 442, 443, 445, 446.
Thomar, oppid., 397.
Thomar, Regium Castellum in Lusitania, 414.
Thomas, Sanctus, insula, 397, 448-450.
Thomas, Sanctus, seu Mailaporam (Meliapora), urbs in India, 484, 488.
Thouin, 283.
Tibur, Vide Tivoli.
Tiburtinum Collegium S. J., 25, 27.
Tituanum, Vide Tetuan.
Tivoli (Tibur et Tybur), 21, 26, 27.
Toledo (Toletum), 319, 328, 348, 365, 503, 525.
Toletana dioecesis, 325.
Toletana provincia S. J., 325, 336.
Toleti regnum, 346.
Toletum, Vide Toledo.
Tollo, vel Tolo, insula, 490.
Tordesillas, 343, 351.
Toro, 357.
Transilvania, 254.
Trient (Tridentum), 366.
Trieste (Tergeste, Tergestum, Trigestina urbs), 255.
Tude, Vide Tuy.
Turcia, 108.
Tuscia, 57, 58, 108.
Tuy (Tude), 421.
Tybur, Vide Tivoli
Tyburtinum Collegium, Vide Tiburtinum.

U

Ulyssipo et Ulyssipona, Vide Lisboa.
Ulyssiponense Collegium S. Antonii, S. J., 389, 394, 395, 402, 407, 423, 434, 438.
Ungaria, Vide Hungaria.
Ursulae, Sanctae, templum, Coloniae, 268.

V

Valence (Valentia), in Gallia, 291.
Valencia (Valentia), in Hispania, 332, 373, 374, 376, 380, 382, 385, 428, 429, 439.
Valenciennes, 153.
Valentia, in Gallia, Vide Valence.
Valentia, in Hispania, Vide Valencia.
Valentiae regnum, 291, 380, 431.
Valentina Academia, 242.
Valentinum Collegium S. J., 372, 373, 376, 429.
Valladolid (Vallisoletum, Pincia), 302, 311, 315-317, 319.
Vallisoletana dioecesis, 308.
Vallisoletanum Collegium S. J., 314.
Vallisoletum, Vide Valladolid.
Valtellina (Tellina Vallis), 22, 23, 122, 123.
Vega, domus de la, prope Burgos, 348.
Venetiae, Vide Venezia.
Venetum Collegium S. J., 109, 111, 116, 119, 121, 122, 162, 164, 166.
Venezia (Venetiae), 13, 24, 32, 33, 118, 120-122, 129, 133, 162, 166, 167, 174, 254, 264, 483.
Vercelli (Vercellae), 51.
Vergara, 335, 339.
Vicente, San, urbs in Brasilia, 456, 458, 460, 463, 467, 468, 470 472, 478, 479.
Vienna, Vide Wien.
Viennense Collegium S. J., 18, 19, 239, 240, 243, 244, 259, 263, 265, 266.
Viennense Gymnasium, 242.
Viennensis Academia, 241, 247, 251-253, 259, 264.
Villa, pagus, 163.
Villa Beltran, 386.
Villaviciosa, 361, 362.
Vincentii, Sancti, oppidi, Collegium S. J., 463-466, 469, 471.
Vinegia, 51, 67.
Vivo (Vivum), Vide Abbatia Vivo.

W

Wien (Vienna), 7, 12, 13, 67, 239-242, 244-246, 250, 252, 253, 255, 257, 261-263, 266, 267, 284.
Wittemberg, 189.

X

Xavea, Vide Jabea.
Xenodochium Misericordiae, in insula S. Thomae, 449.
Xenodochium Misericordiae, Tituani, 443.
Xerez, Vide Jerez.

Y

Yanguas, oppid., 325.

Z

Zaragoza (Caesaraugusta), 347, 348, 366, 367, 387.
Zerbes, Vide Lothoplagiti insula.

INDEX

RERUM, QUAE IN HOC TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR

ANNUS 1553

	Pags.
De rebus Societatis in urbe Roma	5
De Collegio Tiburtino	26
„ „ Eugubino	27
De Perusino Collegio	40
De Collegio Florentino	57
De missione P. Laynez ad civitatem Genuae, et Collegii ejusdem urbis occasione	73
De P. Sylvestro ac P. Emmanuele in Corsicam missis	80
De Collegio Patavino, Veneto ad loco Bassani	109
De Missione P. Andreae Galvanelli in oppidum Morbegni	122
De Collegio Bononiensi	130
„ „ Ferrariensi et Mutinensi	136
„ „ Mutinensi	145
„ „ Neapolitano	169
„ „ Messanensi	193
„ „ Panormitano	204
De novo Provinciali Siciliae, et initiis Montis-Regalis ac Bibonae	216
De Collegio Viennensi	239
De Coloniensi Collegio	265
De Collegio Lovaniensi	272
„ „ Parisiensi	286
De provincia Castellae, ac primo de Collegio Salmanticensi	302
De Collegio Methymnae Campi	305

Pags.

De Collegio Vallisoletano..... 314
„ „ Burgensi..... 317
„ „ Complutensi..... 322
De P. Provinciali Araoz..... 328
De P. Francisco Borgia, et de Collegio Ognatensi et initiis Collegii Cordubensis..... 339
De Provincia Aragoniae, de Collegio Valentino..... 372
De Collegio Gandiensi..... 376
„ „ Barchinonensi et Caesaraugustano..... 384
De Provincia Portugalliae, de Collegio Ulyssiponensi et nova domo Professorum Sti. Rocchi..... 389
De Collegio Conimbricensi..... 410
„ „ Sti. Felicis..... 419
“ „ Eborensi..... 422
De P. Natalis ministerio in Hispaniae Provinciis..... 427
De rebus Tituani in Africa..... 442
„ „ Magni Congi..... 447
De Provincia Brasiliae, ac primo de oppido Sti. Vincentii. 456
Portus Securus..... 473
De his, qui missi sunt in Brasiliam, et de Provincialis electione..... 475
De Provincia Indiae, de rebus insulae Ormuz..... 480
De Baxain *(sic)*, Goa, Cocin, Caulan et Sancto Thoma... 484
De Collegiis Malacae et Moluci..... 489
De rebus Japonensibus..... 491

APPENDICES

I. Censura exercitiorum S. Ignatii a P Thoma de Pedroche, O. S. Dom., confecta..... 501
II. Censurae in exercitia S. Ignatii a R. P. Thoma de Pedroche, O. S. Dom., factae... refutatio..... 525

INDICES

Index onomasticus personarum..... 575
Index geographicus..... 595
Index rerum, quae in hoc tertio volumine continentur... 605



MONUMENTA HISTORICA

SOCIETATIS IESU

CHRONICON

III